IULI CAESARIS LAGALLA PADULENSIS LUCANI ... DE IMMORTALITATE...

Giulio Cesare La Galla

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
13
21. a
44

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-7-F-4.

49. 3. 31.

49
C
31

49
C
B5

Digitized by Google

De Immortalitate animæ.

Lagalla

Digitized by Google

IVLII·CAESARIS

LAGALLA PADVLENSIS LVCANI
Ciuis Romani, & Comitis Palatini.

De Immortalitate Animorum

Ex Ariſt. ſententia. Libri III.

AD S. D. N.

D. GREGORIVM XV.

PONT. MAX.

CVM PRIVILEGIO.



Collig. Roman. Catal. B.

Soc. Jesu Rosen. S.

ROMAE Ex Typographia Cameræ Apoſtolicæ. M.DCXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ego Fr. Diodatus Sighitius de Lauda, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister, ac Socius Reuerendißimi Patris Commißarij ſancti Offitij de Vrbe vidi Librum primum de Immortalitate Animæ rationalis, editum per ſummè Excellentem Philoſophum D. Julium Cæſarem Lagalla, in quo per 24. capita, ad mentem Ariſtotelis Peripateticorum, ac Philoſophorum Principis, Animæ humanæ Immortalitas probatur, aliorumq; placita ad eiuſdem Philoſophi aures, ſonantia animam eſſe mortalem, optimè refelluntur, ſummoq; animi voluptate dictum librum inſpexi, nihilq; quod non redoleat ſanam doctrinam in eo conſpexi, quinimò ſtudioſis Philoſophiæ ſummoperè vtilem cenſeo, quapropter vt prælo mandetur nedum dignum, imò ſummè fore pergratum, & iucundum iudico. Dat. in Palatio ſancti Offitij de Vrbe die 6. Decembris in feſto ſancti Nicolai Epiſcopi 1618.

Ego Fr. Diodatus Seghitius ſupradictus manu propria.

Imprimatur *ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſtro Sac. Pal. Apoſt.*
Ceſar Fidelis Viceſger.

Imprimatur *Fr. Gregorius Donatus Reuerendiſſ. P. S. P. Ap. Mag. Socius.*

Iuly Cæſaris Lagalla de Immortalitate Animorum ex Ariſtotelis ſententia Tomum ſecundum, Ego Fr. Abundius Lambertengus Nouocomenſis Sacræ Theologiæ Magiſter, ac Reuerendiſſ. P. Commißarij ſanctæ & vniuerſalis Inquiſitionis Romanæ ſocius, legi, nihilq; in eo Catholicæ fidei, aut humanis moribus contrarium inueni, quapropter, vt in lucem exeat dignum iudicaui. Ex Palatio Sanctæ Inquiſitionis Romæ die 27. Auguſti 1620.

Fr. Abundius qui ſupra.

Imprimatur *ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.*
Ceſar Fidelis Viceſger.

Imprimatur *Fr. Vincentius Bartolus Sacræ Theologiæ Magiſter, & proſocius Reuerendiſſ. Patris Fr. Hiacynthi Petronij, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ordinis Prædicatorum.*

Digitized by Google

Ego D. Jo. Franciſcus Palumbus Clericus Regularis S. Theologiæ Magiſter, ex commiſſione Reuer. P. Fr. Hiacynthi Petronij Sacri Apoſtolici Palatij Magiſtri, legi librum D. Iulij Cæſaris Lagalla, de Immortalitate Animæ, nihilq; in illo reperi, quod fidem, vel ſanctos mores offendat, ſed multa pietate, & eruditione repletum, ideo iudico illum dignum, vt in lucem mandetur.

Ego D. Io. Franciſcus Palumbus Cler. Reg.

Imprimatur *ſi videbitur Reuerendiſſ. P. M. Sac. Pal.*
Petrus Epiſc. de Curte Viceſger.

Ego D. Thomas de Afflicto Cler. Reg. Sacræ Theologiæ Lector, fidem facio qualiter de mandato Reuerendiſſ. P. Hiacynthi Petronij diligenter perlegi præſentem Librum, & in illo nil reperi quòd Catholicæ doctrinæ, & bonis moribus aduerſetur, ſed illum vtiliſſimum fore cenſeo, & perinde Typis mandari poſſe iudico, Romæ die xvij. menſis Martij M. DCXX.

Ego D. Thomas de Afflicto Cler. Reg. Sacræ Theologiæ Lector affirmo vt ſupra.

Imprimatur *F. Vincentius Bartolus, Magiſter, & ſocius Reuerendiſſ. Patris Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici.*

Digitized by Google

S. D. N.

GREGORIO XV.

PONT. MAX.

PVS hoc, quod de Principe Animæ parte eſt, quã ἡγεμονικὸν Græci dicunt Duplici nomine Pontifici Maximo debebatur (Pater Beatiſſime) Primò quia, eum ille in omnibus hominibus locum habet, quem in ſingulis Mens ipſa obtinet; veluti enim Sapientiſſimus rerum Opifex, Corpori Animam, Animæ verò Mentem, præfecit, ita Populis Principes, Principibus, & cunctis alijs, Sacerdotes præeſſe voluit, quorum Romanus Præſul Columen, & Summus Apex exiſtit. Deinceps verò, quia inter tot diſcordantes, Philoſophorum, de re tam ſeria, & ardua ſententias, ſoli ipſi, quid verum, quid non verum ſit, iudicare, atque decernere licet, cui ſoli, in perſona Petri, dictum fuit (duc in altum.) At peculiari Nomine Sanctitati Tuæ, & felicitati tuorum temporum debebatur; qui Nobili Genere, ea Ciuitate

ortus , quæ ſcientiarum , atque diſciplinarum omnium Parens vberrima , , tot lumina , Mundo peperit , Præſules , Cardinales, Pontifices Summos, & eos Optimos , tamquam Solis ſplendidiſſimum Iubar, oportunè nobis affulſiſti ; Vt bonas literas , Virtutem , Senatus Maieſtatem;poſtliminio reuocares. Dum Honores,non ambitu,aut gratia,non priuatis rationibus,ſed publica vtilitate,& merito,largiris. Ac iure quidem,nam neque Tu,feſtinatis Honoribus,ſummum locum occupaſti, ſed diu ſpectata,per omnia Reipublicæ Munia Virtute , iſtud Faſtigium aſcendiſti; ita vt, nihil fortunæ adſcribendum ſit,quin ob hoc ſuccenſeri poteſt, quod quem ſceptro , & ſolio deſtinauerat , nunquam indulgenter habuerit. His inquam Nominibus, tum Ampliſſimi Gradus , quem obtines , tum etiam propriæ Virtutis,& erga bonas literas Studij ; Opus hoc debitum,qualecumque eſt,Sanctitatis Tuæ Pedibus prouolutus, dedico. Argumenti ſublimitas,aditum,quem Auctoris tenuitas,ad Tantum Principem non audet, ab eodem exoret. vj. Idus Septembris M.DCXXI.

Sanctitatis Tuæ

humillimus ſeruus

Iulius Cæſar Lagalla.

Digitized by Google

LVDOVICO LVDOVISIO

Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario Cardinali Ampliſsimo.

VEriſsimum profecto illud eſſe, ſemper compertum fuit, Cardinalis Ampliſsime, Qualis Princeps, tales & reliqui Ciues, nec immerito, quandoquidem iuxta vetus adagium ἀρχὶς ἰμψυχ& λαμπὰς ἐν τῷ λαῷ. *Gregorium XV. Pontificem ſapientiſsimum, literis fauere, Amplitudinem tuam, Tanto Patruo dignam, non modo illis operam dare, verum etiam, impenſius delectari, omnes conſpiciunt; Non mirum igitur, ſi & omnes, ſtudia bonarum Artium colere, & diſciplinis, vacare, geſtiunt. Tu exoletum iam, & deſuetum, philoſophandi morem reuocaſti, nec modo reuocaſti; ſed Auguſtiori Maieſtate, ſupra Cæteros reſtituiſti. Venerati ſunt omnes boni Principes ſapientiam; Pompeius ille Magnus, cui ſe Oriens, Occidensq; ſubmiſerat, Poſsidonij Philoſophi Domum intraturus, eius ianuæ, lictorios faſces ſubmiſit; Auguſtus debellatam Alexandriam, cum Arrio Philoſopho colloquens: & dexteram eius tenens ingreſſus; Alexandrinis ſe parcere, ob eumdem amicum Arrium, in Concione, teſtatus fuit; Tiberius etiam, inter Epulas conſueuit philoſophari. Demum vero, vt Tui ſimillimo Exẽpla claudam; Carolus Sanctus, Borromeus cognominatus*

vt cæteros aa excolenda ingenia, & Bonarum Artium ſtudia inuitaret, has eaſdem literarias exercitationes Academicas nuncupatas; quas à te renouari Roma videt, & gaudet laudabili, Exemplo inſtituit; ſed Tu, longe auguſtiori ritu, illas es Auſpicatus; Nam & Doctiſsimorum Cardinalium, etiam, Dynaſtarum præſentia decoraſti, & quod, nec votis omnibus poterat exoptari, ſæpius Pontificis Maximi Patrui tui, Numine recreaſti. Quem vero etiam ſtupidum & veternoſum, talia inuitamenta, ad moliendum aliquid, non impellerent? His & ego excitatus, qui in Philoſophandi munere, atque Vtilitate Publica, iam ſeneſcens, quaſi priuato otio tabeſcebam, Opus hoc, de Immortalitate Animorum, ex Ariſtotelis ſententia, & ſolo Naturæ lumine, magnis laboribus exanthlatum, Magno tuo Patruo Gregorio XV. nuncupare ſum auſus: Opuſcula etiam aliquot; ex penitioribus Philoſophiæ naturalis receſsibus Amplitudini tuæ; propediem dicaturus. Ex Vrbe VI. Idus Septembris 1621.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Amplitudinis Tuæ

Humillimus cliens

Iulius Cæſar Lagalla.

Digitized by Google

GREGORIVS PAPA XV.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

SINCERAE fidei & deuotionis affectus, quem dilectus filius Hieremias Guelphus Impreſſor Cameralis erga Nos, & Apoſtolicam Sedem gerere comprobatur, Nos inducit, vt illa ei libenter concedamus, quæ ſuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Aliàs ſiquidem à fel.rec.Clemente Papa VIII. Prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet Clemens Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cum fel. rec.Sixtus V. Prædeceſſor noſter Officinam Typographicam varijs, pulcherrimisq; characteribus copiosè inſtructam in Vaticano apud Palatium noſtrum Apoſtolicum inſtituerit, & inſtruxerit in qua Sacra Biblia, Concilia Generalia, Epiſtolæ Decretales, libri Eccleſiaſtico miniſterio deſeruientes, ac etiam Sanctorum Patrum volumina, aliaq; opera omnia, quibus Fidei Catholicæ doctrina continetur, ab omnibus mendis, & erroribus, qui vel hæreticorum malitia, & improbitate, vel aliorum negligentia in ea irrepſerunt, expurgata, ac ſuæ integritati, & fidei reddita, non ſolum Græcè & Latinè, ſed quocumq; etiam alio idiomate, quam emendatiſſimè imprimerentur, atque in lucem ederentur, vt veritas Catholicæ doctrinæ pura, & ſincera circumferatur, & vbique diſſeminetur ad communem totius Chriſtiani populi commoditatem & vtilitatem, & ad hoc elegerit dilectum filium Dominicum Baſa Venetum in huiuſmodi munere plurimum verſatum, cui prædictæ Typographiæ curam, demandauit. Nos ſicut æquum eſt, prouidere volentes, ne eius labor, & induſtria, quæ fructum alijs affert, ipſi vni detrimento ſit: quod euenturum eſſet, ſi libros ab eo magna diligentia, ſumptuq; impreſſos, atque editos, alij poſtea imprimerent, atque ederent, minore forſitan, etiam adhibita diligentia; Vniuerſis, & ſingulis librorum impreſſoribus, ac Bibliopolis, tàm extra, quàm intra Italiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna: noſtræ verò, & S. R. E. temporali ditioni mediatè, vel immediatè ſubiectis, etiam ſub pœna quingentorū ducatorū auri fiſco noſtro applicandorum, & ammiſſionis librorum ipſo facto abſque alia declaratione cuiuſq; Iudicis incurrendis inhibemus,

Digitized by Google

mus, & interdicimus,ne quis vllum ex ſupradictis libris,aut cuiuſcunq; generis,qui vel numquam antea editi fuerunt, vel quos ipſe Dominicus, ſiue alij, qui in dictæ Typographiæ admiſſione forſan aliquando ei ſuccedent ſublatis mendis correctos,auctos,nouis commentarijs,annotationibus, aut ſcholijs illuſtratos, ſiue illi Græci, Latini, linguaq; Italica communi, aliove quocunq; idiomate, ſiue à Græco ſermone in Latinum, Italicumve conuerſi in dicta Typographia excuderit vllo pacto eiuſdem, vel diuerſi characteris forma imprimere,vel ab alijs impreſſos vendere,aut venales proponere, & habere audeant, vel præſumant intra decennium à prima cuiuſq; operis aut voluminis editione computandum. Mandãtes dilectis filijs noſtris Camerario,& Vicario Vrbis,necnon Gubernatori,Senatori,Cameræ Apoſtolicæ cauſarum Auditori,& alijs Vrbis ordinarijs Iudicibus,Legatisq;, Vicelegatis, Gubernatoribus, & Poteſtatibus terrarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Barigellisq;, & Executoribus earundem, ac venerabilibus Fratribus ſingularum extra Terras prædictas Ciuitatum Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorumq; Vicarijs, vt quoties ipſius Dominici nomine requiſiti fuerint, & efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, præmiſſa omnia, & ſingula contra inobedientes,& contrauenientes ad executionem cenſurarum, & pœnarum prædictarum omni, & quacumque appellatione remota procedant, & quilibet eorum procedat, Inuocato etiam ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis. Quia verò difficilè eſſet has noſtras præſentes litteras ad ſingula loca deferri: Volumus quod de eius tenore quod ad prohibitionem noſtram huiuſmodi attinet, credi debeat exemplis in ipſis libris imprimendis,ſeu etiam non inſerto tenore narratis, ita quod ſola narratio,ſeu enunciatio in ipſis libris, vt moris eſt facienda,ad effectum vt contra inobedientes vt præfertur procedi poſſit,ſufficiat, & maioris efficaciæ cauſa volumus, vt originalis ipſa cedula per Curſores noſtros hic in Vrbe in locis conſuetis,vt moris eſt,affigatur,& publicetur, ne quiſquam ignorantiam eius valeat allegare. Decernentes irritum,& inane quicquid ſecus fieri contigerit. Non obſtañ conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis priuilegijs quoque indultis quibuſcunque alijs ſuper imprimendorũ librorum facultate forſan conceſſis,& innouatis,cæterisq; in contrarium facientibus quibuſcumq;. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xvij. Nouembris M. D. XCIV. Pontificatus noſtri anno tertio. CVM autem ſicut dictus Hieremias Nobis nuper exponi fecit ſubinde rec.mem.Paulus Papa V. etiam Prædeceſſor noſter Typographiam Vaticanam prædictam officio Typographiæ Cameralis vniuerit, illudq; eidem Hieremiæ ad ſui vitam titulo oneroſo,necnon per quoddam chirographum manu ſua ſignatum etiam prçinſertum priuilegium huiuſmodi conceſſerit, cupiat autem Hieremias prædictus tàm præinſertas litteras, quàm chirographum huiuſmodi pro firmiori illo-

Digitized by Google

illorum validitate Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri. Nos dictum Hieremiam ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & à quibuſuis excommunicationis, ſuſpeñ, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, ceñ, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequeñ, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus eius nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: Præinſertas litteras, & Chirogrraphum huiuſmodi Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illisq; inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus. Mandantes dilectis filijs noſtris Camerario, & Vicario Vrbis, necnon Gubernatori, Senatori, Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, ac alijs ipſius Vrbis ordinarijs Iudicibus, Legatisq;, Vicelegatis, Gubernatoribus, & Poteſtatibus Terrarum S. R. E. Barigellisq;, & Executoribus earumdem, ac venerabilibus fratribus ſingularum extra terras prædictas Ciuitatum, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorumq; Vicarijs, vt quoties ipſius Hieremiæ nomine requiſiti fuerint, efficacis defenſionis præſidio illi aſſiſtentes præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque obſeruari faciant, ac contra inobedientes, & contrauenientes ad executionem ceñ, & pœnarum Eccleſiaſticarum omni, & quacumque appellatione remota procedant, & quilibet eorum procedat, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſæcularis, & nihilominus irritum, decernimus, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtañ omnib. illis, quæ in præinſertis litteris, & Chirographo huiuſmodi conceſſa ſunt non obſtare, cæterisq; contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem ſub Anno Piſcatoris die xviij. Octobris M. D C X X I. Pontificatus noſtri Primo.

S. Card. S. Suſannæ.

Digitized by Google

IN IVLIVM CÆSAREM LAGALLA
Amicum, & Philoſophum Incomparabilem.

LEONIS ALLACII CHII.

Καίσαρ. ἔργμα τόσσι νεάων, μέγα Μῶμ. αὐτῷ.
Ἢ μετ' Ἀελιοπόλιν ἐμὶ ἐλέγχεα Καίσαρ ἀλύσκῃ.

Aliud eiuſdem.

Μέλιον Ἀλεξάνδροιο θεῶς, ἢ χθόνας ἀφύκτας
Φεύγων Ἀελιοπόλης, κτήματα, γῆα σέων.
Ἀλλ' ὑπάλυξις ἔχοντο, κακῶν τε πολύλλιτον ἄλκαρ.
Πειρήθη δ' ἀέθλων ὕστερον ἀθροίρων.
Οὐδέπι μῆχος ἔλεν φυγέειν. τόσσι ἔχεας θάρσος.
Δηίοις. Ψυχῆς χάρ θῆκαν ἀγῶνα πεῖ.
Καὶ μέροπες κλονέοντο, καὶ ἔτρεμεν ἦτορ ἑκάστῳ,
Μή Ψυχῆς φθιμένης κόσμος ἄκοσμος ἔῃ.
Μέχρι πρόφαντος ἀνὴρ, σοφίης πολυόδμοιο τέχνῃ
Ἀμφιλαφὴς, ἐφάνης Καῖσαρ Ἀλεξίκακος.
Ὃς πυκιαῖς πραπίδεσσι δαήμονα μῆτιν ὑφαίνων
Νίκεα δυσμενέων δεῖξας ἀφαυρότατα.
Καὶ Ψυχὴν ἐσάωσας, Ἀθηναίῃσιν ὀπάζων,
Κινδυνώδη τε λυγρὴν λῦσας Ἀελιοπόλιν.
Τῷ σε πρόφρων πᾶς σὸν δεύτερον ἔτλυξεν ἀγαθεύς.
Αὐτὸ δίεργασίης, Ἱρὸν Ἀθανασίης.

Digitized by Google

AD PRAECLARISSIMVM

PHILOSOPHVM

IVLIVM CÆSAREM LAGALLA,

De Immortalitate Animorum ſcribentem.

D. FERDINANDI CAROLI,

EPIGRAMMA.

TOrpuerat gelido nimium defixa pauore
Gens humana, ſuis ingenioſa malis.
Dum Chaos, & fatum, Tumuliq; timentur inanes,
Atque, nefas, nigro Mens abolenda Rogo.
Diluis oppoſitas, diſcuſſa nocte, tenebras,
Viuaq; Mens ipſis ſurgit ab Exequijs.
Quamq; refers homini vitam poſt fata, perennis
Vita venit Scriptis, culte LAGALLA, tuis.

Digitized by Go

Candido, ac Studioſo Lectori.

AVCTOR.

VM aliquot ab hinc annis; ex iniuncto mihi munere, in Publico Romano Gymnaſio, Diſputationem De Immortalitate Animi, ad Ariſtotelis ſententiam haberem, D. Virginius Cæſarinus Adoleſcens inter Romanos Proceres, & Nobilitate Generis, & diſciplinarum Peritia Clariſſimus, pro ſingulari humanitate, qua, & bonas literas, & illarum ſtudioſos proſequitur, in Scholas venit: Cumq; me diſſerentem audiſſet, hortatus eſt, vt diſputationem ſcriberem, ratus dignam quæ ſibi, & cæteris legenda proponeretur. Ego tam doctum Iudicium proſequutus, Prouinciam ſuſcepi; Cumq; veterum Peripateticorum more, Argumenta, quæ contra veritatem ſunt, primo conſcribere incepiſſem, meliori conſilio, ordinem inuertere cogitaui, & rationes, quibus, tum ex Auctoritate, tum ex Demonſtrationibus Ariſtotelis, Animi Immortalitas confirmatur, in fronte Diſputationis expoſui. Deinceps vero ſecundo libro alias attuli, quibus hæc eadem veritas, ſolo Naturæ lumine comprobatur, tum deducentes, ad impoſſibile, tum etiam oſtenſiuas; Ac tandem Vltimo Argumenta omnia, non ſolum, quæ aliqui Peripatetici, ſed etiam, quæ omnes alij Immortalitatis Hoſtes, tum noui, tum veteres attulerunt, recenſui, eademq; ex meritis Ariſtotelis Principijs, & ſolo Naturæ lumine conatus ſum ſoluere. Duplex autem fuit, prioris Conſilij immutandi, & ab antiquo diſputationum Inſtituto diſcedendi ratio; Vna quidem, ne Lector minus cautus, aut malè affectus: in re tam ſeria, & tanti Ponderis, periclitaretur, ſolent enim quidam, initia librorum, auida curioſitate legere, quod ſi aliqua ſuo Genio, conſentanea repererint, in ipſis facilè conquieſcunt: Cætera aut ſegni torpore faſtidientes, aut obſtinata pertinacia auerſati, Atque ita, vt de Araneis proditum eſt, ex eo flore, quo mel accipere deberent, venenum colligunt. Multoties etiam contingit, vt quamuis Liber, vſque ad calcem legatur, & non ſolum Argumenta quæ contra veritatem ſunt, verum etiam ipſorum ſolutiones perluſtrentur, tamen euidentiora appareant Argumenta, quam eorum ſolutiones, atque ita, perſuaſionem, quam ipſa fecerunt, ſolutiones ab aliquibus tollere non valeant, quod facilè in hac diſputatione contingere poterat, in qua, argumenta cõtra Immortalitatem, ad ſenſum ſatis plauſibilia ſunt, ſolutiones verò, non omnium captui accomodantur.

Altera

Altera verò, mei inſtituti ratio, ex Methodo ſcientifica, deſumpta fuit; quæres per demonſtrationem inuenire in Poſterioribus Analyticis Ariſtoteles docuit. Quapropter, veritatem quæſiti, in hac diſputatione propoſiti, non ſolum ex Ariſtotelis Auctoritate, ſed etiam ex rei natura indagaturum, eam ſequi Methodum oportuit, quæ eſt, à Quæſito quia, ſiue an eſt, ad propter qui eſt. De Quæſito an eſt, egimus in primo libro, De propter quid eſt, in ſecundo. Quia verò, cognito propter quid, vt Ariſtoteles, inquit, ceſſat omnis quæſtio. In Tertio, & vltimo libro, omnia in contrarium obiecta ſoluimus. Hæc eſt, Beneuole, & Candide Lector, obſeruati in hac diſputatione ordinis Ratio. De elocutione, nullam excuſationem afferam, Eloquentiam in Philoſophia, ſe non requirere dixit Cicero. Philoſophia Matrona eſt, non Meretricula, grauis illam decet oratio, ſeria, & ex rerum natura petita, fucatam eloquentiam, & calamiſtratum ſermonem, verborum lenocinijs blandientem, faſtidit, & auerſatur, ſatis illi eſt Barbariem vitare. In reliquis, vides quam arduam Prouinciam ſuſceperim, à nemine adhuc, tentatam; ſaluis omnibus Ariſtotelis principijs; & humanæ ſpeciei Aeternitate, Animum in ſingulis hominibus Immortalem, ſtatuere. Si in omnibus tibi non ſit pro libito ſatisfactum, memineris me eſſe hominem, & ab homine, humana requirenda ſunt. In Magnis voluiſſe ſat eſt, fortaſſe, meo exemplo aliquis ſuſcitabitur. Qui hæc felicius abſoluet.

Vale.

(·.·)

INDEX
Auctorum, qui in hoc Opere citantur.

Aegidius Romanus.
Aeneas Gazzeus.
Albertus Magnus.
Alexander Aphrodiseus.
Alexander Achillinus.
Alexander Aegeus.
Algazeles.
Aly Abenragel.
Aly Rodoan.
Annæus Seneca.
Antonius Bernardus Mirandulanus.
Aristoteles.
Argyropilus.
Auempace
Auerroes.
Auicenna.
S. Augustinus.
Augustinus Sueſſanus.
Augustinus Eugubinus.
Beſſario Cardinalis Nicenus.
Claudianus Poeta.
Claudius Ptolomeus.
Concilium Generale Quintum.
Concilium Generale Viennense.
Concilium Lateranense Vltimum.
Concilium Tridentinum.
Cornelius Tacitus.
Eudemus.
Euſtratius.
Galenus
Gaſpar Contarenus Cardinalis.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Niſſenus.
S. Gregorius Taumaturgus.
Gulielmus Budæus.
Hermolaus Barbarus.
Hieronymus Pontanus.
Hieronymus Balduinus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius Flaccus.
Jacobus Zabarella.
S. Ioan. Chryſoſtomus.
Jo. Duns Scotus.
Jo. Grammaticus
Julius Caſtellanus.
Juſtinus Philoſophus, & Martyr.
Lucretius.
M. Tullius Cicero.
Origenes.
perſius.
Petrus Pomponatius.
Petrus Apponenſis.
Plato.
Plinius ſecundus.
Plinius Junior.
Plotinus.
Plutarchus Cheronæus.
Simplicius.
Simon Portius.
Tertullianus.
Themiſtius.
Theodorus Gazza.
Theodoretus.
Theophraſtus.
S. Thomas.
Virgilius Maro.

Digitized by Google

IVLII CAESARIS LAGALLA

DE IMMORTALITATE ANIMORVM ex Aristotelis sententia.

LIBER PRIMVS.

Authoris propositum & occasio. *Cap. I.*

CVM sex & viginti post annos, ex quo Aristotelem publicè interpretor, iam tertium, eiusdem libros de anima explicauerim, & inter cæteras, quæ incidunt quæstiones, eam potissimum, quæ de humani animi immortalitate est, ex eiusdem philosophi sententia, summo labore ac studio examinauerim; neque, omnibus iam perlustratis; atque consultis Arist. expositoribus; tum Græcis, tum Arabibus, tum Latinis: mihi hucusque satis fecerim; Decreui, & ego in tanto philosophantium tumultu, ac negotio, ne otiosus videar, magni illius Diogenis exemplo, meum dolium versare. quidni faciam? pollicetur Deus petentibus suam opem: fortasse & mihi laboranti, etiam succurret. Noui equidem hac in re summorum hominum ingenia desudasse, at nec temerè me illis nequaquam acquiescere dixerim, tam

Digitized by Google

varia, tam pugnantia in illis ſunt. Alexander ille Aphrodiſęus (vt Gregorios Niſſenum, Nazianzenum, ac Iuſtinum philoſophum, & Martyrem, qui nequaquam Ariſt. ſunt interpretes prætermittam) necnon præcipui Alexandri ſectatores Pomponatius, & Portius: mortalitatem animorum: peripateticam ſententiam crediderunt, argumentis non leuibus, ac rationibus perualidis firmati. at in explicãdis eiuſdem philoſophi locis; quibus contrarium ſenſiſſe videtur, atque in Ariſtotele ſibi met ipſi conciliando; adeo inter ſe diſcordant; adeo ſibimet ipſis & Ariſtoteli pugnantia quiſque dicit, adeo rationi aduerſantia; atque abſurda proferunt, vt manifeſtè eorum opinio falſitatis redarguatur.

At reliqui expoſitores Græci; Philoponus, Themiſtius, Simplicius, qui immortalem animum Ariſtot. cenſuiſſe ſtatuunt, neque inuicem conſentiunt, neque Ariſtotelis præceptis (de cuius ſententia diſputatur) firmiter hærent. Philoponus animãà Deo creari eandemq; poſt ſeparationem à corpore; nondum expurgatam criminibus, in alio tenuiori corpore aereo, ſcilicet, vel vaporoſo: pœnas luere; ac expurgatam poſt modum ethereo corpori iunctam viuere, *1. de Anima in proœm. & 2. de generatione animaliũ. cap. 3.* ſtatuit, quæ Platonica potius; gratis dicta ſunt, & contra Ariſt. ſententiam. Simplicius adeo obſcurus eſt, vt magis ipſe quam Ariſt. egeat interprete, nec facilè quid ſenſerit cognoſcitur. Themiſtio tribuitur, quod vnum ſtatuat in omnibus hominibus intellectum, quod ne figmento quidem proximum eſt, & hominem ſenſitiuæ gradu conſtituat, nempè imaginatiua. aduerſus ea quæ Ariſt. decreuit *2. de Anima*. Auerroes in eoſdem errores incidit, aut (quod verius eſt) horum errorum primarius fuit author. ex Latinis aliqui Alexandrum ſectantur, quãplures Themiſtio & Auerroi fauent.

Alij; nihil certi; nihil conſtituti hac de re ab Ariſt. dictum putant, quod ſi in alterutram partem inclinaſſe videatur: magis ad mortalitatem, quam ad immortalitatem vergere.

Rurſus alij ex ſacra Theologia philoſophantur, qui & vere philoſophantur, at minus Ariſt. mentem explicant, & multa dicere coguntur, cum eiuſdem principijs pugnantia. Plures verò, qui immortalitatem hucuſque ex Ariſt. ſtatuere ſunt conati in hoc deficere mea ſententia viſi ſunt, quod cum Ariſt. opinionem pro immortalitate; quam diſertis verbis, multis in locis teſtatam reliquit, validè communire; ac fortiter propugnare debuerint; conuulſis reſponſionibus; atque expoſitionibus; quas aduerſarij ad prædicta loca afferunt

runt, id minimè præſtiterunt. nec minus hanc veritatem cum cæteris Ariſt. principijs conuenire poſſe cenſuerunt, niſi alio; non minus impio; ac magis abſurdo principio conceſſo. vnitatis ſcilicet intellectus; aut alijs ex ſuperiore ſcientia, & alterius generis principijs acceptis.

Diſputandorum ſeries & ordo. *Cap. II.*

DIVIDETVR autem tota hæc diſputatio in tres partes, in quarum prima ex multis Ariſt. locis, quibus apertè ſuam ſententiam declarauit, & non paucis rationibus, quibus vtitur; eumdem, immortalem cenſuiſſe humanum animum demonſtrabimus. reſponſiones verò & expoſitiones, quas aduerſarij attulerunt extortas eſſe, abſurdas & ab Ariſt. ſententia prorſus alienas; ita vt ceteris omnibus circumſcriptis propoſitio hæc *Ariſt.* aſſeruit *humanum animum ſine intellectum eſſe immortalem* abſolutè vera atque irrefragabilis ſit.

In altera verò ſingulorum Peripateticorum ſententias, earumq; fundamenta ac rationes expendemus, tum eorum qui mortalem ex Ariſt. intellectum dixerunt humanum; tum etiam eorum, qui immortalem. in tertia tandem & vltima, quænam fuerit Ariſt. ſententia pro virili exponere conabimur ex eodem met Ariſtotele; nihil mutatis eius principijs, nec philoſophiæ naturalis limitibus tranſgreſſis, aut ſaltem intra humani ratiocinij limites diſputatione concluſa; & ex ea omnia argumenta ab aduerſarijs conſtructa diluere; omnes authoritates in contrarium adductas exponere; omnia pugnantia conciliare; abſurda omnia tollere. Neque vero me tantum Ariſtoteli tribuere quis putet, vt exiſtimem omnem de ſuſcepta diſputatione veritatem illi compertam fuiſſe, quam nos peculiari Dei muneri debemus, qui abſcondit hæc ſapientibus & prudentibus & reuelauit paruulis. Id tantum mihi oſtendere ſufficiet, illum in notiſſima veritate, quam ab vtroque præceptore didicerat; quam omnium hominũ; tum Græcorum; tum Barbarorum communi conſenſione firmatam videret; paucis tantum exceptis & ijs quidem non minus ſtolidis, quam impijs; turpiter non erraſſe: quod feciſſet, ſi humanum animum mortalem ſtatuiſſet; nec minus erraſſe in tam inani atque inexcogitabili fig-

mento, quod illi impingere conatur Auerroes; quod vnus scilicet in omnibus hominibus sit intellectus; & is minime hominem cõstituens, sed illi tantum assistens, sed existimasse humanum animum & intellectum esse immortalem, eumq; esse hominis, vt dicunt; constitutiuum principium, ac proinde non vnum & in omnibus innumerabilem, sed in singulis singularem & numeratum.

Quod idem sit dicere Animum, Intellectum humanum, & Mentem humanam. Cap. III.

QVIA vero sæpius in disputatione continget his diuersis vocibus vti, Animus, Intellectus, Mens; propterea earum significationes, & in quo sensu à nobis vsurpentur operæ pretium erit antea declarare. Certum quidem est, maiores nostros, qui puriore sermone vsi sunt humanam animam animum appellasse, ad distinctionem eius formæ, qua bruta constituuntur, quam animam nuncuparunt; at nos, qui vocabula ex proprietate significandi potius, quam ex vsu elegantioris locutionis expendere debemus; vnica significatione animum, & animam accipiemus; est autem anima substantia quæ semper alterius perfectionem respicit, quapropter & actus dicitur, sed melius atque conuenientius ἐντελέχεια appellatur; hoc est perfecti habia; vt Hermolaus Barbarus verbo verbum reddens aptissimè exposuit; quamuis enim etiam actus, qui ἐνέργεια à Græcis dicitur perfectionem significet; tamen eam potissimum perfectionem dicit; quæ operatio est, siue actus secundus, non eam, quæ est actus primus. nisi in ijs tantum substantijs, in quibus idem est operatio & essentia quæ operatur; cuiusmodi rei veritate est solus Deus, & apud Aristotelẽ illi etiam prorsus separati intellectus, seu mentes, quas ab operatione intelligendi nos Latini aptissimo vocabulo intelligentias appellamus: ita enim *Aristo. 12 metaphis. partic. 35.* primam intelligentiam ἀΐδιον καὶ οὐσίαν καὶ ἐνέργειαν, hoc est æternum, & substantiã & actum appellasse videmus & *particula 38.* de eadem dixisse ἐνδέχεται τι κινεῖν; αὐτὸ ἀκίνητον ὂν ἐνεργείᾳ ὄν, hoc est, cum autem aliquid sit mouens; ipsum immobile existens, actuens; & *particula 39* ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια, hoc est, ille vero actus; neque vero obstat aliquando Aristotelem primam intelligentiam ἐντελέχειαν appellasse, quod *12. Metaphisicorum partic. 49.* aut differentiam animæ

dixis-

Digitized by Google

dixisse ἐντελέχειαν, quod *tertio de anima partic. 19.* nam *12. Metaphisic.*, quo solum in loco primam intelligentiam entelechiam appellauit; sumit primam intelligentiam tamquam primam perfectionem vniuersi ac propterea illam non solum entelechiam sed etiam quod quid est nuncupauit, vt optime notauit Zabbarella *in 3. autem de anima* cũ dixit Intellectum agentem energiam; Diceret aliquis; quod per Intellectum agentem non intelligit aliquid animæ nostræ; sed Deum; vt Alexandro placuit; quod falsum est tamen; aut in aliquo alio sensu interpretandus est Aristoteles, vt suo loco dicemus.

Cum igitur animum dicimus; humanam animam intelligimus; vt tamen humani corporis forma est; siue entelechia; & perfectio, vel terminus perfectiuus; ita enim Aristoteles entelechiam interpretatus est, & formam esse entelechiam docuit *9. Metaphys. part. 16.* At vero intellectus nomine quid commune significamus, & ad eum intellectum qui in corpore est & anima appellatur vel animæ particula, & hic humanus intellectus dicitur, & ad eum qui à corpore omnino separatus, & hic intellectus absolutè; vel mens simpliciter nuncupatur; ita enim videmus ab Aristotele νοῦν aliquando quidem eum intellectum qui in homine est appellari, vt *3. de anima partic. 5.* vbi inquit, ὁ ἄρα καλούμενος τῆς ψυχῆς νοῦς λέγω δὲ νοῦν ᾧ διανοεῖται, καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή. hoc est. *Qui igitur vocatur animæ intellectus, dico autem intellectum, quo intelligit & comprehendit anima*, aliquando vero eum intellectum seu mentem, quæ omnino immaterialis est & à corpore separata, quam supra energiam à Græcis; à nobis vero intelligentiam vocari diximus, vt *12. Metaphys. partic. 51.* τὰ δὲ περὶ τὸν νοῦν ἔχει τινας ἀπορίας. *Ea verò, quæ circa mentem habent aliquas dubitationes.* ita vt manifestum sit; apud Græcos idem vnico vocabulo νοῦς significari, quod apud Latinos duplici voce mens & intellectus dicitur. vbi igitur humanum intellectum dicemus idem quod humanam mentem intelligemus, quandoquidem idem significat mens quod intellectus. & vbi animum siue humanam animã idem quod humanum intellectum; tum quia intellectus vbi in corpore fuerit animæ sortitur nomen, vt patet ex *Aristot. 2. de anima partic. 13.* vbi inquit. *Dicamus igitur principium accipientes considerationis, determinari, animatum ab inanimato ipso viuere. multipliciter autem ipso dicto, & si vnum aliquod horum insit solum, viuere ipsum dicimus, vt intellectus, & sensus, & motus, & status secundum locum*, & partic. 19. *nunc autem in tantum dictum sit solum, quod anima est horum quæ dicta sunt principium, & his definita est vegetatiuo, sensitiuo, cogitatiuo, motu.*

Tum etiam, quia homo eatenus homo est quatenus rationalis ta-

lis autem est ab intellectu, vt est pars animæ vt *3. de anima partic. 1. Arist.* docuit inquiens. *De parte autem anima, qua anima intelligit & sapit.* Pro eadem igitur re in hac disputatione legitimæ vsurpabitur animus, siue humana anima, intellectus humanus, & mens humana.

Aristotelem Quæstionem hanc, neque disputasse, neque disputandam proposuisse in libris de Anima. Docuisse tamen animi immortalitatem, ex ijs quæ de intellectus humani natura disseruit. Cap. IIII.

QVAMVIS nouerim probabile satis esse Aristotelem hanc quæstionem in his libris de anima, & proposuisse & absoluisse; hic enim videtur esse maxime conueniens tali speculationi locus. & quamplurima coniecturæ attestentur, vt ex *partic. 7. primi libri*, vbi proponens quæstiones examinandas, inter alias hanc proponit. vtrum animæ specie differant, an genere, quod idem est, ac si diceret vtrum anima aliqua sit mortalis, aliqua immortalis, & *partic. 12. & 13.* vbi dubitans vtrum omnes passiones animæ sint communes, hoc est compositi, an vero aliqua sit etiam ipsius animæ propria; tandem de ipso etiam intelligere dubitãs quæstionem de mortalitate aut immortalitate intellectus proponit; inquiens. Si igitur est aliqua animæ operatio, aut passionum propria continget vtique ipsam separari; si vero nulla est propria ipsius non vtique erit separabilis, & ex *partic. 1. libri 3.* vbi (*vt Philoponus exponit*) hanc primo loco examinandam proponit illis verbis, *De parte autem anima, qua anima intelligit & sapit, siue separabili existente, siue non separabili secundum magnitudinem, sed secundum rationem*; & ex quamplurimis alijs locis quibus separabilitatem, & incorruptibilitatem intellectus, veluti dubium proposuit, vt *1. de anima partic. 65. videtur autem intellectus ingenerari substantia quædam existens & non corrumpi*, & *partic. sequenti 66. Intellectus autem fortassis diuinius quid, & impassibile est.* Quam eandem quæstionem visus est determinasse *lib. 3. partic. 6. & 7.* cum inquit intellectum esse immixtum, esse inorganicum, esse impassibilem passione destructiua; esse locum specierum; quæ omnia decreta fuisse ab Aristotele illi asserunt, qui immortalitati fauent ad quæstionem hanc terminandam. Qui vero pro mortalitate sunt con-

tra

tra asserunt huic quæstioni finem fuisse impositum ab *Arist. in 3. pariter lib. partic. 38. & 39.* vbi inquit, quod qui non sentit aliquid nihil addiscet, & quod vbi quis speculatur, oportet vt simul cum phantasmate speculetur, & quod formæ in sensibilibus intelligibiles sunt. quæ omnia determinationē huic disputationi propterea attulisse inquiunt, quia in *1. lib. partic. 12.* dum quæstionem proposuit; dixit quod si intelligere aut est phantasia, aut non sine phantasia non contingit ipsum sine corpore esse, & in *partic. sequenti* inquit, quod si est aliqua animæ operatio propria contingit ipsam separari, si vero nulla est propria ipsius non erit separabilis, cui disiunctiue assumptæ si coniungatur minor propositio, quam decreuit *3. de anima, locis citatis*; quod intelligere non possit esse sine phantasia. proculdubio sequetur de necessitate conclusio, quod intellectus humanus sit mortalis. ex quibus patet disputationem hanc, & fuisse propositam & definitam ab Aristotele in ijs libris, qui ab eo de anima fuerunt conscripti.

Existimo tamen, neque propositam ab eo fuisse in libris de anima hanc quæstionem, neque examinatam, & iure quidem merito, quandoquidem naturalis Philosophi est considerare formam vsque ad aliquid alicuius enim gratia, vt Medicus considerat neruum, & Faber æs, cum vterque hic artifex consideret prædicta ad proprium finem. Medicus scilicet neruum ad sanitatem; hoc est formam nerui non in abstracto, sed in concreto, quatenus nempe est in materia apta suscipere sanationem & Faber æs, hoc est formam æris non in qualibet materia sed in materia apta suscipere formam gladij; ac propterea naturalis cum formas aliquas separabiles considerat, eas non considerat, vt separabiles; sed vt in materia sunt. cum enim consideret illas alicuius gratia & propter operationem, considerat illas in materia; in qua operantur; quamuis secundum sui rationem & essentiam sint separabiles, quomodo autem se habeant hæ formæ separabiles, & quid sint philosophiæ primæ est officium determinare, vt *Arist. 2. phisic. partic. 26.* testatum reliquit, & *6. Metaphis. textu 2.* pariter dixit, quod Naturalis est speculari de quadam anima, hoc est separabili, & non simpliciter; sed quæcumque non sine materia; qualis profecto est anima humana, siue humanus intellectus, qui quamuis secundum sui essentiam non mixtus sit materiæ & corpori, tamen à Philosopho naturali non sine materia consideratur; consideratur enim vt forma corporis, & vt habet operationem in corpore. quapropter & primo de partibus cap. 1. dubitauit Philosophus, vtrum ad Naturalem pertineat tractare de omni anima, ac decreuit ad illum non pertinere, nisi de anima quæ est na-

Digitized by Google

tura, neque considerare Naturalem formas à materia abstractas cum alicuius gratia cõsideret omnia vt etiam *2. phisicorum* dixerat loco paulo ante citato; natura etenim alicuius gratia facit omnia; hoc est ad finem; rebus autem abstractis non inest finalis causa separata, eadem enim est cum efficiente & forma; & cum motu careant fine carent, qui est terminus motus; vt fuse in processu eiusdem capitis probat, & clarius docuit in Metaphisicis *3. Metaphisicor. text. 3.* ex quibus omnibus patet quod cum ad naturalem non pertineat tractare de anima nisi quatenus est in materia, & quatenus est natura, hoc est forma & principium agendi in eo cuius est forma, non debuit Aristot. neque potuit hanc quæstionem de immortalitate seu separabilitate animi proponere disputandam, vel disputare, cum naturales considerandi limites transcendat, ac propterea nullibi hæc disputatio apud eos qui extant Aristotelis libros, neque in his de anima, neque in aliquo alio ex phisicis exarata conspicitur, quinimo nec minus in Metaphisicis, cum Metaphisica contemplatio ex phisica ortum habeat, vt paret ex cognitione intelligentiarum quæ ex motus æternitate innotuit, ac propterea libri illi post naturales inscripti sunt, quamuis dixerit Sanctus Thomas alios supereſſe metaphisicos Aristotelis libros, qui adhuc suo tempore extabant nondum tamen in latinum versos, quibus hanc disputationem cõtineri coniectari potest. citatur etiam & à *Philopono Tractatus alius Aristot. de anima ad Endemum* in quo dicit multa fuisse declarata, quæ hic minime fuerunt absoluta; sed de hoc libro, cum ad nos non peruenerit, nullum ferre possumus iudicium, neque aliquam inde licet sumere coniecturam, quamuis eumdem citatum videamus, etiam à *Themistio 3. de anima cap. 37.* neque nostram hanc sententiam euertunt loca Aristot. initio adducta, locus enim ex *7. partic. primi de anima* non ad hanc quæstionem respicit, sed ad Platonis sententiam, qui cum solum humanum animum animam appellaret reliquas vero potius animationes, quam animas, vt patet ex Plotino, & alijs omnia quæ de anima perquisiuit ad humanam animam retulit, vt ibi Aristot. inquit, quapropter iure merito Aristot. inuestigandum proponit, vtrum omnes animæ sint similis speciei, hoc est conueniant in specie, an vero dissimilis & si non similis; cum plures animatorum species esse videamus; vtrum differant tantum specie; sed conueniant in vno genere vniuoco, an differant etiam genere, ita vt non conueniant nisi in analogo. qui sensus propositæ quæstionis manifeste explicatur in sequenti particula octaua vbi inquit. *Cauendum autem est vt non lateat, vtrum vna ratio ipsius est sicut anima animalis, an secundum vnumquodque altera vt equi, canis,*

Digitized by Google

canis, hominis, Dei; & cet. quapropter perperam iudicio meo in eo sensu accepit hæc verba Aristot. Hieronymus Pontanus alioquin insignis philosophus & prædecessor meus; in disputatione de immortalitate animi humani. quam ego iussu Illustriss. Card. S. Seuerinæ edendam curauit. Nec magis mihi refragantur alia adducta Aristotelis loca, quibus philosophus de separabilitate ambigere videtur; non enim propterea ambigit, quia de illius separabilitate disputationem suscepturus esset, sed quia ancipitem eius naturam considerabat, videbat enim eius substantiam non esse mixtam corpori & inorganicam esse, vt videbat illam in corpore operari; quapropter meæ sententiæ potius suffragantur. locus vero ex *3. de anima partic. 1.* eandem pariter confirmat, si enim ibi quæsitum hoc proponit Aristot. vt bene explicat Philoponus, scilicet de parte autem animæ, qua anima intelligit & sapit, siue separabili existente, siue non separabili secundum magnitudinem, sed secundum rationem; hoc est siue separabili existente à materia & corpore; siue non separabili re ipsa; sed secundum considerationem tantum: manifestum est Aristotelem quæstionem hanc excludere voluisse ab ea consideratione quam de anima humana habet in tertio illo libro quod clarum est ex modo loquendi; quæstionem etenim hanc, tamquam prætermittendam recenset, dum inquit; siue separabili existente; siue non separabili. qua prætermissa, subiungit postmodum ea quæ considerare intendit & inquit. considerandum est. quam habet differentiam & quomodo fiat ipsum intelligere; quod animaduertens Philoponus, dixit primum illud quæsitum dictum fuisse obiter, nos autem dicimus non solum fuisse dictum obiter, verum per quamdam præteritionem. neque vero potest colligi quod proposita sit hæc quæstio in his verbis: considerandum quam habeat differentiam, eo quod ibi proponens differentiam inter intellectum & sensum indagandam proponat etiam incorruptibilitatem, secundum quam differt intellectus à sentu; etenim non est hæc Aristotelis sententia in illis verbis vt existimarunt Philoponus, & alij quamplures: frustra enim hanc iterum proponeret considerandam differentiam, quam supra constituit in calce 2. libri, vel potius in principio tertij ex græcorum sectione. quare melius exponit Simplicius quod proponat his verbis inuestigandum quam habeat differentiam intellectus, hoc est quæ sint varie intellectus potentiæ & facultates; quod statim exequutus fuit; dum intellectus varias differentias rimatur, vt intellectum potentia, agentem, in habitu, in actu, speculatiuum, & practicum. Quare manifestum est, neque Aristotelem proposuisse hanc quæstionem disputandam ne-

que

que proponere debuisse vel potuisse. nō tamen dixerim omnino, quid ipse censeret reticuisse; suam etenim sententiam aperte in his libris protulit pro immortalitate & separabilitate; tamen non ex disputatione; sed ex ijs, quæ docuit de natura intellectus potentia qui humanus est & hominem constituit, quod minime alienum fuit à naturali consideratione, quamuis enim doceat eum esse immixtum & inorganicum & impassibilem, & locum specierum quæ attributa illi competunt, vt separabilis forma est; tamen docet eumdem esse potentia intelligibilia ac pati; & perfici ab intelligibilibus; quæ illi competunt quatenus in materia est & principium vitalis actionis in corpore; vt infra fusius monstrabimus; at ex disputatione, vt dictum est, minime dicendum erit Aristotelem quæstionem huiuscemodi definiuisse, neque enim quamuis de anima separabili quamplura docuerit, de eadem separata quicquam locutus est, vel antequam in corpore esse cœperit, vel postquam desijt; quæ potissimum declaranda fuissent ad exactam disputationis huiusce notitiam, ex quibus multa desumunt aduersarij argumenta aduersus immortalitatem; quibus satisfacere, & si hucusque impossibile visum fuerit, saluis Aristotelis principijs, aut etiam solo naturæ lumine, solutionem tamen me allaturum (Deo adiuuante) polliceor, & eam quidem non ex figmētis vanitatis vt hucusque plures, sed ex veris atque germanis, & si non adeo diuulgatis sed penitioribus & arcanis Aristotelis sensibus.

Aristotelem, multis in locis suam sententiam pro immortalitate animi disertis verbis exposuisse. ex quibus loca 10. Ethicor. cap. 7. & 8. *et* 4. de partibus animalium. cap. 10. *afferuntur, & expenduntur. Cap. V.*

CVM vero immortalitatem animi cum suis præceptoribus vbique locorum Aristoteles statuerit, nunc ijs ex locis eiusdem sententiam in re proposita explicare aggrediemur, quibus aperte locutum fuisse constat; & consulto; ac primum eius verba ex *10. Ethicorum cap. 7. & 8.* necnō *4. de partib. cap. 10.* cōsiderabimus; neq; vero aduersarij obijcere nobis possūt quod ex Extrarijs sint petita, nam & ad moralem

ralem philosophum consideratio de anima pertinet, cum non solum humana virtus ad animam, non autem ad corpus referatur; verum etiã & felicitas, animæ operatio appelletur, vt philosophus docuit *1. Ethicorum cap. vlt.* & ad eos libros, qui de partibus animalium sunt non minus pertinet sermo de anima, tum quia ad Naturalem non minus pertinet tractare de forma, quam de materia, imo magis; quare non solum de anima, sed magis de anima. tum etiam quia Naturalis est potissimum considerare finem, natura enim semper alicuius gratia agit, vt supra ex Arist. dictum est; finis autem & forma coincidunt in idem *Aristot.* igitur *10. Ethicor. cap. 7.* cum statuisset iam *cap.* præcedente, fælicitatem esse operationem secundum virtutem, inquirit ad quamnam hominis partem fælicitas pertineat, siue ex quanam hominis parte fælicitas proueniat, tamquam à principio quo (vt recentiorum philosophorum more loquar) & inquit, quod si fælicitas est operatio secundum virtutem, consentaneum est fælicitatem esse ex illa operatione hominis quæ est præstantissima, præstantissima autem illa est, quæ est ex optimo principio, hoc autem principium siue sit intellectus, siue sit aliquid aliud quod in homine secundum naturam dominari, ac principatum obtinere videtur, ac notitiam de honestis & diuinis rebus accipere; siue etiam diuinum quid ipsummet sit, aut diuinissimum omnium, quæ in nobis sunt: certum est huius principij operationem secundum propriam facultatem perfectam fælicitatem esse, quam esse contemplationem antea dictum fuit: quod & doctrinæ supradictæ consentaneum est & rei veritati; nam & intellectus eorum quæ in nobis diuinissimum quid est, vel etiam quid simpliciter diuinum, & eorum quæ cognitioni nostræ subsunt, quæ ab intellectu cognoscuntur maxime diuina sunt; & operatio intellectus omnium, quæ in nobis sunt operationum maxime assidua, ac perennis est ac iucundissima, ex quo philosophia mirabiles & puritate & nobilitate voluptates habere videtur. quas quidem voluptates veluti habitus non autem veluti dispositiones habentibus inesse consentaneum est, inest enim ipsis sufficientia ad propriam operationem & fælicitatem, quamuis enim tum qui viuit ex vita contemplatiua & operatione intellectus speculatiui, tum qui viuit ex vita actiua & operatione intellectus practici opus habeant ijs quæ necessaria sunt ad vitam, cuiusmodi sunt quæ ad alimentum & tegumentum requiruntur quibus omnes homines indigent; tamen ad operandum secundum propriam facultatem, cum homo, qui viuit ex vita actiua multis indigeat, solus qui viuit ex vita intellectiua & secundum operationem intellectus nullis indiget,

Digitized by Google

ac sibi solus satis est & sufficiens: nam & iustus etiam si abunde res suppetant & diuitiæ affluant, tamen non propterea fælix est ex habitu iustitiæ quem possidet, sed adhuc indiget populis subditis erga quos iustitiam exercere valeat, ita & temperanti præter virtutem temperantiæ opus est obiectis & illecebris siue potestate qua ex libidine cum possit circa voluptates diffluere & intemperanter viuere, tamen se contineat. pariter etiam & fortes oportet periculorum occasionem nanciscí quæ ob honestam causam, religionem scilicet vel patriam intrepide, & audacter subeant. at sapiens ipse hoc est qui ex habitu intellectus speculatiui, & ex contemplatione vitam degit. etiam si solus sit & absque aliorum adminiculo contemplari potest & suam perfectionem adipiscí, & eo magis quo magis sapiens fuerit, sociatus enim & aliorum ope adiutus fortasse melius contemplabitur hoc est commodius & maiori cum quiete. sed ad speculandum sufficientissimus sibi ipse solus est; præterea etiam contemplatio ipsa sola per se ipsam nec propter aliud expeti & amari videtur, nullum enim aliud emolumentum quisque ex contemplatione præter contemplationem ipsam consequitur, at ex agendis hoc est ex virtutum exercitio præter actionem ipsam, quæ est finis intrinsecus aliquid aliud nobis prouenit quod consequimur tanquam finem extrinsecum, siue plus siue minus, vt honorem, diuitias, gloriam, existimationem, & alia huiusmodi.

Videtur etiam & fœlicitas in otio esse, negocijs enim distringimur, vt otiemur, & bellum gerimus vt in pace degamus. Actiuarum autem virtutum operationes omnes negocioſæ sunt: aut enim in rei publicæ administratione versantur, aut in rebus bellicis, quæ non modo cum negocio & tumultu sunt verum etiam neque ex se ipsis expetuntur, nemo enim belligerare expetit propter bellum, nisi sanguinarius sit sed propter pacem, & vnusquisque rēpublicam administrat propter honores & gloriam sibi vel patriæ comparandam ac ciuibus, vel ob eam fœlicitatem, quæ à fœlicitate ciuili diuersa est, qualis est contemplatio. Cum igitur ex actionibus quæ secundum virtutes fiunt bellicæ & ciuiles pulchritudine & magnitudine excellant, hæ tamen & negocioſe sunt, & non per se ipsas, sed propter aliud expetendæ: reliquum est vt operatio secundum intellectum speculatiuum scilicet, præstantissima sit. Tum studio, contemplatiua etenim est non actiua; tum quia non propter aliud est sed propter se ipsam; tum etiam quia iocunda est, & nullius indiga sed sibi ipsi sufficiens & quieta, & quam maximè fieri potest perennis & minimum interrupta. quare

cum

Digitized by Google

cum hæc & quæcumque alia beato attribuuntur ex hac operatione, ſcilicet intellectus ſpeculatiui ſeu contemplatiui videantur exiſtere, dicendum eſt, quod perfecta hominis felicitas eſt hæc, ſcilicet operatio ſecundum intellectum ſpeculatiuum vbi vitæ longitudinem perfectam eſt. nacta, nihil enim eorum quæ ſunt fælicitatis imperfectum eſt.

Hæc cum Ariſtoteles dixiſſet de humana fælicitate; quæ conſulto volui fuſius, & vt dici ſolet per extenſum afferre, ne quis maneat latibuli locus, ſed omnia nuda & aperta ſint, tota explicata authoris ſententia; ſubdit præciſa verba,

Ac talis quidem vita præſtantior eſt, quam homini conueniat, non enim quatenus homo eſt ita viuet, ſed quatenus Diuinum quid in ipſo eſt. quanto autem id præſtat compoſito, tanto quoque eius operatio ab operatione diſtat, quæ ex virtute alia exſtit. Si igitur intellectus diuinum quid eſt, ſi ad hominem reſpiciamus, ſic vita quæ ex intellectu traducitur ſi humanæ vitæ comparetur diuinum etiam ipſa eſt. Neque vero oportet, quemadmodum nonnulli monent, vnumquemque, cum ſit homo humana, & cum ſit mortalis cogitare mortalia: ſed quatenus licet immortalem ſe reddere, omniaq. efficere vt ex præſtantiſſimo omnium quæ in ipſo eſt vitam traducat, nam licet id mole ſit paruum, vi tamen & pretio omnia longo interuallo excellit.

Quibus in verbis conſulto & ex proprio ſenſu prolatis, vt progreſſus totus ſermonis allati docuit, quidnã ſentiret de humano animo aperte Ariſtoteles prodidit. non ſolum enim præſtantiſſimum, verum etiam diuinum & immortalem appellauit. quod idem capite ſequenti ratione & argumento clarius docuit, cum enim monſtraſſet virtutes morales appellatas vt iuſtitiam, fortitudinem, & cæteras compoſiti eſſe & proprie humanas, ſubdit: *Mentis autem ſeparata eſt*, de ipſa enim hoc tantummodo eſt dictum, ex quo ita arguo. mentis humanæ operatio ſeparata eſt, ergo eius eſſentia ſeparabilis eſt, conſequens probatur ex eodem philoſopho *1. de anima partic. 13.* vbi inquit. *Si igitur eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria, continget vtique ipſam ſeparari, ſi vero nulla eſt propria ipſius non vtique erit ſeparabilis.* clariſſimum autem eſt idem eſſe dicere operationem ſeparatam & propriam. veluti enim operatio, quæ non eſt propria animæ, ſed communis animæ & corpori; atque omnino compoſiti operatio dicitur, minime ſeparata eſt à corpore; ita operatio quæ à corpore ſeparata eſt, propria etiam animæ appellatur. inquit vero Ariſtoteles de operatione mentis quod ſeparata ſit, hoc tantummodo dictum eſſe, hoc eſt ſuppoſitum ſiue aſſumptum fuiſſe hoc loco, ſed non probatum; nam exquiſite tractare hac de re maius eſt quam præſenti propoſito conueniat; tranſcendit enim

mora-

Digitized by Google

moralis considerationis limites; monstrauit autem & exacte prosecutus fuit *lib. 3. de anima*, vbi ostendit intellectum esse immixtum corpori & inorganicum, vt suo loco, Deo iuuante, dicemus. Hoc idem pariter attributum diuini. *Aristot.* intellectui tribuit non solum *2. de generatione animalium cap. 3.* vbi inquit: *Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat eaq. sola diuina sit*. quem locum infra fusius explicabimus, verumetiam *4. de partibus animalium cap. 10.* vbi reddens causam quare in homine pro anterioribus cruribus manus natura constituit. inquit:

A collo & capite crura priora pectusq. habentur, sed homo vice pedum priorum brachia & quas dicimus manus habet, solus enim animalium omnium erectus est; quoniam eius natura atque substantia Diuina est officium autem diuini est intelligere atque sapere, quod non facile esset si vasta corporis moles assideret; pondus enim tardiorem reddit mentem & sensum communem, quamobrem concretione & pondere grauiore opprimente corpora vergere in terram necesse est, itaque natura tutè consulens pro brachijs & manibus crura priora quadrupedibus subdidit.

Si igitur Diuinum Aristoteles intellectum hominis & putauit & dixit, nequaquam eundem caducum & mortalem existimasse suspicandum est.

Aduersariorum responsiones afferuntur & confutantur. Cap. VI.

NEQVE vero quamuis aperte adeo. Aristoteles intellectum & diuinum & immortalem prædicet; Aduersarij animum despondent quin pertinaciter mentem humanam mortalem statuisse Aristotelem tutari velint, sed quibusdam consideratis, eiusdem verba exponere conantur, ne sibi noceant. Petrus Pomponatius acerrimus post Alexandrũ Aphrodisæum mortalitatis assertor libri, quem aduersus immortalitatem animi de immortalitate eiusdem inscripsit *cap. 9.* & Simon Porcius libello de mente humana *cap. 15.* & Iulius Castellanus Fauentinus Portij assecla *lib. 3.* de humano intellectu *cap. 2.* & Zabarella tractatu de mente humana *cap. 9.* inquiunt non absolute & simpliciter, sed comparatiue & per participationem quandam Aristotelem humanum intellectum diuinum appellasse, ex quo minime deducendum eumdem esse immortalem cum & reliquæ animatorum animæ pariter diuinæ appellari possint, quamuis

gene-

Digitized by Google

generabiles & corruptibiles ſint, quinimo & omnis forma diuina ab Ariſtotele fuerit appellata, vt *1. phiſicor. partic. 81. exiſtente enim quodam Diuino & bono & appetibile aliud quidem contrarium ipſi dicimus eſſe, & cætera*, & *1. de partibus cap. 5.* vbi Heracliti dictum laudauit, qui neque caſæ furnariæ deos immortales deeſſe dixit, ac pariter ipſe neque in minimis & viliſſimis animalculis aliquid contemplandum & admirandum deeſſe pronunciauit; ſed in omnibus naturæ numen & honeſtum pulchrumq. ineſſe ingenium, quorum omnium certiſſima confirmatio habetur ex *Ariſt. 2. de generat. animal. cap. 3.* vbi philoſophus non de intellectu tantum, ſed de qualibet anima inquit. *Sed enim omnis animæ ſiue virtus ſiue potentia corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum quam ea quæ elementa appellantur, verum prout nobilitate, ignobilitateve anima inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt.* Siue igitur quia forma, & quælibet eſt bonum quoddã & dat eſſe, perficit, vt *8. phiſicor.* ſiue quia à cæleſti corpore producitur ac cæleſte vehiculum habet, vt hoc loco Ariſtot. dixit quomodocumque fuerit, forma quælibet, vt forma eſt diuina appellabitur, & ex his nobilior etiam diuinior, quare ex hoc attributo, veluti neque cæteras formas ſeparabiles licet arguere, ita & neque humanum animum, hæc aduerſarij. ex quibus diligenter examinatis atque conſideratis, tamquam ex ſcorpione veneni amuletum accipere licebit.

Nos profecto non ibimus inficias formam quamlibet, Diuinam ab Ariſtotele appellari vt forma eſt, & ea quidem ratione nullam argui incorruptibilitatem humanæ formæ ſiue intellectus, quod enim competit alicui ſpeciei ratione generis, non magis competit vni, quam cæteris ſpeciebus, ſed probabimus diuinitatem quæ tribuitur humano intellectui non tribui illi ratione generica & communi, ſcilicet vt forma eſt, ſed ratione ſpecifica & propria, ſcilicet vt talis forma nempe intellectus: ergo falſa prorſus ac vana eſt interpretatio verborum Ariſtot. quam aduerſarij afferunt. minor argumenti probatur ſi primo ſupponamus ea, quæ paulo ante diximus, de ratione qua omnis forma vt forma eſt ab Ariſtot. diuina appellatur. quod ſcilicet talis ratio duplex ſit, vna quatenus forma ſe habet ad materiam vt bonum & perfectiuum, nempe tribuens illi actum & exiſtentiam, quod quidem diuinitatem arguit, veluti enim materia cum ſit ens potentia imperfectiſſima eſt, & ſumme diſtat à Deo ita forma cum ſit actus perfectio eſt, & maxime diuinitatem participat; altera vero quatenus forma quælibet æthereum atque cæleſte corpus quoddam, veluti vehiculum ſeu vinculum, quo tamquam ſeminali quadam ratione caducis corpo-

ribus

ribus innaſcitur, participat, quod de animabus tantum *Ariſtot.* aperte pronunciauit loco citato *2. de generatione animalium*, & de omnibus formis docuit *Alexander 2. naturalium quæſt. cap. 3.* quod corpus quia diuinum ab Ariſtot. appellatur, eatenus & omnes formæ eius participatione diuinæ appellabuntur, atque veluti nobilitate, vel ignobilitate inter ſe differentes animæ diuerſimode hoc corpus participant, ita & magis vel minus diuinæ appellantur.

Hac duplici & non alia ratione quælibet forma, vt forma eſt quamuis generabilis & corruptibilis diuina dicitur, ac prout nobilior vel ignobilior fuerit, ita etiam magis vel minus diuina, ſed omnes ſub vna ratione analogata ita profecto appellantur. His ſuppoſitis conſiderandus eſt ſenſus Ariſtot. quo diuinam humanam mentem loco adducto pronunciauit, ac videbimus ipſum neque humanam mentem appellaſſe diuinam, eo quod forma ſit, neque eo quod corpus illud cæleſte & diuinum participet quo reliquas omnes animas participare in *2. de generatione animalium* dixerat. quinimo tantum abeſt vt ob hoc illam diuinam appellauerit, vt potius contrarijs ex cauſis hoc illi attributũ dederit. Si enim appellaſſet mentem diuinam, propterea quod mens forma eſt; tunc eius operationem appellaſſet diuinam quatenus eſt compoſiti. probatur ſequela; nam omnis operatio formæ quatenus eſt forma tribuitur compoſito, vt principio quod, non autem formæ, at Ariſtot. operationem hanc, quæ homini ineſt ob diuinam particulam; compoſito nequaquam tribuit, imo illam ad compoſitum pertinere negat; inquit enim cum de ſpeculatiua operatione ſermonem haberet.

Ac talis quidem vita præſtantior eſt quam homini conueniat, non enim quatenus homo eſt ita viuet, ſed quatenus diuinum quid in ipſo eſt, quanto autem id præſtat compoſito tanto quoque eius operatio ab operatione diſtat quæ ex virtute alia exiſtit. ergo certiſſimum eſt mentem humanam nequaquam appellaſſe diuinam, quatenus forma eſt, & omnis forma diuina dicitur vt aduerſarij expoſuerunt; ita enim eius operatio competeret homini vt homo eſt, quod Ariſtot. negat; ſed quatenus vere ac ſua natura, quid diuinum eſt immortale ſcilicet atque corruptionis expers, quod cum humanæ animæ ſit coniunctum tamquam potior atque ſuprema particula, qua anima intelligit & ſapit, inde etiam & homini participatur, tum ſecundum eſſentiam, tum etiam ſecundum operationem, at non quatenus homo eſt. homo etenim vt homo eſt ex corpore conſtat, & ex anima, quæ eſt actus corporis, at mens ipſa nullius corporis eſt actus, quamuis particula ſit animæ quæ eſt actus corporis, ac

propte-

Digitized by Google

propterea eius operatio nequaquam pendet à corpore, neque coniuncta est cum corpore; sed separata est à corpore, vt paulò infra idem Aristoteles dixit: ex quo pariter alterum deducitur, quod dicebamus nempe, neque ex eo potuisse ab Aristotele dici humanam mentem diuinam, quia diuinum corpus participat, vt aduersarij exponebant eum Aristot. eò dicat eius operationem diuinam, quia a corpore separata. quod si operationem, ergo & essentiam, vt *1. de anima part. 12.* & *2. de generatione animalium cap. 3.* patet igitur aduersariorum illam expositionem esse falsam & impossibilem, & Aristotelis sensum non modo deprauare, sed corrumpere, quod euidentius patet ex cæteris allatis authoritatibus, tum *2. de generat. animalium*, vbi disertis verbis solam mentem diuinam appellauit inter omnes animæ partes, quod nequaquam potuisset; si ceteras etiam diuinas existimasset, inquit enim, restat autem vt sola mens extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit; subiungit causam eò quod cum eius actione nihil communicat actio corporalis; sed cum actione cæterarum animæ partium communicat actio corporalis: ergo cæteræ non sunt diuinæ, iure igitur solam dixit mentem esse diuinam; & *4. de partibus cap. 10* cum de structura hominis, quatenus differt à cæterorũ animalium, loqueretur: hominis naturam propterea diuinam esse dixit, quia intelligit, & sapit: ergo non ratione generica, quæ competit omnibus formis; sed propria ac speciali quatenus mens & intellectus est competit menti humanæ esse diuinum & immortale.

Proponitur locus ex Aristot. 12. Metaphis. partic. 17.

Caput VII.

ALIVS locus, qui manifeste immortalitati fauet est ex *12. Metaphis. partic. 17.* ex communi Auerrois partitione, vbi Aristotelis toto eo capite, quod tertium est, probare instituit formam non generari, neque etiam materiã sed compositum; tum ex eo quia omnis generatio est cum transmutatione, & omne, quod transmutatur est aliquid, & ab aliquo in aliquod transmutatur. & ita in infinitum erit processus, si materia prima & forma generantur. Tum etiam quia omnis substantiæ generatio est ab vniuoco, tam in ijs, quæ generantur natura quàm arte, quàm casu, vel fortuna, in omnibus enim his ge-

neratio non est à forma separata; sed existente in materia, & ex consequenti à composito, compositum ergo est quod generat, & compositum generatur, tam in natura, quam in arte; homo enim hominem generat singularis singularem, similiter etiam & in artibus, medendi enim ars ratio sanitatis est; quod autem, tam ea quæ generantur à natura, quam ea quæ generantur ab arte à forma existente in materia generentur, probat, quia tam natura, quam ars sunt principium quod inest, ars quidem in alio, quia in mente artificis præexistit, qui separatum quid, & aliud est ab opificio, natura vero, in ipso, vt in semine, semen etenim principium coniunctum est genito. de ijs autem quæ casu & fortuna fiunt, eadem est ratio cum ijs quæ natura fiunt, aut arte, quia casus priuatio quædam est, & defectus naturæ veluti fortuna, quod præter intentum artis contingit. Constat igitur, quod in generatione cuiuslibet substantiæ compositum generatur & non forma, & in naturalibus patet; homo enim hominem generat, in artificialibus autem quæ constant ex partium coagmentatione; pariter est manifestum, in his enim cum forma sit accidens, non dicitur generari, neque corrumpi. quare non male dixit Plato, qui substantiarum tantum ideas ponit non autem accidentium. Hæc cum dixisset Aristoteles, tandem ex his colligit differentiam inter causam efficientem & formam, & quænam sit formæ natura statuit & decernit his verbis.

Causa itaque mouentes, tamquam antea orta existunt, quæ vero vt ratio simul sunt, cum enim sanus sit homo, tunc etiam sanitas est; & forma ænea sphera simul atque ænea sphera. Non enim forma superinducitur & aduenit materiei, tamquam quid actu præexistens vt de efficiente verum est, sed simul fit cum composito, dum emicat ex dispositionibus materiæ cuius est forma & actus. cum vero ex his sequatur, quod forma, veluti fit cum composito & incipit esse cum composito, ita pariter cum eodem desinat esse & corrumpatur: propterea considerandum proponit Aristoteles, vtrum hoc sit verum simpliciter de omni forma, an vero aliqua excipienda sit cum nihil obstet aliquam formam dari, quæ sit in corpore, quæ tamen non desinat esse cum corpore, cuiusmodi est anima, non omnis, sed intellectus, omnem namq. fortassis impossibile est; quæ vltima verba protulit aduersus Platonem, qui omnem animam in Phedro statuit immortalem: adiunxit autem fortassis ob reuerentiam erga præceptorem. hanc vero sententiam ita à nobis explicatam; his præcise verbis Aristoteles expressit, vt in antiquo codice Basileæ impresso legimus.

εἰ δὲ ὕστερόν τι ὑπάρχει ὃν ἐνδέχεται. ἐνίοτε γὰρ δόξει κωλύειν.

εἶναι

εἰδος, εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον. μὴ πᾶσα, ἀλλὰ νοῦς. πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον ἴσως.

Hoc eſt, *ſi vero poſterius aliquid permanet conſiderandum, in quibuſdam enim nihil impedit; veluti ſi anima tale ſit, non omnis ſed intellectus, omnem namque impoſsibile fortaſsis*, quæ ſententia cum ijſdem concordat, quæ alibi *Ariſtot.* docuit, & fuſius explicauit, nempe *2. de anima partic. 2.* vbi inquit. *Quod igitur non ſit anima ſeparabilis à corpore, aut partes quædam ipſius, ſi partibilis nata eſt non immanifeſtum, quarumdam enim actus partium eſt ipſarum. At vero quaſdam nihil prohibet, propterea quod nullius corporis ſunt actus.* & ita in; eſſe non pendent à corpore, quod pariter docuit *1. de anima partic. 92.* vbi inquit difficile eſſe etiam fingere partem corporis, quam intellectus occupet, & *3. de anima part. 4. & 6.* vbi inquit intellectum eſſe immixtũ, vt ſuo loco fuſius dicemus, quod ſi intellectus non eſt actus vllius corporis, vel alicuius partis corporis, & immixtus eſt corpori; ergo nihil prohibet intellectum remanere poſt corpus, ſolæ enim illæ formæ deſinunt cũ corpore, quæ ſunt mixtæ corpori, & pendent à corpore. quare cum intellectus ſit particula animæ, nempe, qua anima intelligit & ſapit, & anima ſit forma corporis; iure merito poſtquam hic determinauit philoſophus, nullam formam ante exiſtere; ſed vnamquamque ſimul eſſe cum eo, cuius eſt forma conſiderandum propoſuit, an aliqua forma poſterius compoſito maneat: atque cum inueſtigandum id propoſuiſſet de anima inter cæteras formas, dicens *veluti ſi anima tale ſit*, tandem aperte ſuam ſententiam proferens, cum id negaſſet de omni anima id tamen aliqua animæ particula, nempe de intellectu certiſſime affirmauit. Neque vero ſibi hic Ariſtoteles contradicit, & in *2. de generat. animalium cap. 3.* vt timuit Pomponatius, quinimo eamdem ipſiſſimam ſententiã quam ibi fuſius & clarius docuit hic preſſius enuntiauit: quamuis enim hic dicat formam non prius eſſe, quam compoſitum, ibi autem dicat mentem, ſiue intellectum extrinſecus aduenire, quod neceſſario ſupponit etiam prius eſſe; & quamuis ſtatuat *1. de Cælo*, quod id, quod non deſinit eſſe; nec incipit eſſe; hic autem ſtatuat intellectum non deſinere eſſe cum compoſito, & incipere eſſe cum eodem; Tamen ſi recte Ariſtoteles intelligatur vbique ſibi ipſi concors, & vnanimis inuenietur, pro qua re vnum nunc mihi ſupponendum ſtatuo, quod infra ſuo ſcilicet loco, Deo iuuãte ex Ariſtotele fuſius probabimus: prius tamen doctos atque accuratos lectores monitos velim, ne ex dicendis exiſtiment, me in eam ſententiam concedere quæ Themiſtio, aut Simplicio tribuitur, & quæ Auerrois fuit; quod intellectus ſcilicet vnaquædam ſubſtantia ſeparata exiſtens, omnibus hominibus aſſiſtat, ac

veluti intelligentiæ reliquæ suum orbem, ita hic intellectus humanam speciem gubernet; longe enim contraria est hæc sententia illi quam ego puto Aristotelis fuisse; Intellectum namq. ego censeo cum Aristotele esse ad numerum hominum multiplicatum, atque tribuere singulis hominibus esse, non tantum operationem, veluti initio polliciti sumus ostendere, quæ quamuis saluis omnibus Aristot. principijs paradoxa videantur, tamen, Deo iuuante, plane probabimus libro tertio. vt igitur vnde discessimus reuertamur dico; quod Aristoteles aliquando sumit intellectum humanum, prout intellectus est, hoc est quoad eius substantiam & absolute. Aliquando vero sumit intellectum prout est particula animæ & respectiue, prout perficit hominem & est vltima perfectio humanæ animæ, qua adepta homo constituitur inesse hominis. primo modo, consideratus intellectus, cum nullo pacto respiciat materiam & corpus; sed in se ipso manens intelligatur, vel in suo fonte, à quo manat, veluti radius in corpore lucido, antequam sit diaphanum, in quod producitur, neque vmquam incipit esse, neque vmquam desinit esse ex Aristotele. secundo autem modo, consideratus intellectus quatenus pars est formæ, quæ materiam perficit, ita non est ante corpus; sed simul fit cum composito animato, si enim intellectus talis, est particula animæ, & anima simul cum corpore generatur ex Aristotele, nec præexistit corpori, ergo intellectus non prius est particula animæ, quam anima simul genita sit cum corpore, veluti enim lumen quod est actus diaphani, non prius est actus diaphani quã sit corpus diaphanum, quamuis sui natura lumen esset antea in corpore lucido; & ideo diaphano aduenire legitime dici possit; Ita & intellectus ex Aristotele non prius humanus intellectus dicitur quo homo constituitur inesse hominis anima sensitiua, quamuis antea in seipso esset intellectus, & ita embrioni post adeptam animam sensitiuam aduenire apud Aristotelem absque contradictione vlla, vel discrepantia, *2. de generat. animalium* dicatur. Hanc vero distinctionem de duplici modo considerandi intellectum, non modo non esse recentem, ac meo marte excogitatam, vel etiam Platonicum figmentum, vt aliquis calumniari posset, non solum inde apparet quod apud antiquissimos peripateticos, & eos quidem græcos, & inter ceteros longe principes ipsam frequenter est legere; vt suo loco fusius docebimus; verum etiam ex eo, quia ipsum met Aristotelem eadem vsum fuisse constat, tum *2. phisicor. partic. 26.* vbi inquit: *& circa ea quæ sunt separabilia quidem forma; in materia; homo enim hominem generat & sol quomodo autem se habeat hæc separabilis, & quid sit. philosophiæ prima officium determinare.* quibus verbis

bis nihil clarius ad hanc distinctionem statuendam. certum enim est hic non loqui nisi de intellectu humano, solus enim intellectus humanus est, qui cum sit separabilis forma, siue essentia, tamen in materia est; quare ita consideratus pertinebit ad naturalem; consideratus autem vt separatus est, & in sua substantia, pertinet ad metaphisicum. duplex igitur modus est considerandi intellectum, vt dictum est. & 1. *de partibus cap. 1.* ex eadem distinctione statuit ad philosophum naturalem non pertinere tractare de intellectu, vt luculenter alias monstrauimus in nostris commentarijs super libris de anima. Constat igitur, ni fallor, non solum Aristotelem sibi non aduersari hoc loco, & 2. *de generat. animalium*, vt Pomponatius asserebat, verum sibi maxime concordare, ibi enim colligebat intellectum extrinsecus aduenire, quia cum actione intellectus non communicat actio corporalis, quæ consideratio intellectus, est consideratio intellectus, vt intellectus est, siue, vt abstrahit à materia; & hoc loco pariter cum decernit intellectum remanere post, eadem ratione id decernit, nempe quia nihil prohibet, aliquas formas esse sine corpore, cum non sint actus alicuius corporis, vt 2. *de anima*, scilicet qualis est anima, non quidem omnis, sed intellectus. quatenus tamen intellectus est, & non est actus corporis ac nullo modo respicit corpus, at quatenus est pars animæ, quæ est actus & forma corporis, eatenus non præcedit corpus, sed simul est cum corpore animato, cum simul participetur corpori cum anima, vt antea dictum est, ac ita consideratus, veluti simul est cum corpore, & incipit esse cum corpore; tunc primum enim incipit esse intellectus potentia, & possibilis, siue passiuus, ac veluti tabula agrapha; & omnino potentia omnia intelligibilia; ita pariter desinit esse cum corpore, cum enim separatus est à corpore, amplius non intelligit cum phantasmate, ac propterea desinit esse intellectus potentia & passiuus, quod optime significauit philosophus 3. *de anima part. 20.* vbi inquit: *non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile est, passiuus vero intellectus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit anima.* quem locum exponens Simplicius inquit, quod Aristot. veluti opponens ad id quod dixerat; intellectũ agentem esse immortalem & sempiternum, dubitat, quomodo non reminiscimur ea, quæ ante nostrum ortum, aut generationem euenerint; si ab æterno intellectus præexistebat; hanc vero oppositionem soluit dicens, quod propterea non reminiscimur, *quia proueniens quidem in ellectus, hoc est agens impassibilis est, & iccirco immortalis, passibilis vero corruptibilis, quatenus passibilis quemadmodum dixeram.* dixerat autem & explicauerat latius paulo supra his verbis. *Cur autem hoc solum immortale est?*

an quoniam ſubiungit manifeſte paſsibilem intellectum corruptibilem eſſe? ſed dubitare poſſet, aliquis quomodo cum & ille intellectus ſit, corrumpitur, ſi vel ille immaterialis eſt? ſtatutum namque fuit, omnem intellectum ſine materia eſſe, & ea quidem ratione quoque omnem quidem intellectum intelligibilem eſſe, at non è conuerſo immaterialem formam, quæ ſit intelligibilis intellectum eſſe. An paſsibilis intellectus materialis erat & poteſtate & hoc ipſum paſsibilis & imperfectus intellectus; id totum exiſtens, quantiſper paſsibilis ſit: & iccirco etiam corruptibilis eſt quatenus paſsibilis exiſtit. & paulo infra declarans modum, quo hic intellectus corruptibilis dicitur ſubdit: *Adeo vt paſsibilis intellectus corruptio, ſit non receſſus ille in non ens, ſed contractio in id, quod præſtantiori modo eſt cum animata illa ſeparata ſubſtantia in ſeipſam quoque illam reuocet, quæ ad extra prouenit, quæ non amplius prouenit, ſed in ipſo manere tamquam in cauſa ſtat: paſsibilis igitur intellectus, quatenus paſsibilis; eſt corruptibilis.*

Hæc Simplicius ſuper *partit. 20. 3. libri de anima*, cuius poſtremum dictum aptiſſimis exemplis declarari poteſt, tum animæ noſtræ tum luminis, veluti enim, cum alicui præciditur aliquod membrum nempe brachium, anima, quæ inibi erat, non abit in nihilum, ſed deſinit ibi animare, ac ſe recipit in ſe ipſam. & veluti lumen, cum opponitur aliquod opacum non perit; ſed deſinit illuminare, & in corpore lucido ac in ſeipſo manet, ita intellectus poſſibilis corrupto homine ex hac Simplicij doctrina non abit in nihilum; ſed deſinit informare, ac deſinit eſſe intellectus potentia, non autem ſimpliciter & abſolute; ſed iam ſatis ſuperq; digreſſi ſumus. Aperte igitur iam monſtratum eſt Ariſtotelem hoc loco, conceptis verbis intellectum humanum immortalem dixiſſe, ac nihil ſibi vel ſuis principijs repugnans ſtatuiſſe. Neque vero labefactat noſtram doctrinam inſtantia, quam affert Portius aduerſus datam diſtinctionem, *libello de mente humana cap. 8. & cap. 21.* vbi inquit, quoſdam craſſioris ingenij, & minoris eruditionis his verbis ſiue hac diſtinctione vſos, partes Auerrois ſe tutari poſſe exiſtimaſſe: dum dicunt intellectum duas pati rationes, vnam, vt eſt noſtra forma, quamq; obtinet, quamdiu nobis vnitur; Alteram, vt eſt intellectus. aſſerunt igitur intellectum manere poſt, vt intellectus; ſed deſinere vt eſt ratio formæ; corrupto enim Socrate intellectus non eſt amplius forma Socratis; ſed hanc reſponſionem ſuperius refutaſſe, quippe quia ad relationem non terminatur corruptio. præterea propoſitum eſſe philoſopho probare rem ipſam, quam formam dicimus non præcedere illud, cuius forma eſt pars, quare cum dicit intellectum remanere; loquitur de ipſa re, quæ eſt forma intellectiua. nullo igitur modo de habitudine differit. Hæc Portius, quæ pariter attulerat ſupra

cap. 8.

Digitized by Google

cap. 8. vbi aliam affert instantiam, nempe, quod si hæc distinctio esset vera proculdubio Aristoteles diffiniens animam non rem, quæ est anima diffiniuisset; sed solum respectum & habitudinem, quam habet ipsa ad corpus. quare videndum esset in qua philosophiæ parte tractasset de re ipsa, quæ est anima, cum sit philosophiæ naturalis munus vt de re ipsa ac de substantia animæ differat. Ad quæ dicimus; primum, non esse hæc inuenta hominum crassioris ingenij, ac minoris eruditionis, neque ad tutandum Auerroem, vt Portius male obloquitur: est enim allata distinctio Simplicij viri grauissimi & acutissimi; neque ad tutandum Auerroem; sed potius contra Auerroem, cum hæc doctrina statuat intellectum possibilem considerari, & esse formam hominis; vt ipsemet Portius; suis verbis fatetur, quod Auerroes plane negat; sed hoc minime aduertit Portius quod vero absurdum infert, nempe corruptionem ad relationem terminari, prorsus à nobis & à quolibet, vel leuiter imbuto philosophiæ dogmatibus negabitur; veluti enim in generatione, cum generatur compositum & incipit esse forma, simul aduenit formæ quædam relatio, qua refertur ad id, cuius est forma tamquam altera pars essentialis eius cuius est forma, tamen non propterea sequitur, quod terminus generationis sit relatio, cum generatio, intrinsece terminetur ad substantiam non autem ad relationem; id enim, quod generatur est compositũ, non autem relatio, quæ non aduenit composito; sed formæ, & hoc quidem posterius, prius enim natura est, vt forma constituat compositum, tamquam actus potentiam perficiens, ac deinde illi aduenit vt consideretur, tamquam quid relatum ad materiam, vt perfectiuum ad perfectibile. Ita pariter in corruptione, quamuis non corrumpatur forma, vt in interitu hominis, tamen non corrumpitur relatio, sed compositum substantiale, nempe hic homo, qui constituebatur inesse hominis non solum specifico; verumetiam indiuiduali per gradum intellectiuæ, vt philosophus docuit *2. de generat. animalium cap. 3.* quare instantia Portij bene concludit aduersus Auerroem, & eius sectatores, qui statuunt intellectum non tribuere esse animatum corpori; sed illi vniri tantum per operationem, quod nihil aliud esset, quam vniri corpori per aliquod contingens, vt bene Auerroem vrget *S. Thomas 2. contra gentes*, & alibi sæpe. At contra nos, qui ex Aristot. statuimus intellectum esse particulam animæ ac formæ informantis hominem; ac tribuere homini esse specificum, & etiam, vt sit talis homo: nihil argumentum concludit, & protinus est inane. neque vero negamus Aristotelem in phisicis semper diffiniuisse animam, & quamlibet partem animæ, vt refertur ad

corpus, neque vnquam definiuiſſe eam aliter & iure, quod patet ex 2. *de anima cap. 1.* vbi inueſtigans genus animæ, illud repoſuit in genere actus, actus autem ſemper refertur ad potentiam; ita enim ibi acceperat actum, vt eſt altera pars compoſiti, quod conflatur ex potentia & actu, & in definitione cõmuni animæ illam definiuit entelechiã corporis phiſici organici, quod non ſolum dicit habitudinem; verumetiã habitudinem eſſentialem, & inſeparabilem ad corpus; & in definitione ſpecifica ac partiali *eodem libro cap. 2. partic. 24.* pariter omnem animam, ſiue omnem animæ partem etiam intellectiuam ex habitudine ad corpus definiuit. inquiens: *Anima autem, ideſt, quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primo.* nec propterea vllum ſequitur abſurdum, hoc enim peculiare eſt naturalis philoſophi munus, formam quamlibet non niſi in materia conſiderare, vt 2. *phiſic. partic. 26.* ſupra citata: ac propterea non concedimus Portio quod aſſumit, nempe in hoc loco 12. *metaphiſic.* propoſitum eſſe philoſopho probare, quod res, quæ eſt forma non præcedat id, cuius eſt forma; ſed dicimus ex Ariſtot. ſententia rem ipſam præcedere, quemadmodum & manet poſt. At quatenus eſt forma, hoc eſt principium eſſentiale compoſiti eatenus non præcedere quemadmodum nec manere formam poſt compoſitum; ex quo fit primum eſſe compoſiti, quod eſt generatio, & primum non eſſe quod eſt corruptio. alias enim non ſolum hic & alibi, verumetiã hoc eodem loco philoſophus ſibi apertiſsime, & in euitabili contradictione contradixiſſet, quam contradictionem optime animaduertit Pomponatius, ſed non ſoluit, cum rei veritate, ſi aliter explicetur ſit inſolubilis.

Proponuntur aduerſariorum reſponſiones, & confutantur.
Caput VIII.

AD hæc & ad locum ex Ariſtot. aduerſarij multis modis reſpondent. primum Alexander Aphrodiſæus Auerroe referente *12. metaphiſicor. comment. 17.* (dixi autem Auerroe referente, quia commentarij qui ſub nomine Alexandri in Metaphiſicam circumferuntur ex hoc maxime redarguuntur, quod non ſint dicti Alexandri, quia in expoſitione huius loci, ipſorſi author citra controuerſiam; animi immortalitatem affirmat, quam tantopere & adeo pertinaciter Aphrodiſæus

ille

ille oppugnauit) Alexander igitur Aphrodiſæus, cuius commentaria in Metaphiſicam apud nos non extant, apud Auerroem ita explicat hunc locum, vt verba Ariſtotelis intelligenda ſint de intellectu adepto non de intellectu potentia, vt verbis Auerroes vtar, hoc eſt de intellectu agente, quem dixit Alexander eſſe Deum, non autem de intellectu potentia qui eſt in homine, & dicitur intellectus humanus, non autem ſimpliciter intellectus. Hanc, ſiue Alexandri ſit, ſiue Alexandro attributa, ſententiam, neque Pomponatius ſequutus fuit, neque Portius ſimpliciter probare auſus eſt, vt infra videbimus. cum adeo aperte abſurda ſit, & à mente Ariſtot. aliena, manifeſte etenim Ariſt. de illo intellectu loquitur, qui eſt forma, & quiditas hominis, comparans enim cauſas, & principia compoſiti inter ſe, inquit efficientem cauſam præcedere ſuum effectum, at formam non præcedere, ſed ſimul eſſe, cuius occaſione proponit alterum quæſitum de eadem forma, vtrum eadem forma de qua dictum eſt, quod non ſit ante id, cuius eſt forma maneat poſt; cui reſpondet affirmatiue propter animam, quã uis non de omni, ſed tantum de intellectu id verum eſſe dicat; ſed intellectus agens, vt illum ſtatuit Alexander ad mentem Ariſt. non poteſt eſſe forma; cum intellectus agens non ſolum ſit actus ſimplex, qui nullo modo eſſe poteſt pars compoſiti & forma; verumetiam ſit Deus ipſe; ergo de intellectu agente minime hic loqui potuit Ariſtoteles, ſed de illo intellectu qui eſt forma hominis, & quiditas, quæ conſtituit hominem. Simon Portius *cap. 21.* ad hunc locum mixtam affert reſponſionem, vnam vt aliqui putarunt ex Scoto, alteram vero ex Alexandro, ex Scoto quod Ariſtoteles nihil certi locutus fuerit; ſed dubitatiue tantum ad vulgatam de animæ humanæ immortalitate opinionem reſponderit. ita autem inquit Portius. *proinde expedit hoc pacto verba philoſophi explicare, quod hic philoſophus vt Platonis ſententiam, qui ideas, formales ac efficientes rerum cauſas exiſtimabat è medio tolleret inquit, hæc non poſſe ſimul ſubſiſtere, quod vna met res ſit forma, & mouens, ad vnum & idem comparata, & rationem ſubijcit, mouens enim motum præcedere neceſſum eſt, ſed formam ſimul oportet eſſe cum compoſito, cuius eſt pars; porro ſimul eſſe, & præcedere nullo pacto conueniunt, tacitéq; difficultati, quæ ijs dictis ſe ingerere videtur occurrit; quaſi ex communi hominum conſenſu conſtet aliquam animam remanere poſt. quare formam non ſemper ſimul eſſe cum compoſito. Cui ſatisfacit dubitando, quia res non erat apud omnes certa, nec ei explicanda erat hic idoneus locus, & inquit, an aliquid poſt noſtrum obitum remaneat ſuo loco conſiderandum eſt: hoc tamen interim certum eſt, non omnem animam ſuperſtitem eſſe, vt vegetalem & ſenſitiuam, ſed ſi aliqua ſupereſt illa erit intellectus*; quibus verbis aperte Portius eam reſpon-

reſponſionem ſequutus eſt, quam recenſuit *Scotus in 4. ſententiarum diſt. 43. quæſt. 2.* dico quam recenſuit Scotus, non autem probauit neque ſequutus fuit, vt falſo aliqui illi impingunt, vidit enim Scotus falſitatem huius reſponſionis; conditio enim illa dubitatiua, fortaſsis, non cadit ſuper intellectu, vt fuſius præcedēte capite expreſsimus ex Græco codice, nec minus cadit ſuper intellectu conditio dubitatiua. ſi. ſed vtrumque cadit ſuper anima; inquit enim philoſophus, *in quibuſdam enim nihil impedit, veluti ſi anima tale ſit, non omnis, ſed intellectus omnem namq; impoſsibile fortaſsis.* quod merito dubitauit de anima, & de omni anima propter Platonem, qui etiam vegetalem & ſenſitiuam viſus fuit immortalem ſtatuere, vt in phedro; hæc autem ſunt verba Scoti eo in loco. *Ad illud de 12. metaphiſ. dicitur, quod Ariſt. ponit ſub dubio & dicit forſan, ſed non dicit forſan ad iſtud quod intellectus manet poſterius, ideſt poſt tatum, ſed non omnis anima ſed intellectus, & ſequitur omnem namq; impoſsibile forſan; vbi dubitat an poſsibile ſit omnem animam manere poſt compoſitum; ſi ergo expreſſe aſſerat poteſt dici, quod tamen non fuit per rationes neceſſarias demonſtratum, ſed per rationes probabiles perſuaſum.* Ex quibus verbis, liquido patet, Scotum improbaſſe, & iure merito illam reſponſionem aduerſariorum, & quamuis initio eiuſdem paragraphi, volens reſpondere ad authoritates philoſophi, quæ afferuntur pro immortalitate animi, dixerit dubium eſſe, quid philoſophus circa hoc ſenſerit, cum varijs loquatur in varijs locis, & habuerit diuerſa principia, ex quorum aliquibus videtur ſequi vnum oppoſitum ex alijs aliud, vnde probabile eſt, quod in illa concluſione ſemper fuerit dubius, ita vt aliquando magis acceſſerit ad vnam partem, aliquando vero ad aliā, iuxta quod tractabat materiam vni parti conformem magis, quam alteri, vt Scotus loquitur, tamen huic reſponſioni non acquieuit; ſed alteram attulit dicens. Eſt & alia reſponſio realior, & cetera quæ apud ipſum eſt legere: quinimo cæteris non obſtantibus, abſolute & ſimpliciter, paulo infra Scotus aſſeuerat, Ariſtotelem allatis verbis ſtatuiſſe animū humanum immortalem, ita enim inquit, *nec poteſt ipſe vt videtur ſecundum principia ſua ponere intellectiuam eſſe terminum agentis naturalis, quia vt patet ex 12. metaphiſ. ponit eam incorruptibilem, & nulla forma, quæ eſt terminus agentis naturalis eſt ſimpliciter incorruptibilis.* hæc Scotus, quibus ſuppoſitis ſoluit etiam inſtantias, quæ afferuntur contra hanc veritatem, paret igitur prædictam reſponſionem non modo eſſe inutilem, & ab Ariſtotelis verbis diſſentientem; verumetiam nouam & à magnis viris improbatam, illamq; tantum à Portio & alijs eiuſdem farinæ fuiſſe ad ſubterfugium excogitatam. Alteram quoque idem affert non omnino

eamdem

eamdem cum illa (quam vt diximus ſupra, refert Auerroes in expoſitione huius loci fuiſſe Alexandri) nempe quod hic Ariſtoteles non de intellectu humano, ſed ſimpliciter de intellectu loquutus fuerit, intellectum autem non intelligit mentem prorſus à corpore ſeparatam; cuiuſmodi eſt intellectus ille actu ſeu agens; Deus ſcilicet & beatæ mentes: quapropter inquit Portius hanc aſſertionem Ariſtotelis eſſe de intellectu in confuſo non autem de tali vel tali intellectu, ac propterea immortalitati humani intellectus non ſuffragari, hæc autem ſunt Portij verba loco prædicto. *Et in confuſo modo accipit intellectum, non explicans an de vero intellectu, qui eſt intellectus in actu, vel de intellectu potentia loquatur, quoniam hic non erat vt dixi aptus locus, atque ea propter dixit eſſe conſiderandum quoniam ſcilicet nomen intellectus ambiguum ſit.* Sed hæc reſponſio non minus inepta eſt, quam prior; ſi enim dicatur hic ſumi intellectum in cõfuſo ſiue in vniuerſali, falſum eſt, cum intellectus in vniuerſum acceptus non ſit forma, non enim omnis intellectus eſt forma, quinimo hoc ex accidente competit intellectui vt intellectus eſt, cum melius ſit illi eſſe ſine corpore, quam cum corpore, vt *1. de anima* Philoſophus dicebat: quare non de intellectu in confuſo, vt Portius exponit, ſed de intellectu potentia, & humano dicendum eſt fuiſſe Ariſtotelem loquutum. *Petrus Pomponatius lib. de immortalitate animæ cap. 9.* cum improbaſſet Alexandri reſponſionem, aliam ipſe attulit, inquiens, verba Ariſtotelis intelligi de per ſe, & non per accidens, hoc eſt de intellectu, quatenus eſt intellectus, non de intellectu, quatenus eſt humanus, hæc autem ſunt eius verba: *Et quod dicitur de textu 17. 12. metaphiſicæ non approbo Alexandri reſponſionem, quam ibi refert commentator ex relatione Themiſtij, illud ſcilicet intelligi de intellectu agente, nam intellectus agens non eſt forma hominis, ſed intelligitur de intellectu poſsibili, qui quandoque intelligit, & quandoque non; corrumpitur enim quodam interius corrupto, ideſt ſenſitiuo cui identificatur, verum Ariſtot. illud intelligit de per ſe, & non per accidens, quaſi dicat nihil prohibere eum manere, qua intellectus eſt, non qua humanus.* Quæ reſponſio quamuis eadem prorſus ſit cum illa, quam attulit Portius, peculiariter tamen à nobis impugnabitur, & primum tali pacto: ſi Ariſtoteles inquit intellectum, qua intellectus eſt poſt compoſitum remanere, aut intellectũ ſumit pro intellectu vniuerſali, & quatenus mente concipitur, ſiue ens rationis eſt, vt dicitur, aut pro intellectu reali, qui vere intellectus eſt etiam nullo cogitante: ſi pro intellectu vniuerſali, tunc falſum eſt, quod tamquã forma maneat poſt; vniuerſale enim vt *1. de anima part. 8.* aut nihil eſt, aut poſterius eſt, hoc eſt in mente tantum; ſi autem pro intellectu reali cum intellectus realis ſit talis intellectus, nempe aut hominem

minem perficiens, aut omnino à materia seiunctus, & hic de intellectu à materia seiuncto non loquatur Aristoteles, sed de intellectu qui est forma, vt supra statutum est, necessarium erit dicere, quod de intellectu humano suam sententiam protulerit; sed hic video aliquem pro Pomponatio dicere. verum profecto est quod Aristot. hic de humano intellectu sermonem habet, at non quatenus humanus est, sed quatenus intellectus; humanus etenim intellectus sensui coniunctus inseparabilis est, cum à corpore pendeat saltem obiectiue; intellectus autem vt intellectus est nullo modo pendet à materia, neque à quãtitate, quare separabilis est. Sed in hac responsione aperte sibi Pomponatius contradicit & impossibilia loquitur; sibi ipsi cõtradicit, quia initio eiusdem capitis conclusionem statuit, nempe quod intellectiuum in homine est simpliciter mortale, & secundum quid immortale; paulo autem supra in eodem capite decreuerat, vt dictum est, intellectum, vt intellectus est nullo modo pendere à materia, nec à quantitate quæ sunt eius præcisa verba. ex quo sequitur eumdem esse seoparabilem & immortalem. ex his igitur ita arguo; quod est quatenus ipsum tale; est necessario tale ex 1. *posterio. partic. 36.* iuxta Auerrois sectionem, & ratio est, quia tale prædicatum competit subiecto ex natura subiecti, sed intellectus est, quatenus ipsum immortalis, quia vt confitetur Pomponatius, vt intellectus est; à materia & quantitate non pendet; ex quo sequitur intellectum, vt intellectus est, esse incorruptibilẽ: ergo intellectus necessario est incorruptibilis: quod si necessario est incorruptibilis ergo impossibile est aliquo modo esse corruptibilem, probatur sequela; quia necessarium non esse, & impossibile esse, sunt idem. ergo cum dicit intellectum: vt intellectus est, remanere post, & esse incorruptibilem, negat illum posse aliquo pacto esse corruptibilem, quod contradicit alteri positioni, in qua statuit, humanum intellectum esse per se corruptibilem, scilicet quatenus humanus est & sensui coniunctus, ita enim intellectus, vt intellectus esset aliquo pacto corruptibilis, scilicet vt sensui coniunctus, & ita non esset impossibile, eum esse corruptibilem; non solum vero sibi ipsi contradicit Pomponatius; verum etiam absolute impossibilia statuit; supponit enim & probat non tantum prædicto capite, verum etiam præcedentibus, eamdem in homine esse substantiam sensus & intellectus, & vt verbis ipsius vtar, identificari in homine sensitiuum cum intellectiuo. quare ita arguo: intellectus vt intellectus, est incorruptibilis simpliciter; sed intellectus cum sensu coniunctus est intellectus vt intellectus; probatur minor, quia intellectiuum & sensitiuum in homine identificantur, ex Pomponatio

quare

Digitized by Google

quare cum ſenſus ſit eadem ſubſtantia cum intellectu, ſenſus erit ſimpliciter intellectus, & ita intellectus humanus erit intellectus vt intellectus; ergo intellectus cum ſenſu coniunctus eſt ſimpliciter incorruptibilis atque ita intellectus humanus, vt humanus erit ſimpliciter incorruptibilis ex eodem Pomponatio, & non corruptibilis; impoſſibile enim eſt, vnam & eamdem numero ſubſtantiam, & formam eſſe corruptibilem & incorruptibilem vllo pacto, cum corruptibile & incorruptibile differant plus quam genere. quare etiam è conuerſo ita argui poteſt. ſenſitiuum eſt corruptibile, & per ſe, & ſecundum accidens, quod manifeſtum eſt, quia educitur de potentia materiæ, & eſt virtus corporea, cum indigeat organo corporeo; ſed ſenſitiuum & intellectiuum in homine identificãtur; ergo intellectiuum in homine eſt corruptibile, & per ſe, & ſecundum accidens; & ita intellectiua anima, ſiue humanus animus erit ſimpliciter & omnino mortalis & corruptibilis, vt reuera ſenſit in doctrina Ariſtot. Pomponatius: diſtinctio autem quam attulit, prorſus inanis eſt, ac dialectica quin imo potius ſophiſtica, non autem veritati accommodata, & ad euitandum mucronem huius authoritatis, & aliarum, quo ſe omnino iugulari & confici videbat. Dicendum igitur eſt in hoc loco Ariſtotelem apertiſſime, ac diſertis verbis immortalitatem intellectus humani ſtatuiſſe, quod optime norunt antiquiores ac priſci peripatetici, vt Alexander Aegeus, Neronis Cæſaris præceptor, qui in expoſitione huius loci; nempe *commento 9. 12. metaphiſicor.* non alio modo quam nos Ariſtotelem fuit interpretatus. Hæc autem ſunt verba. *Caterum inquit, vtrum formæ ſeparatæ maneant, & poſt ſeparationem perſiſtant, nec abeant in nihilum, magna quæſtio eſt, in quibuſdam tamen nihil prohibet; nam cum animantium anima ſit forma, nihil obſtat, quominus anima quepiam, vt intellectus, ſine anima rationis compos maneat, expertes enim rationis mortales ſunt; quamobrem adiecit fortaſſe.* Hæc Alexander ille Aegeus (vt dixi) Neronis Cæſaris præceptor, non enim Cõmentaria quæ in metaphiſicam Ariſtotelis circumferuntur Alexandri Aphrodiſæi ſunt, vt perperam Ioannes Geneſius Sepulueda eius interpres exiſtimauit; ſed prædicti, quod facile colligitur ex ipſomet authore qui *lib. 7. metaphiſ. commento 6.* meminit Soſigenis præceptoris ſui, cuius etiam meminit in expoſitione tertij Metheorologici capite de alone; Soſigenes autem plus quam centum ſeptuaginta annis ante Aphrodiſæum Alexandrum fuit: Cum Soſigenes temporibus Iulij Cæſaris vixerit, qui & eiuſdem iuſſu anni ſolaris Ciclum reſtituit: Alexander vero Aphrodiſæus temporibus Seueri & Antonini Cæſarum, vt ex eiuſdem præfatione in libellum de fato ad dictos Cæſares miſſo lucu-

lenter

lenter constat, quæ omnia fusius demonstrauit Franciscus Patritius vir doctissimus, & collega meus in Romano Gymnasio *Discussionum peripateticarum tom. 1. lib. 3.* in calce eius libri; sed iam satis de sententia Aristot. in hoc loco. nunc ad alia est properandum.

Locus celebris ex 2. de generatione animalium capite tertio affertur. Caput IX.



ELEBERRIMVS est pro animi immortalitate locus ille qui apud Aristotelem legitur *2. de generat. animal. cap. 3.* vbi cũ philosophus quæstionem soluendam proposuisset; quonam scilicet vertatur corpulentia masculini seminis quod in feminam mittitur, si nulla pars constituendi conceptus existit; sed tantum agendi facultatem obtinet: tres alias antea declarandas difficultates proposuit. Vnam vtrum quod in femina constituitur accipiat aliquid ab eo quod subierit, hoc est a semine quod intrauerit, an nihil accipiat.

Alteram vero, vtrum anima sentiens qua animal constituitur inesse animalis in semine & conceptu: sit; an non; ac demum. Tertiam si non sit vnde illam conceptus habeat, quibus propositis: soluere incipit secundam; & primo inquit, hanc difficultatem non esse de anima vegetali; cum sit clarum conceptum hoc est conflatum ex semine maris & femine in vtero, vel alio loco vtero proportione respondente esse animatum, talem enim conceptum nemo statuerit inanimatum, ac vita omnibus modis priuatum, quippe cum nihilominus semina & conceptus animalium viuant, cum in loco scilicet proportionato fuerint, quam stirpes; & aliquandiu prolifica sint, ergo animam in ijs haberi vegetalem palam est; sed quamobrem eam primum haberi necesse sit; ex ijs quæ alibi de anima disputata fuerunt apertum fit; quare tota quæstio est de anima sentiente, qua animal est, & de eius gradibus, seu speciebus, pura de rationali, qua homo; sensualem etenim qua animal; tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo certum est; non enim simul, & animal fit, & homo, nec animal, & equus, eademq; in ceteris animalibus ratio; finis enim postea contingit, proprium autem, est finis cuiusque generationis; quamobrem de mente etiam; quonam tempore, & quemodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant plurimum dubitatur; sed enitendum pro viribus

viribus & quoad fieri potest accepisse operæ pretium est. Aristot. ait, cum vero dixisset animam vegetalem in seminibus & conceptibus esse: clarius docet quonam pacto in ipsis sit, quod fusius cap. 1. huius libri explicauerat, & inquit; *Animam igitur vegetalem in seminibus; conceptibus scilicet, nondum separatis haberi potentia, statuendum est non actu; priusquam eo modo quo conceptus qui iam separantur cibum trahant & officio eius animæ fungantur. principio enim hæc omnia vitam stirpis viuere videntur*, quæ verba, vt Theodorus Gaza vertit addendo scilicet particulam illam (nondum) hoc modo; *Animam igitur vegetalem in seminibus conceptibus, scilicet nondum separatis*, quæ in Græco codice non habetur, ita enim legitur τὴν μὲν οὖν θρεπτικὴν ψυχὴν τά σπέρματα καὶ τὰ κυήματα τὰ χωριστὰ hoc est, *Animam igitur vegetalem semina & conceptus separatos*, & cætera quæ sequuntur: iuxta quam lectionem satis obscurus redditur sensus. non valde est difficile interpretari; intelligit enim per conceptus nondum separatos, nondum organizatos, nec eas partes separatas aut distinctas habentes, quæ nutritioni deseruiunt, hos inquam conceptus inquit animam vegetalem habere potestate siue in potentia; potentia inquam remota, vt geometra dormiens, quod idem philosoph. paulo supra dixerat cap. 1. non autem potentia propinqua, vt geometra vigilans qui libro careat, ac proinde actu possideat habitum seu facultatem: fit vero in potentia ad operationem, vt perperam explicauit Suessanus Philoponum sequutus, qui actum primum & essentiam animæ in conceptibus esse existimauit; hanc enim opinionem disertis verbis confutauit *Aristot. cap. 1. huius libri*, vbi fusius hanc dubitationem soluens inquit. *Sed habeat ne semen animam necne ratio eadem atque de partibus reddenda est, nec enim anima vlla esse potest in alio nisi in eo cuius est, neque pars vlla esse potest, quod particeps animæ non est, nisi æquiuoce, vt mortui oculus. semen igitur & habere animam & esse potentia palam est. propius autem & remotius idem à seipso potentia esse potest, vt Geometra dormiens remotius quam vigilans est, isq; remotius, quam qui iam contemplatur.* Ex quibus verbis patet animæ essentiam actu non posse esse in seminibus siue conceptibus nondum separatis siue organizatis: si enim anima in nullo esse potest, nisi in eo cuius est anima; anima autem est actus corporis organici; necessario sequitur animam non posse esse in conceptibus nondum organizatis; quemadmodum è conuerso, neque pars vlla aliquid esse potest, quod particeps animæ non est nisi æquiuoce, vt oculus pictus, vel marmoreus: quapropter melius dicitur, quod semen, & conceptus antequam separati fuerint habeant animam potentia remota, vt geometra dormiens non autē vt vigilans; velut enim

geome-

geometra dormiens non habet habitum geometrizandi, niſi fuerit excitatus & vigilans, ita ſemen & conceptus non habent actum primum animæ, niſi in actum reducantur à generante per vim generatiuam ſemini impreſſam, quæ ſimul & corpus organicum generat, & animam, quæ eſt ipſius actus; ſed iam plus quam ſatis digreſſi ſumus; nunc reliqua ad noſtrum inſtitutum facientia explicare proſequamur: ſubdit autem, quod omnia animalia principio vitam ſtirpis viuere videntur, quare primo in embrione generatur anima vegetalis; primo autem non ſolum primitate, vt ita dicam, naturæ vt aliqui falſo exiſtimarũt, qui eodem inſtanti omnibus animæ gradibus embrionem informari dixerunt; verumetiã primitate temporis; veluti enim ad diuerſos animæ gradus diuerſæ requiruntur in partibus ſimilaribus temperaturæ, ac diuerſæ in inſtrumentarijs compoſitiones, quæ niſi diuerſis temporibus fieri poſſunt; non enim ſimul cor & epar, aut epar & cerebrum generantur, ita diuerſos animæ gradus diuerſis temporibus, & non ſimul generari dicendum eſt. quare bene Ariſtoteles ſtatuit animalia, primum vitam ſtirpis viuere, deinceps vero vitam animalis, ac tandem vltimò, hominis, quod paulo ante dixerat, veluti igitur anima vegetalis, qua primo animal viuit, potentia antea in ſemine & cõceptu exiſtit, pari etiam modo de anima ſenſuali dicendum eſt, atque etiam de intellectuali, omnes enim potentia prius haberi quam actu neceſſe eſt. His præfatis quæſtionem vltimo loco, vt diximus, propoſitam ſoluere aggreditur, ſuppoſita prius omnium membrorum diuiſione; dixerat enim omnes animas, potentia prius haberi, quam actu: quapropter neceſſe eſt, aut omnes animas eſſe in embrione cum ante non fuerint, hoc eſt cum non præextiterint ante corpus, aut omnes cum ante fuerint, aut partim cum ante non fuerint, partim cum ante fuerint: præterea etiam neceſſe eſt, aut animas contingere in materia non ſubeuntes ſemen maris, hoc eſt cum ſemine maris non aduenientes, aut eo quidem inde venientes; hoc eſt aut materiæ cum ſemine maris eſſe communicatas, (ſed in mare) hoc eſt principio motus & actionis in mare, hoc eſt in patre exiſtente; atque inde inchoato, ita vt in ſumma neceſſe ſit; aut omnes animas extrinſecus contingere, ſiue extrinſecus aduenire; aut nullam, aut partim extrinſecus, partim non extrinſecus.

Hac igitur diuiſione ſuppoſita ſoluere aggreditur, euertens alterum membrum primæ diuiſionis, & inquit. *Ceterum omnes ante eſſe impoſsibile rationibus his eſſe oſtenditur. Quorum enim principiorum actio eſt corporalis hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt, verbi gratia, ambulare ſine pedibus*

dibus itaque extrinsecus ea venire impossibile est, nec enim ipsa per se accedere possunt, cum inseparabilia sint, neque cum corpore, semen enim excrementum alimenti mutatio est; quare in ipso anima esse non potest, cum non sit nisi in corpore instrumentali; ex quo sequitur animas quæ habent actionem corporalem, cuiusmodi sunt vegetalis & sensualis; ante corpus animatum esse impossibile esse. Euerso autem vno diuisionis membro nempe quod vegetalis & sensitiua, cum corpore indigeant, vt operentur, ante corpus esse non possint, nec extrinsecus aduenire: necessario infert alterum ipsi oppositum, nempe quod solus intellectus extrinsecus aduenial ipseq; solus diuinus sit; nihil enim cum eius operatione communicat operatio corporea. hæc autem sunt præcisa Aristotelis verba ex fideli & vetusto Græco codice transcripta, quæ consulto afferre voluimus, quia leuissimam quandam occasionem quidam recentiores arripuerunt ex eo quod Theodorus vertit; *Restat igitur vt sola mens*, Græcus vero codex habet, *Restat autem, vt sola mens*, prout suo loco fusius dicemus; *λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον, θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. οὐδὲ γὰρ αὐτῷ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια*. Huc vsque satis esset Aristotelem explicasse quantum ad institutum nostrũ pertinet pro animi immortalitate, verum quia alia quamplura subiungit quorum sensus valde obscurus eiusdem sententiam confundere aut infirmare, ita videtur vt nullibi philosophus hac eadem de re magis dubius appareat quam hoc in loco vbi tam clare, ac tam diserte animi immortalitatem statuit, propterea ad omnem tollendam erroris occasionem necessarium fore existimaui, quod reliquum est huius capitis prosequi, ac diligenter (quantum in me erit) interpretari. subdit igitur philosophus; *sed enim omnis animæ siue virtus siue potentia, corpus aliud participare videtur, idq; magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur; verum prout nobilitate ignobilitateue animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt*: quæ verba quam connexionem habeant cum proxime narrata sententia quamuis haud facile sit inuenire, tamen breuiter cæterorum ambagibus prætermissis pro virili explicare tentabo: Puto autem nunc Aristotelem soluere primo loco propositam ex tribus difficultatem, ac simul respondere ad secundam vltimæ ac postremæ quæstionis partem, quæ in primam difficultatem incidit.

Cum enim tres proposuisset vltimæ quæstionis partes, vnam vtrum omnes animæ contingant in generatione fætus cum ante fuerint, an omnes cum ante non fuerint, an partim cum ante fuerint, partim cum ante non fuerint; alteram vero vtrum animæ contingant in materia, hoc est participentur corpori siue conceptui non subeuntes semen ma-

ris, hoc eſt non habentes aliquod principium cum ſemine maris, neque cum illo ſubeuntes conceptũ & animantes (vt ita dicam) fœtum, aut eo quidem inde venientes, ſed in mare, hoc eſt aut materiei & corpori ex ſeminali principio participentur, ſed in mare, hoc eſt in patre exiſtente actiuo principio; tertiam autem & vltimam, an ſcilicet omnes animas contingat extrinſecus aduenire, aut nullam, aut partim extrinſecus, partim non extrinſecus.

Reſpondens vero ad primam quæſtionis partem etiam tertiam Ariſtoteles ſoluiſſet dicens: *Caeterum omnes ante eſſe impoſſibile rationibus his eſſe oſtenditur; quorum enim principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt, verbi gratia ambulare ſine pedibus: itaque extrinſecus ea venire impoſſibile eſt: nec enim ipſa per ſe accedere poſſunt cum inſeparabilia ſint, neque cum corpore; ſemen enim extrementum alimenti mutati eſt. Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat eaq; ſola diuina ſit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Nunc volens ſoluere ſecundam propoſitæ quæſtionis partem, inquit; *ſed enim omnis animæ ſiue virtus ſiue potentia corpus aliud participare videtur, idq; magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur, verum prout nobilitate ignobilitateue animæ inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt.* Docet vero ſtatim in quo nam contineatur hoc corpus, & quod nam ſit hoc corpus, & inquit: *Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit vt fœcunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur, idq; non ignis non talis facultas aliqua eſt; ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoq; corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt; proportione reſpondens elemento ſtellarum.* Ex quibus porro verbis manifeſte ſoluitur, tum prima difficultas, tum ſecunda poſtremæ quæſtionis pars; ſi enim omnis animæ facultas corpus quodam diuinum, & cæli naturam referens participat, & tale corpus in ſemine continetur, & ineſt; neceſſario ſequitur, quod anima contingat in materia ſubiens ſemen maris, hoc eſt ducens principium ex ſemine maris in quo poteſtate, vt dictum eſt, continetur. hoc autem quamuis videatur dictum de omni anima: expreſſe enim Ariſtot. inquit omnem animæ facultatem participare hoc corpus, & conſequutiue omnem animam ex ſemine principium trahere, ac veluti ex ſeminis potentia educi; quod nequaquam de intellectu verum eſſe nuper dixerat; cum eius actio corpori neutiquam communicetur, neque corpore opus habeat; tamen hoc rei veritate nequaquam intelligendum eſt ſimpliciter de omni anima, ſed tantum de vegetali, & ſenſuali: de illis enim tantum reſtat quæſtio, vtrum contingant ſubeuntes ſemen maris, non autem de intellectu quem ſeparabilem à corpore ex aſſumptis eſſe decreuerat: nempe quia eius actio cum corpore

non

non communicat. ex quo sequitur, quod non subeat semen maris, nec in conceptionem cum semine adueniat; sed hoc tantum peculiare esse dixit animarum inseparabilium nempe vegetalis & sensualis; quare cum dixisset huiusmodi animas ante corpus non esse cum earum operatio sine corpore esse non possit iure merito de ipsis dubitauit quomodo conceptui adueniant, non enim per se ipsas aduenire possunt, hoc est sine corpore; cum à corpore inseparabiles sint (vt dictum) neque cum corpore, quia si aduenirent cum corpore proculdubio aduenirent cum semine, hoc autem neutiquam verisimile est, quia corpus in quo anima est: debet esse perfectum & organicum, semen vero minime potest esse tale; cum non modo non sit corpus organicum, sed neque pars corporis organici & viuentis; est enim excrementum mutati alimenti quare nullo modo tales animæ conceptui aduenire possunt. cui obiectioni pariter respondet dum inquit in semine esse quod fecunda facit semina, ac proinde tales animas non venire siue non ingenerari sine semine, sed subire semen maris ac in semine contineri, at non quatenus semen est ex corpore; post tertiam (vt dicunt) coctionem segregatum; & ita elementaribus tantum facultatibus præditum; sed quatenus in semine est facultas illa fœcunda proportione respondens elemento stellarum. hanc vero facultatem vocari quidem calorem inquit, sed longe æquiuoca denominatione; qua calorem vulgo dicimus; non enim est ignis, qui primo calidus inter elementa est, neque talis aliqua facultas, hoc est elementaris: cum ignis nullum animal generet; neque constitui quicquam, densis, vel humidis; vel siccis videatur (quam eandem sententiam *vlt. cap. 4. meteorolog.* pariter statuit) sed solis calor, & animalium, non modo qui semine continetur, verum etiam qui in excrementis siue putrescentibus rebus est, quamquam diuersus & alienus sit à natura rei putrescentis; tamen is quoque principium habet vitale; ex ijs enim generantur animalia quamuis imperfecta, vt muscæ, vermes, & alia insecta ex his igitur manifestum est calorem in animalibus contentum nec ignem esse, neque ab igne originem ducere.

His autem determinatis redit Aristoteles ad primam quæstionem quam initio huius capitis proposuerat, & cuius occasione tres alias nuper soluerat illiq; respondens inquit; *Corpus autem genitaræ, in quo semen animalis principij. contentum vna prouenit; partim separabile à corpore in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur, partim inseparabile. Hoc inquam genitaræ semen dissolvitur, versumq; in spiritum euanescit, cum naturam humidam, aquosamq; habeat, &c.* quæ verba satis aperta sunt

Digitized by Google

omnia; præter illa; quæ veluti in parenthesi sunt apposita, ea nempe, *partim separabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur partim inseparabile*, quæ non mediocrem habent obscuritatem, non solum ob eam difficultatem quam parit versio, verum etiam ob arcanum ac reconditum; quem continent sensum. exponunt autem aliqui tali pacto. Corpus autem genituræ; in quo semen animalis principij, hoc est spiritus & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum, ex quo fœcunda fiunt semina, ac proinde semen animalis principij, ideſt animæ dicitur; contentum vna prouenit; partim separabile à corpore, hoc est; cuius animalis principij; partim separabile, hoc est, aliud est separabile à corpore, vt in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur; partim inseparabile, hoc est; aliud autem est inseparabile; hoc inquam genituræ semen; & cætera. Verum hæc expositio; vt patet ex sola latinorum verborum lectione valde extorta est; nam illud, partim separabile, refertur ad suum substantiuum paulo ante dictum, nempe ad semen animalis principij, non autem ad animale principium, quod apertissime ostendunt Græca verba, quæ ita leguntur τὸ δὲ τῆς γονῆς σῶμα ἐν ᾧ συναπέρχεται τὸ σπέρμα τὸ τῆς ψυχικῆς ἀρχῆς, τὸ μὲν χωριστὸν ἀπὸ σώματος, ὅσοις ἐμπεριλαμβάνεται τὸ θεῖον τοῦτος δέ ἐστιν ὁ καλούμενος νοῦς, τὸ δ' ἀχώριστον. illa etenim verba, τὸ μὲν χωριστὸν, quæ adiectiuum & articulum habent neutrum; ad substantiuum ἀρχῆς τῆς ψυχικῆς, quod feminini generis est; minime referri possunt. Quare melius (iudicio meo) dicendum est, vt manet littera; tali pacto. *Corpus autem genituræ in quo semen animalis principij. contentum vna prouenit; partim separabile à corpore*, (hoc est, quod semen animalis principij partim separabile est à corpore.) *in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur; partim inseparabile. Hoc inquam genituræ corpus dissolutur, versumq; in spiritum euanescit, cum naturam humidam aquosamq; habeat. quam ob rem, an semper id foras exeat quærendum non est, neque an pars vlla sit formæ constituta, quomodo nec de succo à quo lac cogitur quæri tale quid conuenit, nam is quoque mutat, & nulla pars constituæ magnitudinis est. De anima quemadmodum conceptus & genitura habeant eam, & quemadmodum non habeant definitum iam est; potentia enim habent actu non habent.*

Hanc etiam eamdem expositionem & intelligentiã verborum Aristot. secutus fuit *Bessario Card. Nicænus lib. 3. contra calumniatorem Platonis cap. 22.* Quibus verbis finiri ac terminari præsens caput censeo; cum his vltimis habeat epilogum quæstionum; quas supra examinandas proposuerat; reliqua autem verba quæ apponuntur iuxta latinam versionis

ſionis Theodori partitionem; extra ſeriem huius capitis ſunt, vt legentibus patet: quare potius cum ſequenti capite ſunt cõnectenda, vtcumque tamen ſit, cum ad rem noſtram verba tantum huc vſque recitata conferant; ipſa tantum ſit ſatis expoſuiſſe. Ita autem explicata Ariſtot. verba ſatis clara, & dilucida ſunt, ſed ad huic arcanum (vt dixi) continent ſenſum; quem expoſitores (quantum ego eos legi) ſumma iniuria prætermiſerunt. eſt autem; quomodo ſemen animalis principij; quod in ſemine contentum vna cum ſemine prouenit in conceptum; partim dicatur ab Ariſtotele ſeparabile, partim inſeparabile; certum enim eſt, quod per ſemen animalis principij Ariſtoteles intelligit ſpiritum & naturam, quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum. Quomodo autem hic ſpiritus & hæc natura, partim ſeparabilis ſit à corpore, vt in ijs animalibus quibus diuinum continetur, vt mens, partim inſeparabilis, vt in ijs ſcilicet quibus mortiferum quid; vegetalis, ſcilicet & ſenſualis, non noſtra ſed grauiſſimorum hominum authoritate eſt declarandum.

Vltimum autem ex his; quomodo ſpiritus hic; & natura cæleſtis; in ſeminibus contenta; inſeparabiliter ſit: perbelle declarauit *Alexander* ille *Aphrodiſeus lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 3.* Cum docuit quænam à motu diuini corporis ingenita vis vicino ipſi corruptibili, & generabili corpori his verbis: *Cum & ſimplicia corpora ſimul inferant ad generationem eorum quæ fiunt ex ipſis corporum, etiam Diuinam potentiam qua participant ex vicinitate; ob quam potentiam non item habent hæc principium ſolum in ſe ipſis motus ad quem inclinant; ſed quodam quoque animaſticum principium aſſumpſerunt; quod & generationem habet à diuina potentia.* quibus, & alijs tum ſubſequentibus, tum præcedentibus verbis clare oſtendit vim hanc quæ ab Ariſtotele ſemen animalis principij fuit appellata eſſe in mixta corpora ab elementis inuectam quibus à diuino corpore participata iam fuerat; hæc autem cum ad coagmentationem, & craſim elementorum ſubſequatur profecto inſeparabilis erit, ac veluti ex ſymmetria & mixtione elementorum generabilis; ita ad eorumdem diſſolutionem pariter corruptibilis. quam quidem naturam, ſiue ſpiritum, vel ſemen animalis principij; quamq; calorem appellari Ariſtoteles dixit, cum adeo animæ coniunctam priſci philoſophi viderent, eamdem aliquando ipſos pro anima vſurpaſſe legitur, vt apud *Hippocratem lib. 6. morborum popularium ſect. 5.* dum inquit, *Hominis anima ſemper producitur vſque ad mortem. ſi vero efferbuerit una cum morbo etiam anima corpus depaſcitur*; quæ ſententia nonniſi de calido inſito intelligi poteſt. quãuis rei veritate ipſe anima non ſit; cũ corpus non ſit

anima ; sed potius animæ instrumentum, aut vehiculum, vt Platonicis placuit, non immerito autem dixi animam non esse corpus, foret autem non solum ex sententia Aristot. hoc loco vbi spiritum hunc calorem appellat ; verumetiam ex Hipocratis decretis ; cum vbique calidum appellet ; corpus qualitate calida præditum non qualitatem. vt Galenus fuse docuit in *expositione 14. Aphorismi 1. sectionis*, & etiam libello contralicum, & ita quidem (iudicio meo) manifestum est quonam pacto spiritus hic cælestis ; qui in semine continetur inseparabilis sit. Quonam autem pacto idem spiritus, cælestis scilicet ; sed nobilior, dixi autem nobilior, quia & si omnis animæ, siue virtus, siue potentia corpus hoc participare videtur, tamen prout nobilitate, ignobilitateve animæ differunt inter se; ita & natura huius corporis differt. quare sapienter Platonici ex vtriusque, tum Platonis, tum Aristotelis dogmatibus tres huiusmodi spiritus statuerunt, ostreaceum nempe, siue plantalem magis impurum ; quem Medici naturalem dicere consuerunt, phantasticum, siue animalem magis purum, ac celestem magis ; tertium vero omnino æthereum, ac purissimum. Ex his vero ostreaceum quidem vegetali animæ ; phantasticum vero sensuali ; quemadmodū æthereum intellectui tribuerunt. Quonam inquam pacto hic spiritus in semine contentus separabilis sit ; ex his eisdem Aristotelis verbis luculenter patet ; si enim vegetali ; atque sensuali ; potentijs animæ ignobilioribus ignobilius corpus huiusmodi ; ac spiritus participatus fuit ; nempe impurum & elementali mole concretum ; ac proinde inseparabile ; necesse profecto erit ; vt intellectuali nobilissimæ, ac diuinæ prorsus facultatis nobilissimum corpus sit attributum, nempe omnino æthereum ac purissimum, & ab omni prorsus elementari labe purgatum ; cuiusmodi est, quintum illud corpus ; quod diuinum ab Aristotele appellatur atque ita quidem hoc corpus sit ab elementorum concretione alienum, vt separabile omnino sit ; quod & consentaneum rationi est ; cum illius animæ sit siue vehiculum siue instrumentum, quæ minime ex elementorum mixtione educitur ; sed extrinsecus aduenit : neque vero conturbare nos debet quin huiusmodi corpus intellectui tamquam vehiculum ; vel organum tribuamus ; non solum ex Platonis doctrina, verumetiam ex genuino Aristotelis sensu ; quod Aristot. habet mentem ipsam, seu intellectum sine corpore esse cum eius actio cum corpore non communicet, & alibi in *1. de anima melius esse intellectui sine corpore esse quam cum corpore, & libro 3. intellectum non vti organo*. Omnia enim hæc de caduco atque elementari corpore corruptibili dicta sunt, non autem de æthereo & cælesti, cui etiam omnino pure ac

immor-

immortales mentes siue animæ insuper mundana illa regione coniunctæ sunt; & quamuis rei veritate & ex Aristot. sententia intellectus ad intelligendum, simpliciter nullo corpore opus habeat; neque caduco nec immortali; cum eius operatio nihil communicet cum actione corporis; tamen ipso indiget tamquam vinculo quò caduco & mortali corpori vniatur: absurdum enim satis foret, & à naturæ instituto alienum duo adeo inter se distantia tam arcte inter se coniungere sine vinculo; intellectũ, scilicet prorsus incorporeũ & immortalem; cum corpore prorsus caduco & mortali: quapropter hoc spiritu æthereo tamquã vinculo opus fuit, qui cognatus quidem corpori esset: cum expers molis non sit; ab animi autem natura; nequaquã dissimilis: quippe qui immortalitatis consors & particeps: quemadmodum etiã Bessario Card. Nicænus loco paulo ante citato ex Arist. sentẽtia testatur. Hæc tamen omnia de vehiculo animæ nequaquã dicta à me sint tamquam aliquid secundum veram philosophiã decernã, neque etiam absolute ex Arist. doctrina, fusius autem hac eadẽ de re tractabitur sequenti lib. 8. capite.

Quæ omnia eleganter expressit noster Cicero in prima Tusculana his verbis: *Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) præstans & ingenio & diligentia, cum quatuor illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse è qua sit mens: Cogitare enim, & prouidere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari; hæc & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat; sed quintum genus adhibet vacans nomine, & sic ipsum animum ἐνδελέχειαν appellat nouo nomine quasi quandam continuatam motionem & perennem:* quam eadem sententiam pariter testatam reliquit *lib. 1. accademicarũ quæstionum ad Varronem* tali pacto; *Quintum genus è quo essent astra mentesq; singulares, eorum quatuor quæ supra dixi dissimile Aristoteles quoddam esse; rebatur.* Mirandum vero profecto est quanam ratione Argyropilus, Guglielmus Budeus; Vicomercatus, Carpentarius, & alij eruditi viri hoc loco Ciceronẽ reprehendere ausi sint, ac multiplicem in referenda Arist. sententia illi inurant notã: quod enim dicit Aristotelem existimasse animam siue mentem esse è quinta essentia: ipsum veræ ad sententiam Aristotelis locutum fuisse manifestissimum est ex Aristotelis verbis paulo supra à nobis allatis, & ponderatis, non solum illis quibus dixit omnem animæ virtutem ac potentiam corpus aliud participare idq; magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur, ac prout nobilitate ignobilitateve animæ inter se differunt ita naturam eius corporis differre; verumetiam sequentibus, cum inquit; *Corpus autem genituræ in quo semen animalis principij*

tentorum vna prouenit, partim separabile à corpore in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur, partim inseparabile. Neque vero illi impingi potest, quod animam existimauerit ex Aristot. sententia corpoream, cum illam dicat constare ex quinto corpore: non enim ita animam, seu mentem ex quinto corpore esse dixit, quasi ex eo sit conflata; sed significare voluit eius vehiculum & corpus; quo participat arctissime illi coniunctum, ita vt aliquando cum anima separabile sit, vt cum mente, aliquando vero inseparabile, vt cum vegetali & bruta, ac sæpesæpius pro eodem vsurpetur, vt supra diximus apud Hipocratem. Non enim existimandum est Ciceronem, qui animos alibi dixit à natura Deorum haustos & delibatos, in tam fædum incidisse errorē vt putaret eos esse corporeos; ita enim *lib. 1. de Diuinatione* ait: *Altera diuinatio est naturalis, vt antea dixi; quæ physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam Deorum à qua vt doctissimis & sapientissimis placuit hausios animos & delibatos habemus: cumq; omnia completa sint, & referta æterno sensu & mente diuina, necesse est cognatione animorum diuinorum, animos humanos commoueri.* Quod vero hic fuerit eius sensus; manifestum est ex ijs ipsis verbis, quæ subdit in eodem loco primæ Tusculanæ: cum enim dixisset, mentem esse ex quinta natura; rationem affert, dicens: *Cogitare enim, & prouidere, & discere, & docere, & inuenire aliquid, & tam multa alia; meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, lætari; hæc & similia eorum, in horum quatuor generum nullo inesse putat.* Quibus verbis, veluti nullus existimaret has operationes negari de elementis quatuor quatenus elementa sunt; cum ipsa neque sint animata neque principium animale: sed negari de anima quatenus corpus elementare participat, manifestum est; vt disertis verbis supra Aristoteles docuit; ita pariter nullus exponere debet dum mentem Cicero ex quinta natura esse affirmat mentem esse formaliter, vt dicunt quintam naturam; cum hoc impossibile sit; sed participare quintam naturam; tamquam sibi cognatum corpus. ex quo pariter alius error diluitur; quem Ciceroni impingit Vicomercatus, vir alioquin doctissimus, dum putat Ciceronem has operationes tribuere menti Aristot. reclamante: cum manifestum sit illum negare hæc de elementis, non tamquam de corporibus quibus hæ operationes tribui possint, sed tamquam de principio ex quo anima quæ est talium operationum initium oriatur: ergo cum hoc veluti consequutione quadam de quinta natura affirmat, non de quinta natura tamquam de principio, quod (vt cum Scholasticis loquamur) verum tamquam de principio ex quo originem ducit anima, non solum mens; verumetiam illa qua lætamur, odimus, tristamur, angi-

mur;

Digitized by Google

mur; cum talis etiam anima corpus hoc diuinum participet, vt Aristoteles supra dixerat. Ciceronem hæc affirmasse pariter est manifestũ; sed quia adhuc aliam conantur illi infligere plagam, videamus an possimus nos eam auertere. Reprehendunt adhuc Ciceronem; eo quod male interpretatus fuerit ethymologiam animæ, ac neque ex vocabulo Græco, neque ad mentem Aristotelis; subdit enim post citata verba in prima Tusculana. *Quintum genus adhibet vacans nomine, & sic ipsum animum ἐνδελέχειαν appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem & perennem.* quæ interpretatio primum vitiosa est in significatione Græci nominis, cum actus qui significat perennem motionem, non *ἐντελέχια*. cum τ. vt habet Ciceronis codex, sed *ἐνδελέχια*. cum δ. scribi debeat. secundo vitiosa est iuxta sensum Aristotelis; cum Aristoteles nullam animam dixerit mobilem, quinimmo satis longa disputatione in *1. de anima contra Platonem* dicentem, animam esse numerum se ipsum mouentem inuehitur; itaut Græcus quidam hoc dilemmate Ciceronem ausus sit impetere; nempe, aut Cicero fuit deceptus homonymia, & si hoc; dicendum est, illum græcas litteras ignorasse; aut sensu & opinione Aristotelis, quod si verum; dicendum est, eum ne inuolucra quidem librorum Aristotelis perspexisse. ò singularem impudentiam. ò sacrilegam audaciam! Ille ne igitur Cicero, qui Græcam nationem græco de rebus suis commentario conturbauit? Ille ne Cicero qui Posidonium doctissimum sui temporis, ac totius Græciæ (cognita tanti ingenij magnitudine, & inaudite perspectis eloquentiæ viribus) à scribendo deterruit? Ille ne qui, vel Plutarcho Græco homine teste, tantum græcæ eloquentiæ ab Apollonio accepit elogium, vt cum illum aliquando Apollonius græcè declamantem audisset, ac diu tacitus ex admiratione conticuisset: tandem in hæc verba eruperit: *Te nempe Cicero, & laudo, & admiror, sed Græcorum fortunæ me miseret, cum videam eruditionem, & eloquentiam, quæ sola nobis bonorum relicta erant per te Romam transferri.* Ille ne inquam talis ac tantus Cicero græcarum litterarum ignarus dicitur? aut ne ille redarguendus est quod libros Aristotelis non legerit, qui vsque ad stuporem hominum omnium philosophorum sectas tam studiosè perquisiuit, cuius rei vel solus *4. academicarum quæstionum* liber testimonium ferre potest. qui Aristotelis adeo studiosus fuit, vt vbique illum commendet, & alijs omnibus, vno tantum excepto Platone; anteferendum prædicet? quin immo aduersus te ipsum Zoile hoc retorquetur argumentum; multi enim Aristotelis libri Ciceronis temporibus extiterunt quos ipse quidem vidit, cum paulo ante eius tempora Aristotelis opera è tenebris

eruta

eruta fuerint, tu autem legere non potuisti, inter quos etiam Eudemus fuit Dialogus; de rationali anima siue de intellectu, cuius sæpius meminerunt Philoponus, & Simplicius, necnon alij graues viri, & Græci philosophi, in hoc autem potuit Aristot. appellasse animam ἐνδιελέχεσθαι, quasi perpetuam motionem: neque obstat quod in *1. de anima*, hanc sententiam impugnauerit, nam præterquam quod ibi de vero motu Aristoteles sermonem habuerat, non autem de metaphorico cuiusmodi est intelligere quo semper moueri anima potest: dici etiam potest quod Aristot. sibi non repugnat, cum ibi de anima loquatur; cui repugnat moueri per se, cum sit forma corporis; alibi autem loquutus fuerit de mente; de qua hoc Cicero pronunciauit: quomodo autem differat mens ab anima, etiam si mens; sit eiusdem substantiæ cum intellectu potentia, quem dicimus esse formam, suo loco declarabimus; sed omittamus hæc probabilia. Locum tibi proferam ex libris qui extant Aristotelis: nempe ex *3. de anima*, in quo Aristot. disertis verbis mentem ἐντελέχειαν, dictam cum τ. perpetuam motionem appellauit. Supponendum autem primo est, quod quamuis motus successiuus qui tantum corporibus conuenit: propriè ac verè sit motus, tamen adhuc quælibet operatio vitalis, etiam intelligere: potest dici motus; quod omnes prisci peripatetici affirmant, ac præter alios Philoponus *in primum de anima super disputatione Aristotelis aduersus Platonem*; & Simplicius super *3. de anima commento 19.* & innumeris alijs in locis. deinceps vero supponendum est ἐντελέχειαν. diuidi ab Aristotele in primam & secundam, ac primam esse veluti habitum & scientiam, secundam vero esse veluti operationem, & speculari. hæc sunt eius verba in *2. de anima cap. 1.* ἡδὲ οὐσία ἐντελέχεια. τοιοῦτου ἄρα σώματος ἐντελέχεια αὐτὴ διελέγεται λέγω. ἡμὲν ὡς ἐπιστήμη, ἡδὲ ὡς θεωρεῖν. *Hoc est substantia autem entelechia; huiusmodi igitur corporis entelechia. hæc autem dicitur dupliciter, alia quidem sicut scientia, alia autem sicut speculatio.* his autem suppositis. ita argumentabor. Aristoteles intellectus humani substantiam dicit esse eius operationem, & eiusdem operationem dicit esse perpetuam, ergo Aristot. inquit intellectus humani substantiam esse perennem motionem, cumque perennis motio sit energia, & actus secundus, energia autem & actus secundus sit entelechia, vt ex Aristot. diximus nuper. necessario sequitur Aristot. dixisse intellectum humanum esse entelechiam, hoc est perpetuam operationem, seu motionem, vt dixit Cicero cum quælibet operatio latiori nuncupatione, motus etiam dici possit. Huius vero Hypotetici argumenti assumpta propositio probatur ex Aristotele

3. de

3. de anima partic. 19. & 20. partic. autem *19.* inquit. *καὶ ἔστι ὁ νοῦς χωριστός, καὶ ἀμιγής, καὶ ἀπαθὴς, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια.* hoc eſt, *& hic intellectus ſeparabilis & immixtus, & impatibilis, ſubſtantia; exiſtens operatio.* & *partic. 20.* hanc operationem quam ſubſtantiam intellectus dixerat perennem, ac numquam interruptam dicit his verbis. *Ἀλλ' οὐχ ὁτὲ μὲν νοεῖ, ὁτὲ δὲ οὐ νοεῖ.* hoc eſt, *ſed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit.* ex quibus verbis concluditur quod ſemper intelligit. quid nunc certius deſideras ex Ariſtotele mi Cicero maſtix? habes humani intellectus ſubſtantiam eſſe eius operationem, & hanc non interruptam, ſed perennem, ac propterea energiam, ſeu mauis entelechiam, hoc eſt continuatam actionem ſeu motionem. vidit atque conſiderauit hæc Budeus poſteaquam acriter reprehenderat Ciceronem, atque veluti eum ad bonam frugem redacturus, inquit. quæ à Cicerone dicta ſunt de mente humana, poſſe facile agenti intellectui accommodari: ſed cum ipſe agentem intellectum diuerſam ſubſtantiam ab humano intellectu exiſtimaret, Alexandri authoritate deceptus; non potuit integre hanc aſſequi veritatem: nobis autem qui ſaniorem peripateticorum partem ſequimur, hoc non fuit difficile; non enim putamus nos intellectum agentem eſſe Deum ex Ariſtotele; ſed eſſe eiuſdem ſubſtantiæ cum intellectu potentia, qui eſt pars animæ noſtræ; quod autem hoc ſit verum, non ſolum patet authoritate Philoponi, Simplicij, Themiſtij, Auerrois, ac cæterorum, vno tantum excepto Alexandro, & Alexandreis; verumetiam ex ipſomet Ariſtot. qui dicturus de intellectu agente ſtatim initio illius capitis *partic.* ſcilicet *17. tertij libri de anima*, intellectum agentem differentiã animæ nuncupauit: quis vero exiſtimet Ariſtotelem fuiſſe adeo bardum, vt putaret Deum eſſe aliquam differentiam animæ? Hæc autem ſunt eius verba: *Quoniam autem in omni natura eſt aliquid, hoc quidem materia vnicuique generi; id autem eſt quod potentia omnia illa; alterum autem cauſa & factiuum quod faciendo omnia, quod ars ad materiam paſſa eſt. Neceſſe, & in anima has exiſtere differentias, & eſt quidam talis intellectus qui omnia fit, quidam vero qui omnia facit, vt habitus quidam quale eſt lumen.* quibus verbis profecto nihil clarius, nihil manifeſtius, vt oſtendatur eiuſdem ſubſtantiæ facultates eſſe; intellectum agentem, & intellectum potentia, quæ omnia fuſius Deo dante in tertio libro ad mentem Ariſtot. explicabimus. ſed quia longe ſatis à primo noſtro inſtituto diuagati ſumus, iam ad id redeamus. Aperte igitur & irrefragabilibus verbis Ariſtoteles animi immortalitatem teſtatur loco allato *2. de generat. animalium*, dum intellectum ſolum diuinum appellat, quamuis alias animæ facultates

etiam

etiam cæleſtem quodam pacto originem habere exiſtimaſſet eum ea etiam diuinum illud corpus participare dixit; dum illum ſolum extrinſecus aduenire, ac ſine corpore eſſe poſſe nec eius operationem cum corporis actione communicare aperte docet & profitetur: hæc enim omnia non mortalem aut caducam ſubſtantiam arguunt; ſed immortalem. & hæc de præſentis loci conſideratione dicta ſufficiant.

Quæ ad dicta Aduerſarij reſpondeant, afferuntur, & confutantur. Cap. X.

PETRVS Pomponatius immortalitatis acerrimus oppugnator. *libello de immortalitate animi cap. 9.* duplicem ad hunc locum affert reſponſionem; vnam, quod intellectus extrinſecus aduenit, at quatenus intellectus eſt; non quatenus intellectus humanus; alteram vero; quod ſi hoc de intellectu humano intelligendũ eſt, non eſt intelligendum ſimpliciter & abſolute, ſed reſpectu ad vegetatiuam & ſenſitiuam. hæc autem ſunt eius verba: *Cumque vlterius dicebatur ipſam venire de foris intelligendum eſt vt mens ſimpliciter non vt humana, vel ſi vt humana intelligendum eſt non abſolute, ſed quod in ordine ad ſenſitiuam, & vegetatiuam magis participat de diuinitate*; quam eamdem reſponſionem pariter attulit *Apologiæ lib. 1. cap. 7.* his verbis: *Quod autem dicebatur intellectum extrinſecus aduenire ſolui poteſt conuenienter ſecundum datam interpretationem, videlicet; qua intellectus eſt; licet & alia dari poſſit forte non minus ad mentem Ariſtot. quam ſit prima. Dicimus enim & recte mentem humanam, nedum qua intellectus eſt de foris aduenire; verumetiam qua humanus intellectus eſt, Auerroes namque 60. commento 2. de anima, & quinto eiuſdem tertij de anima dicit ſecundum Ariſtot. animam ſenſitiuam fieri ab intelligentia agente, & fieri à motore extrinſeco; quanto igitur magis ſuppoſito, quod anima intellectiua ſit mortalis hoc dici poteſt de ea.*

Hæc Pomponatius ille: quæ quanti extimanda ſint nunc videbimus. & primo reſponſio allata, quod intellectus eatenus extrinſecus aduenit quatenus intellectus non quatenus humanus, prorſus ſophiſtica eſt; nam intellectus vt intellectus, aut nihil eſt, aut poſterius eſt, cum dicat quid apud intentionem tantum, vt ſupra fuſius oſtendimus. genus enim dicit naturam in ſpeciebus, non abſque ſpeciebus, quare intellectus quilibet, aut erit intellectus humanus, aut intellectus protinus

Digitized by Google

tinus abiunctus, vt diuinus aut intelligentiarum: sed vtcunque sit ita arguo. intellectus, vt intellectus extrinsecus aduenit, sed intellectus humanus est intellectus, ergo intellectus humanus extrinsecus aduenit; præterea manifestæ dementiæ est hoc controuertere, de illo etenim intellectu hic Aristoteles loquitur qui humanam terminat generationē, de hoc enim proposuerat quæstionem initio disputationis dicens: *Sensualem etiam qua animal est tempore procedente recipi, & rationalem qua homo certum est, non enim simul & animal sit & homo, nec animal & equus, eademq; in cæteris animalibus ratio est: finis enim postea contingit; proprium autem est finis; cuiusque generationis. quamobrem de mente etiam quonam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant qua principium id participant plurimum dubitatur.* Sed humanus intellectus, & non intellectus vt intellectus humanam terminat generationem, alias homo generaret Deum, vel Angelum, ergo humanus intellectus, & non intellectus vt intellectus extrinsecus aduenit, vt falso exposuit Pomponatius; sed vidit ipse quam debilis erat hæc responsio quare alteram statim attulit, ea autem biceps erat: asserebat enim hoc fuisse dictum non absolute, sed respectiue ad animam vegetalem & sensitiuam; necnon etiam dicebat in Apologia loco citato, verum pariter hoc esse absolute de anima humana, quod scilicet extrinsecus adueniat cum omnis anima etiam sensitiua, teste Auerroe, extrinsecus producatur nempe ab intelligentia agente. Quarum responsionum nescio quæ sit ineptior, vel magis risu excipienda; priori enim responsione supponitur, fieri comparationem inter animā intellectiuam & sensitiuam, quæ cum diuina quodam pacto dici possit, quatenus & ipsa diuinum corpus participat, ac propterea etiam extrinsecus aduenia; tamen respectu ipsius mens humana solà diuina dici debet, solaq; extrinsecus aduenire: quæ suppositio prorsus inanis est: nam comparatio semper includit comparatum numquam excludit, alias non esset comparatio; at hic nullo pacto includitur comparatum; sed omnino excluditur, dicitur enim; *Restat autem vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit.* Tantum igitur abest vt aliqua sit hoc facta comparatio, vt potius reliquæ omnes animæ partes ab his conditionibus exclusæ sint; sed quid indigemus pluribus? manifeste docuit philosophus nō posse cæteras animæ partes hæc attributa participare; dixerat enim quod quarum facultatum actio corporalis esset hæ sine corpore nequaquam esse possunt, cuiusmodi sunt vegetalis & sensitiua: quare ipsas sine corpore esse est impossibile; restat autem vt sola mens extrinsecus accedat eaq; sola diuina sit, quia cum eius actione non communicat operatio corporis.

Quo-

Quonam igitur pacto intellectum cum sensitiua anima comparare potest si vtraque omnino inter se disiuncta statuit? vnius enim operationem dicit à corpore inseparabilem, alterius vero ab eodem protinus separatam; sed dicet, quod in altero Capite responsionis, omnem animam diuinum corpus participare quod è cælo sit, quamuis nobilius vel ignobilius, quare etiam animam sensitiuam extrinsecus aduenire dicere possumus, vt Auerroes dixerat; ad quod dicimus, quod si hoc verum esset, falso Aristot. dixisset solam mentem extrinsecus accedere. Aut igitur dicendum est, quod omnes animæ extrinsecus adueniunt, si propterea extrinsecus adueniunt; quia cum calore cælesti adueniunt; aut si non omnes extrinsecus adueniunt dicendum est, quod non propterea aliquæ extrinsecus adueniunt: quia cum calore cælesti adueniunt; sed potius quia nullo corpore indigent cum quo adueniant vel operentur: itaque vndequaque vertatur Pomponatius non cuadet. Sed longe absurdior est responsio quam meditatus fuit Simon Portius in *disputatione de mente humana cap. 15.* ibi enim interpretatus Aristotelem, mentem dixit extrinsecus aduenire quoad vsum & exercitium: hæc autem sunt eius verba, paulo post initium illius capitis. *Intellectus vero potentia est datus à natura, & à generante homine, verum cum sit absoluta & simplex potentia; & ante ipsum intelligere nullum habeat actum omnis actus ipsius est ab extrinseco, nempe ab intelligibili, & ab intellectu, qui dicitur agens; habet enim ab hoc primum actum, qui est vt scientia, habet & actum secundum; ipsum considerare & intelligere; idcirco philosophus cum dixit sola mens extrinsecus aduenit, loquitur de intellectu in actu, quoniam omnis actus est ab extrinseco, ab intrinseco autem est nuda illa potentia nullum habens actum, nec id dixit de sensu; quoniam primus actus est à generante, & solum sentire extrinsecus aduenit ab ipsis sensibilibus. De intellectu ergo ait solam mentem extrinsecus aduenire, quoniam omnis eius actus, vt diximus, prouenit ab intelligibilibus exterioribus, & ab intellectu agente.* Quæ responsio quam sit incongrua, quam sit à mente Aristotelis aliena non difficile est ostendere: primo enim manifestum est, hic Aristotelem sermonem habere de ijs animabus quæ generationis terminus sunt, & animal constituunt, quare inquit, *sensualem etiam quam animal est tempore precedente recipi, & rationalem qua homo certum est, non enim simul & animal sit, & homo, nec animal & equus, eademq; in cæteris animalibus ratio est; finis enim postea contingit, proprium autem est finis cuiusque generationis.* modo finis generationis non est operatio, & actus secundus, sed actus primus; quare Aristoteles 2. *de anima* non definiuit animã per actum primum; sed per actum secundum; ergo non de operatione animæ; sed de anima ipsa quæ est ἐντελέχεια πρώτη Arist.

hoc

hoc loco ſermonem habuit; neque diuerſa eſt ratio de ſenſuali anima & intellectiua, vt Portius ſomniauit; ſubdit enim Ariſtoteles: *Quamobrem de mente, etiam, quonam tempore & quomodo, & vnde eum recipiant qua principium id participant plurimum dubitatur.* Quæ videns Iulius Caſtellanus quamuis Portij aſſecla; & ipſe mortalitatis aſſertor. non potuit hanc Portij reſponſionem non damnare *libro 3. de intellectu humano cap. 8.* his verbis: *Hæc hercle interpretatio magis quàm altera Simonis Portij hoc in loco ad verba, & conſilium Ariſtot. quadrat? nam præter id quod in primo huius 2. libri capite, vſus eſt eodem genere loquendi, cum propoſuit nobis quærendum eſſe, à quo efficiente principio partes corporis generentur. aut enim inquit philoſophus extrinſecus aliquid, aut in genitura & ſemine inſitum agit. ſi de ſecundo actu, & animarum operationibus ſermo haberetur, quo pacto effugeret Portius; quin etiam ſenſus extrinſecus accederet; cum iſtius actio æque ac operatio intellectus, ab eiuſdem proficiſcatur obiecto?* ſed vt cætera omittamus: qui fieri vmquam poteſt vt alicubi ſit operatio abſque principio operandi, aut actus ſecundus abſque primo? hoc vero principium ſiue hanc facultatem dicit Portius eſſe intellectum potentia: verum nullo pacto audet appellare actum cum ex eius ſententia ſit abſoluta, & ſimplex potentia, & ante ipſum intelligere, nullum habeat actum: at nõ negat eſſe aliquam entitatem; dicit enim hunc intellectum eſſe datum à natura, & à generante homine, & hunc eſſe ab intrinſeco. Cuius profecto contrariũ hic aſſeritur ab Ariſtotele, cum dicat intellectum, quo conſtituitur homo, ineſſe hominis, & de quo alibi dixerat, quod erat particula animæ, qua anima intelligit & ſapit, extrinſecus aduenire: quin imo rationem ſubiungit ex qua manifeſtiſſime corruit Portij expoſitio; nempe quia eius operatio nihil communicat cum operatione corporis, quare euidentiſſimum eſt illum loquutum fuiſſe de ſubſtãtia intellectus & mentis, non de operatione cum dixit illam ſolam extrinſecus aduenire; ſi enim loquutus fuiſſet de operatione tũc ridicula fuiſſet nugatio; idem enim fuiſſet ac dicere: eius operatio extrinſecus aduenit, & non eſt cum corpore: quia eius operatio non communicat corpori, ſiue non indiget corpore; & ita idem demonſtraretur per idem. Vaniſſima igitur ac prorſus ridicula eſt Portij expoſitio ſeu reſponſio. Zabarella nobilis noſtra tempeſtate, ac celeberrimus peripateticus, cum & ipſe cum Alexandro de Ariſtotele ſentiret nouam, & vt ipſe inquit, quam nemo vidit, ad dicta verba affert ſolutionem, ab initio autem repetita huius capitis explicatione, tandem inquit: prædicta verba; *Reſtat igitur vt ſola mens extrinſecus accedat; eaq; ſola diuina ſit*; in diſputationem fuiſſe ab Ariſtotele pronunciata, & nihil veri ſtatuere: quapropter

propter male fuisse versa à Gaza, Restat igitur, quasi concludendo ex dictis; Aristoteles id pronunciauerit, cum potius contrarium appareat Aristotelem scilicet fuisse vsum dictione aduersatiua, vt ex Græca lectione manifestũ est: habet enim Græcus codex λείπεται δὲ. quod est; Restat autem, non restat igitur; vt male vertit Gaza, vtitur itaque Aristoteles dictione aduersatiua, autẽ: intentio enim Aristotelis fuit ostendere ex vsu organorum, quænam animæ facultates sint separabiles, & quæ inseparabiles; cumque ex hoc aliquas sine corpore esse non posse statuisset; eo quod ipsarum actio sine corpore esse non possit. Reliquum erat ex hoc capite, nempe carentiæ, siue non indigentiæ organi, vt sola mens extrinsecus aduenire, cum eius actio non communicet cũ actione corporali, at non propterea sequitur mentem simpliciter extrinsecus aduenire, vel esse simpliciter separabilem; cum ex alio capite impediri possit quin extrinsecus adueniat, vel sit separabilis. iuxta quem eumdem sensum constat pariter, fuisse loquutum philosophum 2. *de anima part. c.* 2. cum dixit: *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius si partibilis nata est, non immanifestum est; quarumdam enim actus partium est ipsarum. At vero quasdam nihil prohibet propterea quod nullius corporis sunt actus.* eodem igitur pacto quo ibi dixerat, nihil prohibere quin aliqua animæ pars sit separabilis, cum nullius corporis sit actus, nunc etiam dixit; *Restat autem vt sola mens extrinsecus adueniat*; cum nihil eius actioni communicet actio corporalis, quasi dicat; nihil prohibet; quantum spectat ad vsum & indigentiam organorum, solam mentem extrinsecus aduenire, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Hæc ex propria inuentione attulit Zabarella: sed tamen vtcumque interpretabitur, siue cum dictione aduersatiua: *Restat autem vt sola mens extrinsecus accedat*; siue cum dictione illatiua: *Restat igitur* & cætera, nequaquam tamen effugiet quin mentem extrinsecus aduenire solam, & separabilem à corpore Aristot. pronũciauerit. Quod vero gratis affert, Aristotelem nihil certum constituisse de mentis separabilitate, sed tantum voluisse significare, quod ex hoc capite vsus & indigentiæ organi: nihil prohibet mentem extrinsecus aduenire, ac proinde non posse inde argui quod simpliciter mens extrinsecus adueniat & sit separabilis, prorsus falsum est, & à mente Aristot. alienum; primo, quia veluti Aristoteles arguit; facultates quæ indigent organo corporeo, ex hoc sine corpore esse non posse simpliciter & absolute, ac prorsus esse inseparabiles, ita pariter dicendũ est ipsum statuisse, quod mens quę in sui operatione nullo pacto indiget corpore sit simpliciter & absolute separabilis: secundo, quia

nullum

nullum aliud poteſt eſſe argumentum ſeparabilitatis, vel inſeparabilitatis niſi ex operatione; ſi corpore ſcilicet aliquo pacto indigeat ad operandum necne, quod manifeſte docuit philoſophus *1. de anima partic. 13.* cum dixit: *Si igitur eſt aliqua animæ operatio, aut paſſionum propria continget vtique ipſam ſeparari. Si vero nulla eſt propria ipſius, non vtique erit ſeparabilis*; ergo ſi ex hoc capite ſtatuit mentem humanam ſeparabilem, quia nullo pacto indiget corpore ad operandum, ſimpliciter, & abſolute ſtatuit ipſam ſeparabilem, cum ex nullo alio capite poſſit argui quod ſit inſeparabilis, vt optime docuit philoſophus, non ſolum loco nuper allato *1. de anima 13.* verum etiam hoc eodem loco cum dixit: *Quorum enim principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt.* Inſtantia vero quam affert Zabarella, vt oſtendat non ſufficere alicui formæ eſſe inorganicam, vt oſtendatur eſſe ſeparabilis & immaterialis, quia formæ elementorum quamuis non vtantur organo, tamen ſunt materiales: prorſus ridicula eſt; non enim ex eo quod aliqua forma ſit inorganica arguitur, quod ſit immaterialis, niſi à poſteriori; ſed potius contra ex eo quod aliqua forma eſt immaterialis & incorporea arguitur inorganica, quare *Ariſtot. 3. de anima partic. 6.* ex eo quod intellectum dicit non mixtum corpori eumdem pariter dicit inorganicum. & in hoc loco non dicit mentem ſolam extrinſecus aduenire, eamq; ſolam diuinam eſſe, quia ſit inorganica; ſed quia penitus arguitur incorporea, nihil enim, inquit, cum eius actione communicat actio corporalis; ſed video quid aliquis pro Zabarella, vel fortaſſe pro Alexandro afferre poſſit, nempe operationem intellectus non eſſe omnino à corpore ſeparatam ſaltem obiectiue, quod ſufficit pro inſeparabilitate arguenda ipſius formæ; ita enim dixerat *1. de anima part. 12. ſi intellectus imaginatio, aut non ſine imaginatione eſt, nõ contingit ſine corpore eſſe*, cui obiectioni reſpondere ſatis poſſem quod Ariſtoteles hoc loco omnino operationem intellectus à corpore ſeiungit, dum inquit nihil cũ eius operatione communicare operationem corpoream, tamen tutius ac verius reſpondebimus ex ipſomet *Ariſtot. partic. 13. citata 1. de anima*, quod intelligere cum phantaſia, ſiue non poſſe intelligere ſine phantaſia; non competit intellectui vt intellectus eſt; ſed vt eſt intellectus humanus, hoc eſt quatenus eſt particula animæ, qua anima intelligit & ſapit; ita enim, cum ſit particula formæ organicæ neceſſe eſt vt operetur in corpore quod talis formæ eſt organum; quamuis intellectus ipſe, neque pendeat à corpore, neque corporeo vtatur organo, atque ita veluti competit recto vt rectum eſt, hoc eſt, vt à materia ſeparatum tangere æneam ſpheram in puncto, actu tamen non tanget,

quia rectum semper cum aliquo corpore est, ita pariter quamuis competat intellectui, vt intellectus est, intelligere sine phantasmate, cum eius actio nihil communicet cum operatione corporis, necnon etiam cum ipse semper intelligat, vt de intellectu agente, idem Aristot. dixerat *partic. 20. tertij*, tamen quatenus intellectus animæ particula est, quæ in materia existit & actus, ac entelechia corporis est: eatenus ipsi conuenit intelligere cum phantasmate, nec sine ipso posse quippiam intelligere: quod verum est de intellectu potentia, quatenus potentia est, vt suo loco fusius explicabimus. quare per se ac primario intellectui competit habere operationem separatam, vt optime hoc *2. de generatione animalium* Aristot. dixit, per accidens vero ac secundario quatenus hic idem intellectus particula animæ est, quæ est actus corporis, vt sæpe diximus, non competit illi operatio separata, sed coniuncta cum corpore; neque vero quispiam nobis obijciet, quod nos paulo supra hanc distinctionem de intellectu vt intellectus est, & de intellectu vt est humanus à Pomponatio allatam confutauimus; longe enim diuerso sensu hic à nobis recepta est, quam fuerit apud Pomponatium confutata, Pomponatius enim cum intellectum absolute sumptum, siue vt intellectum statuebat, dicebat intellectum protinus diuersum atque substantia distinctum ab intellectu humano: at nos cum intellectum dicimus simpliciter, eamdem substantiam dicimus cum intellectu humano; sed in hoc differentem, quod cum intellectum simpliciter dicimus intellectum in se ipso manentem, intelligimus, cum vero intellectum humanum, eumdem intellectum extra se progredientem, ac ad secundas vitas, vt cum Simplicio loquamur, prouenientem, siue cum anima coniunctum, vt eius particulam. Cum vero Zabarella hanc prædictorum verborum expositionem attulisset, alteram ex Pomponatij responsionibus, quam supra confutauimus approbauit, eiq; subscripsit, nempe quod mens dicatur extrinsecus aduenire, non quoad eius substantiam; sed ratione principij effectiui, cum etiam mens ipsa seminale principium è cælo ducat, quod non solum ex eo patet quod Aristot. dixerat omnem animæ virtutem corpus aliud participare, idq; magis diuinum quam ea quæ elementa appellantur, verum etiam confirmatur subsequentibus verbis quibus inquit; *Corpus autem genitùræ in quo semen animalis principij contentum una prouenit partim separabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est qua mens appellatur; partim inseparabile.* Quæ verba scilicet, *semen animalis principij, partim separabile, partim inseparabile*, ita Zabarella interpretatur vt existimet intelligenda de principio effectiuo quod inest semini ad generandam animam

Digitized by Google

mam, inquit enim, hoc esse partim separabile, cuiusmodi est, quod seminiâ cælo inest, partim vero inseparabile quale est quod semini proprium inest, nempe ab elementis; quare statuit quod veluti prioribus verbis; *Restat autem vt sola mens extrinsecus accedat eaq; sola diuina sit*; nihil certum de animi separabilitate affirmat philosophus; sed tantum disputatiue loquitur, ita proxime subsequentibus propositam quæstionem decernit, nempe quod omnes animæ ratione principij effectiui extrinsecus accedunt, dicens; non vt vertit Gaza; *sed enim omnis anima virtus*, & cætera; sed iuxta Græcam litteram. *Omnis igitur anima sine virtus, siue potentia, corpus aliud participare videtur; idq; magis diuinum quam ea quæ elementa appellantur*. Quod autem diuinam mentem appellauit, hoc nihil ad eius immortalitatem conferre dicit, quandoquidem & sensitiuam, *Auerroes 2. de anima commento 59.* diuinã appellauit, & ipsemet *Arist. 1. phisicor. partic. 81.* vbi omnem formam diuinam nominat; solam vero mentem diuinam appellasse, inquit, præ sui præstantia atque nobilitate, qua cæteras animæ facultates superat. Atque ita Zabarella in omnibus Pomponatium suum præceptorem laudat. sed bone Deus quam ceca est φιλαυτία, siue quantum nos cecos reddit: eo ne igitur prouecta est, vt quod semel opinati fuimus, vel opinatum dixerimus liceat impudenter etiam cum aperto mendacio mordicus retinere? viderat Zabarella, vir alioquin doctissimus & oculatissimus responsionem Pomponatij inualidam esse; quandoquidem omnes animæ, ratione principij effectiui, cælitus deducti; extrinsecus aduenire dici possunt; sed hoc cæteris exclusis de sola mente Aristot. dixerat, quare & illi hanc eamdem obiecerat instantiam; sed conatus fuit responsione à se adinuenta, quam supra considerauimus eludere difficultatem, qua neque etiam contentus; aliam Pomponatij pariter complexus fuit responsionem, ac mentem non absolute, sed comparatiue diuinam ab Aristotele fuisse appellatam probare nititur, cuius falsæ sententiæ confutationem nunc prætermittimus, cum supra non solum capite præcedente, verum etiam capite 6. eam fuse fuerimus prosequuti; sed videamus quid ad sequentia verba Zabarella respondeat, cum Aristot. inquit: *Corpus autem genituræ in quo semen animalis principij contentum vna prouenit, partim separabile à corpore in quibus diuina pars comprehenditur qualis est quæ mens appellatur partim inseparabile*, quæ vtcumque interpretentur, aperte mentis immortalitatem decernunt; si enim interpretemur cum Michaele Ephesio quem secutus fuit non solum Suessanus, verum etiam *Simon Portius cap. 16. libelli de mente humana*, necnon *Iulius Castellanus libello de intellectu humano cap. 9.* prorsus definitum est de immor-

talitate animi: Hæc enim erit verborum explicatio; *Corpus autem genitura in quo semen animalis principij*; hoc est animæ, *contentum vna prouenit partim separabile*, hoc est; quod animale principium siue quæ anima, *partim separabile a corpore in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est quæ mens appellatur, partim inseparabile*. ex qua apertissime constat Aristotelem dicere, quod anima partim est separabilis, vt in ijs animalibus quibus diuina pars animi comprehenditur, nempe illa quæ appellatur mens, partim vero inseparabilis. Si autem alio modo; nempe illo quem supra magis probauimus, & Græce lectioni magis consentaneũ ostendimus, quem pariter sequutus est Zabarella: protinus etiam animi immortalitas ex his verbis apparet; si enim illud separabile & inseparabile dicamus referri non ad animale principium, sed ad semen animalis principij, quod est natura illa cælestis & spiritus qui in semine continetur, & fœcunda facit semina, tunc profecto cum semen animalis principij, quod in ijs est qui mentem participant separabile dicatur à corpore, in reliquis autem inseparabile; necessario etiam sequetur, quod mens ipsa separabilis sit à corpore, cum reliquæ animæ dicantur inseparabiles: Si enim spiritus ille cælestis quo mens participata est, cum sit corpus; quamuis diuinum, hoc est cæleste ac nobilius quam elementa; vt Aristot. dixit, tamen separabile à corpore caduco est; quanto magis talis erit mens quæ sui natura est incorporea? ex quo pariter refellitur, & euertitur falsissima illa conclusio quam ex hoc loco deducunt tum Portius tum Castellanus, & alij immortalitatis hostes, nempe quod Aristoteles asserat semen esse principium cuiuscumque animæ etiam mentis, ac mentem etiam educi ex semine à generante. Cum enim hic Aristoteles statuerit principium mentis esse à corpore separabile, reliquarum autem animarum esse inseparabile longe diuersum statuit modum quo participatur mens: ab eo quo reliquæ animæ partes. veluti etenim reliquæ vt puta vegetalis & sensitiua cum habeant principium à corpore inseparabile necesse est vt à generante ex potentia seminis educantur; ita mens cum eius principium dicatur à corpore separabile non est necesse, vt ex semine educatur; sed veluti à corpore seiungi potest, ita pariter & sine corpore poterit aduenire.

Hæc tamen verba ita exponit Zabarella: ne immortalitati faueant. Aristotelem inquit in seminibus duas vires statuere, vnam cælestem; alteram vero elementarem, cælestem veluti alienam, & ab extrinseco principio communicatam, separabilem appellare, elementarem tamquam propriam, & ex vi subiecti insitam inseparabilem. Hæc sunt

eius

Digitized by Google

eius verba in poſtrema fere *parte 9. capitis de mente humana. Poſtea vero alijs ſequentibus verbis inquit in ſeminibus duas vires ineſſe, vnam ab ipſis ſeparatam, alteram vero non ſeparatam, agit enim ſemen tum virtute propria, tamquam agens proximum tum etiam virtute cæleſti, tamquam inſtrumentum cæleſtis agentis, & hac ratione dicitur in ſemine ineſſe principium actiuum ab ipſo ſeparatum, hoc eſt; rectum & gubernatum ab agente ſeparato, vnde dici ſolet ſol & homo generant hominem propria autem ipſius ſeminis virtus non poteſt eſſe alia quam elementaris, cum ſemen ex elementis conſtet, nam hæc quoque virtus ſuam actionem contribuit, ſed ad animalis generationem nullius momenti eſſet ſine altera, quam ſemen à cælo accipit.* Hæc Zabarella. ſed ò bone Deus, ſi eam facultatem in ſemine ſeparabilem Ariſtot. appellauit, quæ illi à cælo tributa eſt cum cuiuslibet animæ principium à cælo duxerit Ariſtot. non ſolum ibi cum dixit omnem animæ vim & facultate corpus aliud participare, idq; magis diuinum quam ea quæ elementa appellantur; verumetiam infra cum inquit; *Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit vt fecunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur, idq; non ignis, non talis facultas aliqua eſt; ſed ſpiritus qui in ſemine ſpumoſoq; corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum.*

Cur nam poſtmodum hoc in loco ipſam eamdem facultatem in ſolis hominibus coarctat, dicens hoc partim eſſe ſeparabile à corpore in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt quæ mens appellatur? aut igitur per ſeparabilem facultatem non intelligit facultatem ſeminum, vt à cælo communicatam, cum talis peculiare mentis principium non ſit; ſed omnium animarum, aut ſi eam intelligit, peculiare mentis principium non eſt, vt Ariſtot. dixit. Præterea quonam pacto facultatem, alteram quam dicit Ariſtot. eſſe in ſeminibus inſeparabilem, quæ pariter ſemen animalis principij dicitur, hoc eſt principium animæ ex elementis ducere potuit Zabarella, ſiue elementalem appellare; cum paulo ſupra Ariſtoteles, non ſolum omnia ſemina fecundari à facultate cæleſti dixerit, verumetiam ab hoc munere elementa, & eorum facultates excluſerit dicens: *Ineſt enim in ſemine omnium quod facit vt fecunda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur, idq; non ignis non talis facultas aliqua eſt.* & paulo infra. *Quamobrem ignis nullum animal generat neque conſtitui quicquam denſis, vel humidis, vel ſiccis videtur*; Quare aut dicendum erit omnem facultatem, quæ eſt in ſeminibus principium animæ, eſſe à cælo, vt Ariſtot. ſtatuit; & ita ex Zabarellæ ſententia nulla talis huiuſmodi facultas erit in ſeminibus inſeparabilis, contra id quod fuit ab Ariſtotele decretum, aut dicendũ erit aliquam vim genitalem, & animæ productiuam eſſe ab elementis: circumſcri-

pta ea quæ est à cælo. cuius contrarium docuit Aristoteles. Dicendum igitur est Zabarellam, cui nulla ignorantiæ nota inuri potest; potius passione deceptum, ac vt suam tueretur opinionem hæc non considerasse, quam incuria vel inscitia. Firma igitur ac inconcussa iudicio meo manet ex Aristot. sententia mentis humanæ separabilitas, & immortalitas, quantum pertinet ad hunc locum.

Verba ex primo de partibus considerantur.
Caput XI.

NON minus etiam considerandæ sunt Aristotelis verba *1. de partibus animalium cap. 1.* vbi cū statuisset ad philosophum naturalem pertinere non solum de materia, verumetiam de forma agere. hæc subiungit: *Si hæc inquam statui debent, hominis naturæ studiosi sane interest de anima, & disserere, & scire, & si non de omni anima, tamen de ea ipsa qua tale animal est, & quidnam anima, aut certe pars ista animæ sit, atque etiã de ijs quæ tali eius substantiæ accidunt; præsertim cum bifariam naturam intelligamus, vt altera pro materia sit, altera pro substantia, quæ quidem & vt mouens, & vt finis est, talisq; animalium anima, vel omnis, vel pars aliqua eius sit. Nam ob eam etiam rem qui de natura agit eo amplius docere de anima, quam de materia debet, quo materia natura potius per animam quam è contrario est lignum enim, & lectus, & tripes propterea est, quia idem potentia illa est.* Ex quibus verbis sumpta Aristoteles dubitandi occasione quæstionem proponit, quam collatis hinc inde argumentis non solum exagitat, verumetiam decernit, his verbis. *Sed quæret quispiam animaduertens ad id quod modo dixi. Vtrum de anima omni docere naturalis scientiæ interfit; an de aliqua vna; at si de omni, nulla certe præter naturalem philosophiam relinqueretur scientia. Intellectus enim siue mens rerum intelligibilium est; itaque rerum omnium notiones naturalis vna tenebit. Est enim eiusdem scientiæ vt tam de intellectu, quàm de re intelligibili doceat, siquidem eadem contemplatio omnium est inter se coniunctorum, sicut sensus etiam & rei sensibilis.* Hanc vero quæstionem decernit statuens, nequaquam de omni anima ad naturalem philosophum pertinere, quod probat duobus argumentis: vnum est. Ad naturalem philosophum, tantum pertinet tractare de anima, quæ est natura; sed non omnis anima est natura, ergo ad naturalem non pertinet tractare de omni anima: maiorem huius argumenti tamquam euidentem

dentem assumit, minorem vero probat ex definitione naturæ alibi assignata. cum enim natura sit principium motus & quietis illa anima erit natura, quæ erit principium motus; at non omnis anima est principium motus, quod probatur ex sufficienti omnium animæ partium enumeratione; omnis enim anima aut est vegetans, aut sentiens, aut intelligens. Vegetans quidem est principium motus nempe augmentationis, & diminutionis, pariter; & sentiens est principium alterationis; sentire enim est alterari. at intellectiua nullius motus principium est; clarum enim est non esse principium auctionis, vel diminutionis, neque alterationis, quare non restat nisi vt sit principium lationis, siue motus localis, modo neque huius potest esse principium, quia tunc in omnibus animalibus, quæ tali motu mouentur inesset, hoc principium, quod falsum est, quia lationem vel in cæteris esse animalibus nouimus, brutis, scilicet, intellectum vero siue mentem, in nullis. quare patet nō de omni anima naturalem differere oportere, siquidem non omnis anima natura est; sed aliqua eius pars, vna, aut etiam plures, vt vegetalis scilicet & sentiens. Alterum vero argumentum est; nullam rem à materia abstractam potest scientia naturalis considerare; sed aliqua anima est à materia abstracta nempe intellectiua; ergo non omnem animam potest scientia naturalis considerare, huius argumenti minorem tacet Aristoteles, vt sui moris est, breuitatis causa; maiorem vero probat, quia naturalis scientia ea considerat quæ ordinata sunt ad finem; natura enim alicuius gratia facit omnia, quapropter & principium motus est ad finem; & quietis, cum adeptus fuerit finis: rebus autem à materia abstractis deest finis cum ipsa propter suã ipsius naturam bonum sint & finis, vt fusius idem philosophus docuit *3. metaphis. cap. 3.* Ergo decretum optime est ad philosophum naturalem non pertinere tractare de omni anima; libet autem adscribere eadem met Aristotelis verba ex versione Theodori, quæ satis clara atque dilucida sunt. *An non omnis anima principium motus est, neque partibus animæ omnibus id tribui debet; sed augendi principium idem putandum, quod & in plantis est, alterandi vim eamdem quam sentiendi, deferendi autem aliud quidam non vim intelligendi; delationem enim vel in ceteris esse animalibus nouimus, intellectum siue mentem in nullis. Constat igitur non de anima differere omni oportere, quandoquidem non anima omnis natura est, sed aliqua eius pars vna aut etiam plures. Adhæc rem à materia abstractam nullam potest scientia naturalis contemplari, cum natura rei alicuius gratia faciat omnia: Rebus autem abstractis abiunctum, idest, quod sub hoc alicuius gratia verbo intelligimus.* Ex quibus duo deducuntur validissima pro animorum immortalitate

argumenta. Primum est. Forma inseparabilis est natura, intellectus nō est natura; ergo intellectus nō est forma inseparabilis; ergo non mortalis. Alterū est; nulla forma abstracta à materia est mortalis. Omnis intellectus est forma abstracta à materia ergo nullus intellectus est mortalis; sed videamus quid ad hæc dixerint vel possint dicere aduersarij.

Aduersariorum responsiones recensentur & explodūtur. Caput XII.



D hæc dicere forsitan possent qui exaduerso sunt, quod nonnullis placuit; Aristotelem hic disputationis gratia & dialectice fuisse loquutum; quod facile perspectis argumentis cognoscitur, cum probabilia sint. primum enim argumentum manifeste probabile est cum falso innitatur principio, nempe quod ad eumdem pertinet tractare de intellectu & de intelligibili cum eadem sit coniunctorum siue correlatiuorum disciplina, vt sensus & sensibilis. Intellectus enim & intelligibile non sunt vere correlatiua; scilicet, vt aiunt; secundum esse; sed tantum secundum dici, quemadmodum etiam sensus & sensibile, quod fuse docuit philosophus in prædicamentis capite de ad aliquid, quinimo etiam si essent vere correlatiua; tamen consequens non esset necessarium; non enim necessarium esset reliquas scientias, vel reliquam philosophiam præter naturalem esse superfluam, vt deducitur: de eodem enim intelligibili possent tractare aliæ scientiæ sub diuerso modo considerandi, veluti enim qui tractat de sensu tractat de sensibili, non quoad omnem modum considerandi; sed tantum vt habet respectū ad sensum, ita qui tractat de intellectu tractat de omni intelligibili, non quantum ad omnem modum considerandi; sed solum respectu, habito ad intellectum; nec minus probabile est aliud argumentum, quo statuit intellectum non esse naturam, cum assumat minorem propositionem pariter falsam; nempe quod intellectus non sit principium motus, cuius contrarium non solum apparet, verum etiam docuit idem philosophus *3. de anima partic. 48. & 49.* & infra toto illo capite. Quare nihil certi ac constituti; vt aiunt; ex hoc loco pro immortalitate animorum, desumi posse videtur, cum disputatiue, atque exercitationis gratia Aristot. loquutus fuerit. Verum hæc sententia

Digitized by Google

tentia manifeſte, ex ipſiſmet philoſophi verbis conuincitur, nam præterquam quod poſt allatam dubitandi rationem, ſiue poſt primum argumentum ſtatim Ariſtot. affert ſolutionem inquiens; *An non omnis anima principium motus eſt*, quò dicendi modo ipſe vti conſueuit, cum propriam ſententiam profert, conceptis verbis paulo infra teſtatus fuit ita ſe decreuiſſe, cum inquit: *Conſtat igitur non de anima diſſerere omni oportere, quandoquidem non anima omnis natura eſt, ſed aliqua eius pars; vna aut etiam plures*; neque vero obſtant inſtantiæ ſupra allatæ; ac primo non obſtat quod intellectus, & intelligibile non ſint vere correlatiua, quemadmodum nec ſenſus & ſenſibile; verum enim eſt hoc, ſi intellectus & intelligibile, ac ſenſus & ſenſibile abſolute, & in ſenſu diuiſo, vt dicũt; ſiue ſine reduplicatiua ſumantur; at ſi accipiantur cum reduplicatiua & in ſenſu compoſito hoc eſt falſum: ita enim accepta, ſunt vere correlatiua, ac ita qui de vno agit neceſſario etiam & de altero agit, quare qui agit de ſenſu vt ſenſus eſt, hoc eſt, vt talis potentia cognoſcens neceſſe etiam eſt, vt de ſenſibili, vt ſenſibile eſt, agat, & è conuerſo; ita pariter, qui de intellectu, vt intellectus eſt, agit, neceſſario, & intelligibile prout intelligibile eſt conſiderat, quare optime deducitur conſequentia; ſi naturalis ageret de intellectu nulla relinquetur præter naturalem ſcientiam philoſophia, vbi animaduertendum eſt Theodorum non vertiſſe fideliter verba Ariſtotelis hoc loco: vertit enim hanc conſequentiam tali pacto: *At ſi de omni nulla certe præter naturalem philoſophiam relinquetur ſcientia:* quæ aliter in Græco codice leguntur nempe. εἰ γαρ περὶ πάσης, οὐδεμία λειπεται παρὰ τὴν φυσικὴν ἐπιστήμην φιλοσοφίας. Quæ ſi ad verbum interpretentur hanc ſententiam reddent. *Si enim de omni nulla relinquetur præter naturalem ſcientiam philoſophia.* Quæ conſequentia & veriſſima eſt, & neceſſario deducitur, ſi ſano modo intelligatur; hoc eſt ſi eius antecedens cum reduplicatiua accipiatur, vt diximus; ſi naturalis agit de omni anima ſecundum propriam eſſentiam & naturam; nulla præter naturalem ſcientiam relinquetur philoſophia, probatur conſequentia, quia aget de intellectu vt intellectus eſt, ergo de intelligibili vt intelligibile eſt, quia correlatiuorum eadem eſt ſcientia. ergo de omni intelligibili; probatur vero vltima conſequentia ex ipſomet *Ariſt. 6. metaphiſ. cap. 1.* vbi diuidit ſcientiam ſpeculatiuam in eam quæ inſeparabilia & mobilia contemplatur, & hanc phiſicam appellat, & in eam quæ ſeparabilia & immobilia, & hanc primam philoſophiam dicit, quam & metaphiſicam alibi nominat. Si ergo naturalis conſiderat intellectum vt intellectus eſt, nulla erit præter naturalem ſcientiam philoſophia; conſiderabit enim non ſolum ſubſtantias, quæ

non

non abstrahunt à materia & à motu; verumetiam illas quæ separabiles sunt, & immobiles, quas pertinet ad metaphisicum contemplari; cum de intellectu agat vt intellectus est, qui vt talis existit, supponitur à materia esse abstractus, & ex consequenti à motu. Validissimum igitur erit argumentum ab Aristotele conflatum pro ratione dubitandi, cui & decisio quæstionis innititur, quinimo necessarium, nec dialecticum, aut probabile, si recte intelligatur; quod apertius ex dicendis inferius explicabitur; quare corruit prior instantia. Nec minus corruit secunda, in qua dicebatur falsum esse, quod intellectus non sit natura neque principium motus. Verissimum enim est quod intellectus secundum sui substantiam, & intellectus humanus, de quo hic loquitur Aristot. non est natura. Natura etenim pro forma accepta, est inseparabilis ab eo cuius est natura, vt philosophus docuit *2. phisicor. partic. 12.* his verbis. *Quare alio modo natura vtique erit habentium in se ipsis motus, principium, forma, & species, non separabilis existens, nisi secundum rationem.*

Cum enim intellectus de quo hic loquitur Aristot. statuatur à materia separabilis, sequatur etiam necesse est, eumdem nequaquam posse esse naturam; & quamuis intellectus humanus de quo hic Aristot. loquitur quatenus coniunctus cum sensu est, & hominem constituit; ac particula eius animæ est, qua homo intelligit & sapit, possit dici natura & ita consideratus ad naturalem pertineat, vt optime ipsemet philosophus docuit *6. metaphis. partic. 2.* inquiens: *De quadam anima speculari naturalis est quæcumque non sine materia.* tamen consideratus vt intellectus est, & à materia abstractus, vt hic accipitur, nequaquam ad naturalem pertinet, vt optime hic fuit ab Aristot. decretum; quamobrem & in *3. de anima*, non omnem intellectum statuit principium motus; sed actiuum tantum, siue practicum qui cum appetitu coniunctus est, non autem speculatiuum, cui competit potius quies quam motus. Constat igitur philosophum hoc loco non disputatiue, vt dicunt, & exercitationis gratia; sed ex propria sententia fuisse loquutum, ita aliqui. Alij autem; vt *Petrus Pomponatius libello de immortalitate animi cap. 9. Portius de mente humana cap. 14. Iulius Castellanus de intellectu humano lib. 3 cap. 1.* Omnes vnanimi consensu respondent, hic Aristotelem non de humano intellectu qui est intellectus potentia; sed de intellectu diuino qui est intellectus in actu sermonem habuisse. quare inquit Pomponatius. *Et quod dicitur 1. de partibus cap. 1. de intellectu non spectare ad naturalem verum est de vero intellectu ipse enim est mouens non motus, at humanus est mouens motus, quare hic est de consideratione naturalis, ille vero minime cum 2. phisicor. quæ non*

mota

Digitized by Google

mota mouent non ſint phiſicæ conſiderationis, ad id vero quod in contrarium affertur, nempe quod hunc intellectum Ariſtot. appellat animam; reſpondet idem Pomponatius, quod animam hic dixit æquiuoce, prout competit etiam intelligentijs, iuxta quam denominationem etiam cælum dixit animatum *in 2. de cælo*. Portius vero aliam affert reſponſionem, & inquit hunc intellectum dici animam, ſiue partem animæ noſtræ, quia eſt lumen intellectus noſtri. Laudat vero Portius ſuæ ſententiæ authorem Simplicium his verbis. *Neque ex his ſtatuendum eſt intellectum eſſe æternum, quia de eo loquitur in confuſo, idemq; ſenſit Simplicius cum dixit, quod ad naturalem pertinet tractare de intellectu participato, quoniam ex eius ſententia vt participatur, & poſsibilis dicitur, deficit.* Confirmat autem Iulius Caſtellanus hanc communem ſententiam pluribus argumentis, & primo, quia intellectus humanus ineſt hominibus; at hunc intellectum de quo loquitur nulli animalium ineſſe Ariſtot. aſſeruit, inquit enim: *Delationem enim, vel in cæteris animalibus eſſe nouimus intellectum ſiue mentem in nullis*. Præterea quomodo hic poteſt humanum accipere intellectum; ſi intellectus humanus intelligendo patitur, & ex conſequenti non ſine alteratione & paſſione eſt ipſum intelligere? hunc autem intellectum negat Ariſtot. eſſe principium motus? Tertio qua nam ratione de hoc intellectu negat ad naturalem pertinere, ſi nullibi de intellectu humano egit, quam in libris de anima, quos naturales eſſe, & inter naturales connumerari conſtat? hæc pro communi ſententia Caſtellanus, qui & alibi ſcilicet *1. lib. cap. 3.* vt impugnaret reſponſionem, quæ ad hoc tertium argumentum afferri ſolet, multis oſtendit vanum eſſe illud inuentum ſcientiæ mediæ inter phiſicam & metaphiſicam, quam tribuunt ſcientiæ de anima, cum tractet de forma partim inſeparabili partim ſeparabili; ſed hæc alibi in commentarijs de anima diligentius diſcuſſimus; neque vero hæc expoſitio difficile impugnatur. Conſtat enim Ariſtotelem hic de eo intellectu fuiſſe loquutum quo homo conſtituitur ineſſe hominis, quod ex eius verbis patet cum inquit; *ſi hæc inquam ita ſtatui debent, hominis naturæ ſtudioſi ſane intereſt de anima & diſſerere & ſcire, & ſi non de omni anima, tamen de ea ipſa, qua tale animal eſt, & quidnam anima, aut certe pars iſta animæ ſit atque etiam de ijs quæ tali eius ſubſtantiæ accidant, præſertim cum bifariam naturam intelligamus, vt altera pro materia ſit, altera pro ſubſtantia, quæ quidem & vt mouens & vt finis eſt, talisq; animalium anima, vel omnis, vel pars aliqua eius ſit. Nam ob eam etiam rem qui de natura agit eo amplius docere de anima quam de materia debet, quo materia natura potius per animam quam è contrario eſt. Lignum enim, & lectus, & tripes propterea eſt, quia idem potentia illa eſt.*

quibus

quibus in verbis potissimum illis, *& si non de omni tamen de ea ipsa qua tale animal est*. aperte docet se de intellectu humano sermonem habere; si enim naturæ hominis studiosus debet illam animam considerare, & scire qua homo tale animal est: hoc est qua homo est homo, est autem homo per intellectum, vt docuit millies, ac potissimum loco supra à nobis explicato *2. de generat. animal. cap. 3.* ergo manifestum est eum de intellectu humano sermonem habere; ergo ea quæ de intellectu dicit, immediate subsequentibus verbis; non de intellectu diuino neque de intellectu vt in confuso, & vniuersaliter accipitur (veluti supradicti asserunt) interpretanda sunt, quomodo enim Aristot. potuit dubitare an ad naturalem pertineret agere de omni anima, & ex consequenti de intellectu, confuse, & vniuersaliter accepto, si iam decreuerat ad naturalem non pertinere tractare de omni anima; sed tantum de illa qua tale animal est, puta de illa qua homo est homo, aut quomodo potuit ea quæ infra docuit de intellectu, enunciare de intellectu diuino, si intellectus diuinus non est pars animæ, quinimo neque est anima, neque constituit hominem inesse hominis; neque satisfacit responsio Pomponatij quod intelligentia aliquando appellatur anima, vt cum Aristot. dicit cælum animatum; falsum enim est intelligẽtiam esse animam cæli, tunc enim intelligentia esset virtus in corpore, & esset virtus finita, cuius contrarium demonstrauit *Philos. 8. phisicor.* neque cum Aristot. dixit cælum esse animatum, putauit ipsum esse animatum ab intelligentia; sed ab anima propria, appetitiua, ac motiua, & intellectiua citra intelligentiam, vt optime docuit *Philos. 12. metaphisicor. partic. 36.* dum dixit intelligentias mouere cælum vt intelligibile & appetibile; ergo cælum sui natura appetit & intelligit, vt perbelle docuit *S. Thomas 2. contra gentes cap. 70.* & nos fusius explicauimus in nostra quæstione inscripta, quod cælum sit animatum ex Aristot. sententia; quinimmo nulla intelligentia potest dici anima, neque etiam valde æquiuoce; nam omnis anima est actus corporis, at nulla intelligentia potest esse actus corporis, quia omnis intelligentia est separata à corpore, quare neque actu, neque aptitudine potest esse in corpore; si enim posset esse in corpore, tunc non solum non esset actus purus; sed haberet aliquam potentiam positiuam; verumetiam esset per aliquod intrinsecum finita, quare non moueret tempore infinito: quæ omnia repugnant Aristot. doctrinæ. ergo responsio Pomponatij non suffragatur. Nec minus inepta est alia responsio Simonis Portij, quod intellectus in actu siue diuinus, vt ipse existimauit sit pars animæ nostræ, quatenus eiusdem est lumen; ita enim vt est lumen non constituit

homi-

Digitized by Google

hominem vt homo eſt; ſed tantum concurrit ad intellectionem effectiue; quare nullo modo dici poteſt pars animæ; Reſtat igitur dicere quod poſtquam Ariſtot. ſtatuit naturalis eſſe tractare de anima non minus quam de corpore, ac eum qui naturæ humanæ ſit ſtudioſus debere, & diſcere, & ſcire, ſi non de omni anima ſaltem de ea qua homo eſt: propoſuit dubitationem vtrum de omni anima; docere naturalis ſcientiæ interſit, an de aliqua vna; ſi enim de omni, nulla præter naturalem relinquetur philoſophia. probatur conſequentia, quia ſi de omni anima tunc & de omni intellectu, quare & de omni intelligibili; probatur prior ſequela, quia ſi de omni anima; ergo de omni differentia animæ, ergo de omni intellectu humano; non ſolum enim de intellectu potentia, qui dianoetica virtus dicitur; verumetiam de intellectu agente, qui abſolute dicitur intellectus; nam & ipſe animæ differentia ab Ariſtot. appellatur *3. de anima*, quod ſi de hoc intellectu, ergo de omni intelligibili, quia non ſolum de intelligibili inſeparabili à materia; verumetiam de intelligibili ſeparato ageret, cum hic intellectus ſeparatus ſit, vt non ſolum hoc loco, verum etiam *3. de anima partic. 20.* idem Ariſtot. dixit, quare optime deduxit; ſi de omni anima ergo de intellectu; non enim oportebat dicere ſi de omni anima, ergo de omni intellectu, quod nos explicationis gratia attulimus; ſed ſufficit dicere ergo de intellectu, quia intellectus agens abſolute dicitur intellectus quod ſi de intellectu, ergo de omni intelligibili, cum talis intellectus ſit ſeparatus, quare nulla erit alia præter naturalem philoſophia, veluti enim *6. metaphiſ.* dicebatur; *ſi non eſt aliqua alia ſubſtantia præter eas quæ natura conſtituunt naturalis profecto prima ſcientia eſt*. ita hoc loco dicit. ſi naturalis, ſubſtantiam ſeparatam conſiderat; vt puta intellectum, nulla alia præter naturalem philoſophia eſt, quia naturalis etiam metaphiſica eſt. Atque ita quidem conſtat philoſophum non de intellectu in confuſo, neque de diuino intellectu; ſed de humano intellectu ſermonem habuiſſe, quamuis non de omni intellectu humano, non enim de intellectu potentia; ſed tantum de intellectu agente, vt etiam ſupra diximus, de hoc enim tantum intellectu vera ſunt illa quæ Ariſtot. dixit, ſcilicet quod non ſit principium motus, & cum ſit ſeparatus, de ipſo agere ad naturalem non ſpectet; neque propterea cum Pomponatio, vel cum Portio, vt ſæpe dictum eſt; conſentimus, cum ipſi dicant hunc intellectum eſſe intelligentiam, ſiue Deum; nos autem cum Ariſtot. illum dicamus eſſe differentiam animæ noſtræ, ac eamdem eſſe ſubſtantiam cum intellectu potentia, & propterea vtrumque eſſe immortalem; ſed differre ad inuicem, quia intellectus potentia cum

conſti-

conſtituat hominem, cum ſenſu coniunctus eſt, & forma eſt corporis, quia particula animæ eſt, qua anima intelligit & ſapit, ac propterea non intelligit ſine corpore, quia non ſine phantaſmate & eius intelligere eſt pati, quamuis perfectiuum; at intellectus agens, qui vt in ſe ipſo manet conſideratur, non coniungitur cum ſenſu, ac propterea ſeparatus dicitur, & eius intellectio non eſt paſſio, ſed eius ſubſtantia; & ad intellectionem humanam concurrit actiue tantum, vt lumen ad viſionem, vt Ariſtot. *3 de anima* docuit; atque hæc omnia citra controuerſiam intellectui agenti tribuenda ſunt, quamuis vnica ſubſtantia ſit cum intellectu potentia, & ne ab Ariſtot. exemplo diſcedamus, veluti idem radius in ſeipſo manens, ſiue in diaphano interminato, inuiſibilis, & incorporeus eſt; terminatus autem ad opacum viſibilis, & quodam modo corporeus efficitur; ita & vna ac eadem ſubſtantia intellectiua in ſe ipſa manens & ſeparata eſt; ſe ipſam intelligit, & eius operatio eſt actus; vt vero corpori coniungitur, ſiue pars animæ eſt, quæ eſt forma corporis, coniuncta cum ſenſu eſt; nec intelligit ſine corpore & ſenſu; ac eius intelligere eſt pati. hanc puto eſſe Ariſtot. ſententiam, quam ſupra etiam aliquo modo tetigimus, hanc conſtat eſſe antiquiſſimorum peripateticorum, qui & Ariſtotelis auditores fuerunt, hanc certum eſt fuiſſe Simplicij; quapropter miratus ſum vehementer Portium doctiſſimum alioquin peripateticum, hoc loco conatum fuiſſe Simplicio ſuæ ſententiæ fautorem oſtendere, cum contrarium ex eius verbis conſtet innumeris in locis ac potiſſimum *3. de anima ſuper partic. 20.* vbi inquit exponens illa verba, paſſibilis intellectus corruptibilis; *ſed dubitare poßet aliquis, quomodo cum & ille intellectus ſit, corrumpitur? ſi vel ille immaterialis eſt. Statutum namq; fuit omnem intellectionem ſine materia eſſe, & ea quidem ratione quoque omnem intellectum intelligibilem eſſe, at non è conuerſo immaterialem formam quæ ſit intelligibilis intellectum eſſe. An poßibilis intellectus materialis erat & poteſtate, & hoc ipſum paßibilis & imperfectus intellectus, id totum exiſtens quantiſper paſſibilis ſit; & idcirco etiam corruptibilis eſt, quatenus poſſibilis exiſtit; immaterialis autem fit & actu intellectus & intelligibilis in contactu & complicatione cum efficiente facto; perfecte autem immaterialis & perfectus ſit intellectus, in recurſu in efficientem ipſum facto. Adeo vt paſſibilis intellectus corruptio: ſit; non receſſus ille in non ens; ſed contractio in id quod præſtantiori modo eſt: cum animata illa ſeparata ſubſtantia in ſe ipſam quoque illam reuocet, quæ ad extra prouenit, quæ non amplius prouenit; ſed in ipſo manet & tamquam in cauſa ſiat. Paſſibilis igitur intellectus quatenus paſſibilis; eſt corruptibilis.* Hæc Simplicius iuxta quorum ſenſum & non aliter accipienda ſunt verba quæ affert Portius ex eius ſententia, quod intellectus participatus

Digitized by Google

ticipatus & possibilis, deficiat. Ex his vero facile erit soluere rationes quas congessit Iulius Castellanus, & primo ad primum vbi dicebatur negare Aristot. hunc intellectum cuiquam animalium inesse dupliciter respondemus, aut quod deneget intellectum animalibus brutis; ita enim arguit intellectus non potest esse principium motus localis, quia motus localis cæteris inest animalibus intellectus autem siue mens nullis; brutorum scilicet, aut dicendum est, quod cum hic loquatur Aristot. de intellectu agente, optime dixit intellectum hunc nulli animalium inesse, vt formam, neque enim intellectus agens constituit hominem; sed intellectus potentia, vt enim agens est, omnino separatus est à materia, vt *3. de anima partic. 20.* dixit. ad secundum vero vbi dicebat nostrum intellectum non intelligere sine passione & alteratione; ac proinde esse principium motus, pariter dicimus, verum hoc esse de intellectu, vt est intellectus potentia; hic enim non intelligit sine phantasmate, non autem de intellectu agente, qui non indiget phantasmatibus, vt optime docuit Simplicius loco nuper citato, quare hic intellectus non est principium motus; quinimo si *Aristot. 3. de anima*, negat intellectum speculatiuum esse principium motus, quanto magis negabit esse principium motus intellectum agentem. ad tertium vero vbi dicebatur negare Aristot. considerationem huius intellectus ad physicum pertinere; at de intellectu humano tractauit Aristot. in libris de anima, & nullo alio in loco visus est de humano intellectu pertractare. Respondemus Aristot. in libris de anima tractasse de humano intellectu, scilicet de intellectu potentia & de intellectu agente; sed de intellectu potentia quoad essentiam & operationem, cum intellectus potentia sit forma hominis. de intellectu autem agente quoad operationem tantum, scilicet quatenus effectiue concurrit ad intellectionem, faciens potentia intelligibilia actu intelligibilia, non autem quo ad eius essentiam; non enim *3. de anima* tractatur de eius essentia nisi breuiter, scilicet quod sit immortalis, separatus & immixtus, substantia actus existens, quæ tractantur relatiue ad intellectum potentia, quod patet ex eo quod dixit: *Non reminiscimur autem quia hoc quidem impassibile est, passiuus vero intellectus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit*; cum enim eius essentia sit à materia omnino separata, non est physicæ considerationis; sed pertinet ad metaphysicum; nec obstat non legi hunc tractatum in libris metaphysicis, quia multi adhuc desiderantur Aristot. metaphysici, vt optime animaduertit S. Thomas, quapropter non solum hic tractatus Aristot. deficit, scilicet de humano intellectu in se ipso & sui natura considerato, non tantum vt est in homine; verumetiam tractatus

ctatus de anima cæli, quæ eiuſdem conſiderationis eſt cum humano intellectu, cum & ipſa pariter intellectiua ſit. Atque ita ni fallor abunde monſtratum eſt falſam eſſe Pomponatij, ac cæterorum reſponſionem, quod hic Ariſtot. non de humano ſed de diuino intellectu loquutus fuerit. Daniel Furlanus Cretenſis, qui & ipſe mortalem animum ſtatuit ex ſententia Ariſtot. in *commentario ſuper 1. de partibus*, cum vidiſſet hic Ariſtot. nullo pacto habuiſſe ſermonem de intellectu diuino; fruſtra enim inſeruiſſet eam dubitationem hoc loco, cum nemini dubium ſit Deum non eſſe naturam, neque ad naturalem eius contemplationem pertinere, aperte prædictorum ſententiam damnauit, quare aliam commentus fuit, quam operæpretium erit referre, inquit ergo, duplicem eſſe humani intellectus conſiderationem, vnam qua intellectus potentia eſt, & eſt forma hominis, & hæc eſt omnino phiſica; alteram vero qua intellectus in actu eſt, atque diuinæ illi menti quæ intellectus agens dicitur eſt coniunctus, atque ab illa eadem illuminatur. & talis conſideratio nullo pacto pertinet ad phiſicum, quia refertur ad intelligibilia, quæ ſunt vere intelligibilia, nempe à materia ſeiuncta, qualis eſt intellectus agens, & hoc modo conſideratus intellectus nullo pacto eſt natura & principium motus, cum tantum intellectus practicus, qui eſt coniunctus cum phantaſia, non autem intellectus ſpeculatiuus ſit principium motus, vt *Ariſtot.* docuit *& 3. de anima, & libro de animalium motu*, quare de intellectu ita conſiderato nullam habuit mentionem *Philoſ. in 3. de anima*, tunc enim neceſſarium fuiſſet conſiderare intellectus agentis ſubſtantiam & quidditatem, quod pertinet ad *12. metaphiſicorum* vbi de intelligentijs ſermonem habet; quare inquit, Ariſtot. bene hoc loco ſtatuiſſe, quod intellectus humanus ita conſideratus non pertinet ad naturalem; non tamen inde colligitur intellectum humanum eſſe immortalem; ſed pace dictum ſit eruditi viri: ipſe manifeſte decipitur, & falſa ſupponit: ſupponit enim Ariſtotelem de intellectu potentia, vt coniungitur cum intellectu agente, nullum ſermonem habuiſſe in *3. de anima*; cum manifeſte contrarium conſtet; toto enim *cap. 3. libri ſupradicti*, de nulla alia re agit quam de intellectu potentia, vt ſe habet ad intellectum agentem; quinimo aliqua etiam breuiter tetigit de eſſentia & natura intellectus agentis, quamuis relatiue ad intellectum potentia, vt ſupra dictum eſt, non ſolum dicens quod eſt omnia agens, & ſe habet veluti lumen, verum etiam quod eſt immortalis & ſeparatus & immixtus, & ſubſtantia actus exiſtens; quare nullibi viſus eſt amplius tractare de intellectu potentia, vt eſt coniunctus cum intellectu agente, Ariſt. quam in hoc

loco

Digitized by Google

loco & iure quidem merito, quia intellectus potentia coniunctus cum intellectu agente est intellectus in actu siue speculatiuus, vt ipsemet Daniel fatetur; intellectus autem speculatiuus pertinet ad phisicum, cum speculari & intelligere sit operatio hominis, ac propterea nullo alio in loco de ipso agitur quam in *3. de anima*. Quare statuendum est, quod à principio monstrare propositum fuit. Aristot. hic non probabiliter aut disputationis gratia loquutum fuisse; sed assertiue, atque de intellectu humano, non de diuino decreuisse, quod sit à materia abstractus & immortalis.

Afferuntur loca ex 1. Ethicor. & 12. metaphisicor. & expenduntur. Cap. XIII.

ALIAE etiam afferuntur ab alijs authoritates ex *1. Ethicor. cap. 11. & 12. metaphisicor. partic. 51.* primo etenim Ethicorum cum quæsiuisset an defuncti boni alicuius, vel mali possint esse participes. statuit, quod si aliquid boni vel mali ad ipsos pertingit, exile quid est, ac paruum, aut si non; tantum saltim, ac tale erit, vt neque fœlices eos qui non sunt facere, neque eos qui sunt priuare fœlicitate possit. hæc autem statuit Aristot. referens ad ea quæ supra dubitauerat, an fortunæ posterorum ad defunctos pertineant. quo ex loco aperte colligitur defunctorum animas superstites esse; alias enim inanis esset quæstio, an ad defunctos pertinerent posterorum fortunæ; & an participes boni vel mali esse possint defuncti; frustra enim de eo quod non est, aliquod quæritur. Neque obstat responsio Portij; & aliorum qui hæc referunt ad famam & existimationem mortuorum, quæ sola apud viuos remanet; satis enim aperta sunt philosophi verba in contrarium; cum enim dubitationem proponit, & cum illam soluit de ipsismet defunctis; non autem de illorum existimatione loquitur; his verbis: *Magis autem fortasse de vita defunctis dubitandum an boni alicuius, vel contrarij possint esse participes; videtur enim ex his etiam si pertingat ad ipsos quippiam siue bonum siue contrarium, exile quodam ac paruum id esse, vel absolute & simpliciter vel ipsis.* quorum verborum si vltima aduertamus videbimus philosophum bona & mala expresse referre ad ipsos mortuos; inquit enim bonum & malum exile, ac paruum ad mortuos pertingere, vel absolute & simpliciter vel ipsis. hoc est malum & bonum quod ad defunctos perue-

nit ex fortunis prosperis, vel aduersis amicorum & consanguineorum, aut exile est, ac paruum absolute & sui natura; aut respectu ad ipsos defunctos, qui parum hæc curant, & minimum his afficiuntur; sed hunc locum nos non satis magnifacimus, cum ex morali philosophia depromptus sit, in qua magni momenti est statuere animos immortales, ad componendos mores; quemadmodum etiam in politica ad condendas leges; & regimen bene instituendum. *Ex 12. autem primæ philosophiæ partic. 51.* afferuntur hæc verba. *An omne non habens materiam indiuisibile est? quemadmodum humanus intellectus*. ex quibus aperte videtur colligi immortalitas; si enim humanus intellectus immaterialis est & indiuisibilis; necessario etiam est immortalis. quicquid enim mortale est materiam habet, & quicquid habet materiam est diuisibile; quare cui neutrum inest est immortale; sed rei veritate sensus horum verborum non est huiusmodi (quamuis talis appareat, & ab Auerroe non improbetur) clarum etenim est; Aristot. hoc loco sermonem habere de modo; quo intelligunt mentes separatæ, quæ intelligentiæ appellantur; hoc enim proposuit initio huius capitis indagare, dicens: *Ex vero quæ circa mentem sunt quasdam dubitationes habent; videtur enim eorum quæ apparent quid diuinissimum esse, quo vero modo se habens talis erit, difficultates quasdam habet; siue enim nihil intelligat, sed ita se habeat vt dormiens, quidnam præcellens erit? siue intelligat, huius vero aliud sit principale (non enim id quod est eius substantia, intellectio erit, sed potentia) profecto non erit optima substantia, siquidem eo quod intelligit, ei honorabilitas inest*. quam dubitationem cum soluisset, dicens: mētes intelligere se ipsas, ac propterea ipsas esse quid optimum ac præstantissimum, nec esse in ipsis quid diuersum intellectum, intelligibile, & intellectionem; sed esse idem: aliam subnectit dubitationem, & inquit. *Item restat dubitatio, vtrum compositum sit quod intelligitur; mutaretur enim in partibus totius*. Quam dubitationem soluens inquit. *An omne non habens materiam indiuisibile est, quemadmodum humanus intellectus, aut qui compositorum in aliquo tempore se habet, nam non bene esse habet in hoc, aut in hoc, verum in toto quodam quod optimum est aliud ab eo existens. Sic autem ipsa sui ipsius intellectio per totum æternum se habet*. Quibus verbis respondet propositæ dubitationi. dubitauerat enim, an quod intelligitur ab intelligentia, siue mente separata, compositum sit, & reddit rationem dubitandi, quia si intelligibile est compositum: mutatur intelligens in intelligendis partibus totius, non enim intelligit totum simul, sed diuisim; huic vero dubitationi satisfacit subdens. *An omne non habens materiam indiuisibile est, quemadmodum humanus intellectus*. vbi animaduertendum quod particula illa, indiuisibile, quæ græce est

ce eſt ἀδιαίρετον hic ſcribenda fuiſſet, non diuiſibile, & ita ſenſus fuiſſet apertus; qui obſcurus redditus eſt ex eo, quia ſumptum eſt indiuiſibile pro vnica dictione, cum debeat ſumi pro duabus dictionibus ſeparatis, hoc eſt, non, diuiſibile; & ita ſenſus clarus erit, & ad mentem authoris; ita enim reſpondebit propoſitæ dubitationi. ſi compoſitum eſt intelligibile, tunc intelligens mutabitur in intelligendis partibus totius. An omne non habens materiam non eſt diuiſibile quemadmodum humanus intellectus, ſcilicet; diuiſibilis eſt; dicit autem humanum intellectum diuiſibilem, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad intellectionem, cum enim humanus intellectus ſit in materia, ſcilicet in corpore intelligit diuiſibiliter, hoc eſt vnum ſeorſum ab alio, ac prius vnum deinde alterum, at vero mentes cum ſine materia ſint: non ſunt diuiſibiles, hoc eſt non intelligunt diuiſibiliter, ſed vnica intellectione intelligunt omnia; quem ſenſum confirmant ea quæ ſequuntur, inquit enim. *An omne non habens materiam indiuiſibile eſt quemadmodum humanus intellectus, aut qui compoſitorum in aliquo tempore ſe habet, nam non bene eſſe habet in hoc, aut in hoc, verum in toto quodam quod optimum eſt aliud, ab eo exiſtens; ſic autem ipſa ſui ipſius intellectio per totum æternum ſe habet.* Quorum hic eſt ſenſus. An omne non habens materiam non diuiſibile eſt quemadmodum humanus intellectus, ſiue intellectus qui compoſitorum, ſcilicet intelligibilium eſt, & in aliquo tempore ſe habet, hoc eſt in tempore intelligit, prius ſcilicet vnum deinde alterum. (quod propter dianoeticum, ſiue diſcurſiuum intellectum dixit, qui prius intelligit præmiſſas quam concluſionem) reddit autem rationem quare mentes quæ ſunt ſine materia non intelligunt diuiſibiliter, vt humanus intellectus, & inquit: nam non bene eſſe habet quod optimum eſt, in hoc aut in hoc tempore intelligere; aliud ab eo exiſtens; verum in toto quodam, hoc eſt in indiuiſibili tempore & vnica intellectione; ſic autem ipſa ſui ipſius intellectio per totum æternum ſe habet. patet igitur hunc locum nequaquam conducere ad immortalitatem intellectus humani, quod pariter aſſeruit S. Thomas in expoſitione horum verborum. Et dignum animaduerſione eſt, quod S. Thomas qui adeo conſtanter immortalitatem animorum apud Ariſtot. defendit hunc tamen locum non voluit ad ſuum ſenſum extorquere, quod tamen poterat authoritate Auerrois facere, qui ante ipſum pro immortalitate, hæc verba poſſe exponi cenſuit, neque hoc improbauit, quod dictum volui aduerſus illos, qui immerito carpunt. S. Thomam dicentes eum voluiſſe facere Ariſtotelem chriſtianum, fideliter enim ſemper interpretatus fuit Ariſtotelem ac ita docte, vt nullus vnquam

melius. Et hæc quidem dicta ſint de illis locis quibus Ariſtoteles extra libros de anima de humani intellectus immortalitate ſuam ſententiam protulit.

Locus ex primo de anima particula 65.
Caput XIIII.

SED age iam ad libros de anima deueniamus, ac primum ad priores duos, deinceps vero ad tertium in quo ſpeciatim, & ex propoſito de humano intellectu Ariſtot. ſermonem habuit, *Ariſtot.* igitur *1. de anima*, cum ſententiam eorum confutaſſet qui animam moueri affirmabant poſtmodum *partic. 62.* ſuper eadem re aggreditur dubitare ex operationibus quibuſdam animæ, quæ ſine dubio motus ſunt, & de anima dicuntur; dicimus enim animam triſtari, gaudere, confidere, timere, amplius autem iraſci, ſentire, & cogitare; huic autem dubitationi ſatisfaciens ſtatuit: perperam, hæc de anima vſurpari tamquam de ſubiecto, quod his motibus moueatur, cum non anima, ſed corpus animatum; per animam, tamquam per principium his moribus moueatur; ac veluti perperam, & abſurde quiſpiam operationes artis, vt texere, vel ædificare animæ tribueret, & non artifici, quamuis artifex per animam & habitus in anima inhærentes, hæc opera exerceat; ita pariter non minus inepte quis animam gaudere, aut triſtari dicet, vel iraſci; aut cogitare: cum potius homo per animam his motibus afficiatur; & anima ſolum hos motus participet, aut tamquam ipſorum initium, vt reminiſci, quod cum ab anima inchoetur ad ſenſus organa terminatur, aut tamquam terminus, vt ſentire, quod cum à ſenſorijs incipiat ad animam terminatur, hoc eſt vſque ad ſupremum gradum animæ cognoſcentis, ac veluti reminiſcentia ab intellectu inchoationem habet; ac propterea non ſine diſcurſu eſt, & ad ſenſuum organa terminatur, nempe ad excitandos ſpiritus animales, qui memoratrici imaginatiue deſeruiunt: ita ſenſus ſiue ſentire à ſenſoriorum receptione & paſſione incipit, & ad ſupremum gradum animæ terminatur, vt in homine vſque ad intellectum, qua parte ſenſui coniunctus eſt, ex quo fit animaduerſio, ſine qua non fit ſenſatio; quod optime expreſſit magnus Hippocrates dicens; *qui aliqua corporis parte dolentes dolorem non ſentiunt his mens ægrotat*; (ſed aliquantulum digreſſi

greſſi ſumus) cum igitur Ariſtot. hæc; de motibus ſi quæ attributis ſed corpori & animæ legitime competentibus diciſſet, inter quos, & διανοεῖσθαι, hoc eſt cogitare connumerauit: ſubdit hæc verba. *Intellectus autem videtur innaſci ſubſtantia quædam exiſtens & non corrumpi; maxime enim corrumperetur vtique ab ea quæ eſt in ſenio debilitate, nunc autem quemadmodum in ſenſorijs accidit; ſi enim acciperet ſenex oculum talem, & videret vtique ſicut & iuuenis; quapropter ſenium non eſt, quia ſubſtinuit aliquid anima, ſed id in quo, ſicut in ebrietatibus & morbis. Ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit alio quodam interius corrupto; ipſum autem impaſſibile eſt. Cogitare autem, & amare, aut odiſſe, non ſunt illius paſsiones, ſed huius habentis illud ſecundum quod illud habet, quare & hoc corrupto neque meminit, neque amat; non enim illius erant, ſed communis, quod quidem deſtructum eſt, intellectus autem fortaſsis diuinius quid, & impaſsibile eſt.* Quæ verba & ſi valde difficilem & perplexum habeant ſenſum; conabimur tamen fideliter, non noſtro marte, ſed ex antiquiſſima Græcorum interpretum ſententia explicare. ac primum quia viſum fuit Alexandro, & Themiſtio, & nonnullis alijs, non bene hæc verba cum præcedentibus cohærere, ac veluti ex obliquo, & diſputationis gratia ab Ariſtotele fuiſſe pronuntiata; cum enim, vt ipſe inquit Themiſtius, *id ageret, atque id velle addiceret ne moueri animus videretur; nihil attinebat hac intentione intellectum dicere ſubſtantiam eſſe quandam quæ intus accideret, nec aboletur, nec erat ratio quam obrem hoc loco de immortalitate animi diſputaret; quia neque de reliqua anima vtrũ mortalis eſſet hac parte agitabatur, ſed ſolum illud in quæſtione erat moueri ne, an non moueri intellectus poſſet. Deinde in eo, quod verba illa calumniam ſubſtinent, quod ratio qua intellectus incorruptus & immortalis aſſeritur, videtur idem in ſenſu pollere, atque illum quoque ab interitu vindicare. Immo vero ſi ailigenter aduertas fere hoc egiſſe Ariſtotelem comperies, vt ſenſum quoque eſſe immortalem oſtenderet. ſi aboleri inquit intellectus poſſet maxime id ab inualentia futurum; quæ in ſenectute contingeret; nunc vero accidit contra; id quod in ſenſorijs cernitur; nam ſi vti poſſet ſenex oculo iuuenis videret vt iuuenis, ex quibus verbis talis ratio nectitur. Quemadmodum ſenſus non patitur laborantibus ſenio & faciſcentibus inſtrumentis; ita neque intellectum pati interiore illo affecto collabefactoque.* Hæc Themiſtius, quæ non ex propria ſententia, ſed tamquam ab Alexandro dubitata propoſuit: ſolutionem enim in poſterum ſe daturum pollicetur quod in tertio libro præſtitit; quia inquam hæc primum ratio dubitandi inſurgit: primo loco horum verborum cum præcedentibus connexionem conſiderabimus, ſunt autem hæc præcedentia verba *in partic. 64. Dicere autem intellectum innaſci animam ſimile eſt, ac ſi eam quis dicat texere, aut edificare; melius enim fortaſsis eſt non dicere animam miſereri,*

aut addiscere, aut cogitare; sed hominem anima: hoc autem non tamquam motu in illa existente; sed aliquando quidem vsque ad illam, aliquando quidem ab illa, vt sensus quidem ab his, reminiscentia vero ab illa ad motus qui sunt in sensuum instrumentis aut quietes. Quibus verbis, vt iam explicatum est, nihil aliud Aristot docet, nisi quod prædictæ operationes quas motus appellabant; irasci, misereri, addiscere, cogitare non sint solius animæ; sed totius compositi: inter hæc autem dixit διανοεῖσθαι, hoc est cogitare, etiam esse totius compositi, quia cogitare est intellectus coniuncti cum sensu; procedit enim qui discurrit ab vniuersalibus ad particularia: ex his autem sequitur, quod omnes animæ potentiæ ad quas hæ operationes pertinent sint inseparabiles; hoc enim docuit statim in principio huius libri, quod illæ animæ facultates quarum operationes sine corpore non possunt esse, sed vtriusque sunt, & corporis scilicet & animæ sine corpore ipse non possunt esse, quarum autem operationes sine corpore esse possunt, vt est ipsum intelligere; maxime enim proprio assimilatur ipsum intelligere; non enim cum eius actione communicat actio corporalis, vt *2. de generat. animal. cap. 3.* dixerat, & ipse à corpore separabiles sunt, quare & intellectus à corpore separabilis est. Iure igitur & necessario præsentia præcedentibus annectuntur; cum enim & ipsum intelligere competat homini: quæri posset quare & ipsum intelligere non sit opus commune & animæ & corporis; non enim rei veritate ipsum intelligere animæ & corpori commune dici potest, cum anima intelligendo nullo corporeo vtatur organo, quamuis discurrendo, ac cogitando descendat ad corpus, & vna cum facultatibus corporeis operetur, phantasia scilicet; sed ipsum intelligere, quod est speculari nequaquam ad particularia descendit; sed tantum circa vniuersalia versatur, quamuis non sine particularibus intellectus dum animæ coniunctus est vniuersalia speculetur; sed vna cum phantasmatibus. Ad hoc igitur respondens Aristoteles quod posset aliquis iure merito dubitare; an intelligere sit operatio quæ cõposito quemadmodum, & reliquæ dictæ operationes cõpetit: tamquam secernens intelligere à cæteris operationibus quæ cõpositi sunt inquit. *Intellectus autem videtur innasci substantia quædam existens, & non corrumpi.* Quasi diceret de ipso intelligere alia est ratio, quam de cæteris operationibus; nam cum intellectus ad quem pertinet intelligere non educatur de potentia materiæ sicuti cæteræ materiales formæ, quæ simul cum corpore & generantur & intereunt; sed videatur innasci, hoc est extrinsecus aduenire; substantia quædam existens, & non corrumpi; ac propterea eius substantia cum corpore non communicet, necessario etiam sequitur.

tur, quod neque eius operatio, quæ est ipsum intelligere, cum corpore communicet, consequuntur enim se inuicem hæ propositiones. Formarum quarum esse non pendet à corpore, neque operationes pendent à corpore, & quarum operationes pendent à corpore, & esse pariter pendet à corpore, ac veluti in 2. *de generat. animal.* arguebat intellectum solum extrinsecus aduenire, ac solum diuinum esse; quia cum eius actione nihil communicat actio corporalis; ita pariter hoc loco deducit intellectus operationem non esse corpoream, quia intellectus substantia; à corpore non pendet, neque interit; hæc est autem connexio horum verborum cum præcedentibus, ordinata, ac necessaria, vt manifestum est, non autem temere & inconsulto, vt Alexander calumniatur, hæc interiecta sunt verba, vt optime exposuerunt Simplicius & Philoponus, quod si etiam & Themistius eadem de re vitus est dubitasse, in dubitatione tamen non acquieuit; sed in posterum tertio scilicet libro se allaturum solutionē pollicitus fuit. nunc vero ponderanda sunt verba & verborum sensus; animadtertendum autem est quod consulto, & ex proprietate sermonis dictum fuit ab Aristotele de intellectu, quod videtur innasci; substantia quædam existens, & non corrumpi; innasci enim quod græce est ἐγγίνεσθαι, idem significat quod ingenerari, siue superuenire, & extrinsecus accedere, vt alij quidam vertunt, quod vtique non dixisset de forma corruptibili; illa enim dicitur potius connasci non innasci, quod clarius reliquis verbis expressit dicens *substantia quædam existens*, quod nequaquam de materialibus formis dici potest, cum tales formæ nullam aliam habeant existentiam quam in materia à qua dependent, *& non corrumpi*: probat autem hoc assumptum Aristoteles, ac potissimum quod non corrumpatur; si enim inquit corrumperetur maxime vtique corrumperetur ab ea quæ est in senio debilitate; probatur autem sequela, quia cum intellectus sit substantia non potest corrumpi nisi ad corruptionem corporis in quo est, quare maxime hoc in senio contingeret, cum corpus collabentibus viribus, & ob debilitatem marcescit, quod non contingit, & si enim extremo subrepente senio atque confractis corporis viribus, mentis operationes deficere atque labefactari videntur, vnde & senes decrepitos, quamuis antea sapientes; repuerascere dicimus, & bis pueros appellamus; hoc tamen illi non contingit ratione sui, sed propter aliud, ac veluti videmus in sensorijs, quod ipsis labefactatis, etiam nihil patiente sentiendi facultate, tamen operatio læditur, vt in sene; corrugatis oculi tunicis, ac exiccatis humoribus senex debiliter videt, at vero si alium mutuaretur oculum, nempe si ac-

ciperet oculum iuuenis videret vtique vt iuuenis, ita pariter contingit in senio; cum enim in senio debilitantur operationes animæ non est, quia in senio aliquid patiatur anima; sed id in quo est anima sicut in ebrietatibus & morbis. Quibus in verbis libet aliquantulum immorari, ac primo circa exemplum adductum de sentorijs, ac sensu, siue de oculo iuuenis, & senis, animaduertendum est; exemplum aptissimum esse ad id declarandum quod proposuerat; quamuis non in omnibus seruet paritatem; docet enim, quod veluti sentus non pendet secundum esse ab organo externo, quamuis pendeat ab illo secundum operationem, ita quædam animæ particula non pendet à corpore secundum esse, quamuis eius operatio non sit sine corpore, ac propterea lædi potest eius operatio læso corpore; illæsa atque intacta manente eius substantia, at longe diuersa ratione quam id contingere dicatur sensibus; quamuis enim læso organo externo, facultas sentiendi, quæ est in anima, illæsa maneat; tamen non propterea omnino impatibilis est; quia adhuc pendet ab organo interno, nempe à spiritu, & calido à quibus inseparabilis est. At vero humanus intellectus omnino separabilis existens à corpore, cum nullius corporis sit actus, neque vllo corporeo vtatur organo, omnino impassibilis est, quod si aliquando pati videtur, vt in senio & morbo: id contingit ratione qua ipse particula animæ est, anima autem actus corporis est, & corpore vtitur tamquam organo, quamuis ipsi intellectui non sit aliquod organum, neque commune, neque proprium assignare, cum omnino nullius corporis sit actus. Læditur autem eius operatio, non eo quod anima aliquid passa sit; sed id in quo, hoc est corpus ipsum quo anima vtitur; animaduertendum autem est, quod non dixit in senio & morbis intellectum non pari; sed animam, quia intellectus dum in corpore est, & operatur animæ nomen sortitur, ac animæ gradus est, & eius officio fungitur, cum sensum adminiculantem habeat, & sine phantasia non speculetur; quapropter & subdit: *Ipsum igitur intelligere, & ipsum speculari marcescit alio quodam interius corrupto, hoc est sensu, seu phantasia. Ipsum autem*; scilicet Nus, siue intellectus *impassibile est*. Concludit tandem Aristoteles quod ab initio statuerat, & inquit. *Cogitare autem, & amare, aut odisse, non sunt illius passiones, sed huius habentis illud, secundum quod illud habet; quare & hoc corrupto neque meminit, neque amat, non enim illius erant, sed communis quod quidem destructum est. Intellectus autem fortassis diuinius quid, & impassibile est.* Quæ verba cum satis pateant non indigent explicatione; ex ipsis autem luce meridiana clarius conspicitur prædicta quæ de immortalitate intellectus Aristot. statuit non fuisse

temere,

temere, & inconsulto interposita, sed summo studio, ac maxima connexione, tum præcedentium, tum subsequentium hoc loco pronunciata.

Aduersariorum responsiones confutantur.
Cap. XV.

HVIC argumento Petrus Pomponatius in libello quē inscripsit *defensorium cap. 11.* respondet, & inquit, rationem hoc loco ab Aristot. allatam, non concludere, quod intellectus humanus sit immortalis. non enim (inquit ipse) per hanc authoritatem videtur probari solum, quod intellectus humanus sit immortalis; verum etiam & anima sensitiua, quod apertum est repugnare Aristoteli; dicit namque quod si visus senis ponatur in oculos iuuenis, senex videbit vt iuuenis, vt insinuetur, defectum non accidere ex parte animæ, sed solum ex parte organi. Ratio igitur illa de immortalitate humani intellectus, scilicet quoniam marcescit quodam interius marcescente non plus concludit de intellectu quam de sensu, cum dicat oculum, siue potentiam visiuam ex se non deficere, sed ratione organi. Quam responsionem confirmat Pomponatius authoritate Diui Thomæ, qui in expositione huius loci inquit, hæc Aristotelem non ex propria sententia, sed aliorum pronunciasse: qui asserebant omnem animam esse immortalem, ac propterea intellectum comparat cum sensu, ac dicit intellectū non pati nisi ratione organi quemadmodū & sensus, necnon, intelligere & cogitare marcescere alio quodā interius corrupto; quibus etiam possumus, & nuper citatū Themistij testimoniū adiungere, qui se idē pariter sensisse his verbis significauit. *Deinde in eo quod hæc verba calumniam substinent; quod ratio, qua intellectus incorruptus & immortalis asseritur videtur idem in sensu pollere, atque ita illum quoque ab interitu vendicare; immo vero si diligenter aduertas fere hoc egisse Aristotelem comperies, vt sensum quoque esse immortalem ostenderet.*

Hanc eandem responsionem nullis penitus mutatis, attulit *Iulius Castellanus lib. 3. cap. 3.* At *Simon Portius de mente humana cap. 13.* amplectitur quidem prædictam responsionem tamquam ab Alexandro suo Duce profectam, verum & ipse aliam comminiscitur, vt minus fidens; Omnitto illam de codice nescio quo manuscripto & vetusto in quo præponitur

ponitur dictis verbis negatio ἀδυνᾶς ἔοικεν ἐγγίγνεσθαι, ideſt, *neque intellectus videtur innaſci*. ipſam enim ſtatim tamquam frigidam & ineptam reijcit, cum antiquiſſima lectione apud Themiſtium, Philoponum, Simplicium, & alios, ita legatur vt in vulgato codice, inquit vero, *Ariſtotelem hoc loco cepiſſe intellectum confuſe, nec diſtinxiſſe eum qui eſt in actu ab intellectu potentia; ſed cum vulgatus intellectus dicatur intellectus actu, dixit illum eſſe ſubſtantiam, & intus accedere & non corrumpi, intelligens corruptionem quæ fit à contrario, quæ nullis partibus animæ accidit: quin nec ſenſus hac corruptione corrumpitur, quoniam id maxime infirmitate ſenectutis vſu veniret, hoc tamen non videmus, quoniam ſi ſenex donaretur oculo iuuenis videret vt iuuenis, atque hoc de intellectu, multo magis dicendum eſt, cum ſit facultas nulli organo affixa. Accepit itaque Ariſtot. corruptionem celebrem & famoſam, qua fit à contrario & intellectum inconfuſo*. Hæc aduerſæ partis anteſignani; ſed videamus quantum ponderis habeant. Ac primum allata primo loco reſponſio non ſolum debilitata, verumetiam confracta & comminuta fuit ſuperiore capite dum verba exponeremus; diximus enim falſum eſſe quod dicitur Ariſtotelem ex eadem ratione deducere non ſolum intellectũ, verumetiam & ſenſum immortalem eſſe; non enim, vt ex ſola lectione verborum clariſſime patet, Ariſtoteles inde deducit intellectum eſſe incorruptibilem, quia non læditur læſo organo, quod etiam in ſenſu contingit; ſed quia non pendet à corpore ſiue quia eſt immixtus corpori, vt fuſius declarabit in *3. libro de anima*. Ita autem concludit ratio. Intellectus videtur innaſci ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi; ſi enim corrumperetur maxime corrumperetur abea quæ in ſenio fit debilitate; ſed non corrumpitur ab hac debilitate; ergo ſimpliciter & omnino non corrumpitur; quod autem non corrumpatur à debilitate ſenectutis probat ex hoc, quia intellectus nihil patitur in ſenectute ſicut neque in ebrietatibus & morbis; veluti enim in ebrietatibus & morbis læſo animali ſpiritu læditur diſcurſus illæſo prorſus exiſtente intellectu, ita in ſenectute marceſcente atque labefactato corpore, illæſo intellectu eius læditur operatio; quod exemplo viſus in ſenibus Ariſtot. declarat; veluti enim læſo tantum oculo læditur viſio etiam integra, ac nihil læſa facultate videndi; itaut ſi ſenex acciperent oculum iuuenis videret vt iuuenis; nos vero in patientibus morbum qui dicitur à Medicis gutta ſerena clariore exemplo declarabimus; in his enim nihil læſa prorſus facultate videndi tamen ablata eſt viſio obſtructis tantum opticis neruis quibus per ſpiritus facultas videndi ad oculos tranſmittitur. Hoc autem competit intellectui, non quia non pendet ab organo extrinſeco quem admodum competit ſenſui,

Digitized by Google

ſui, qui & ſi pendeat ab organo extrinſeco quantum ad operationem pertinet &, vt dicunt, in operando, tamen ab ipſo non pendet; quantum pertinet adeſſe, ſiue in eſſendo, ac propterea poteſt læſo tantum organo lædi eius operatio non læſa exiſtente facultate; ſed longe præſtantiori independentia ab omni organo, tum extrinſeco, tum intrinſeco, tam in eſſendo quàm in operando; cum intellectus omnino inorganicus ſit, neque cum eius operatione communicet corporis actio; ex quo patet falſiſſimum eſſe quod à Pomponatio & aliis in reſponſione accipitur, nempe quod hic Ariſtoteles non minus probet, & ſtatuat incorruptibilitatem ſenſus quam intellectus; cum ſenſus & ſi in eſſendo, vt ita dicam, non pendeat ab organo extrinſeco à quo pendet in operando; tamen pendet in eſſendo ab organo corporeo intrinſeco, nempe à corde & ſpiritu animali ſine quo eſſe non poteſt; itaut ad deſtructionem eiuſdem neceſſario corrumpatur. Quæ omnia optime nouit Pomponatius, & etiam inuitus veritate cogente confeſſus fuit loco nuper citato, vbi quamuis dicat Ariſtotelem tam ſenſitiuam quàm intellectiuam animam per accidens corruptibilem exiſtimaſſe, tamen ſubdit paulo poſt. *At longe magis per accidens intellectus humanus corrumpitur quam ſenſus; primo quidem quoniam accidit intellectui corrumpi, cum nullum abſtractorum corrumpatur; at nullus eſt ſenſus qui non corrumpatur. Amplius quoniam minus humanus intellectus dependet à corpore, quoniam tantum vt obiecto, & non vt ſubiecto dependet à corpore, at ſenſus vtroque modo ſcilicet vt ſubiecto & vt obiecto.* Quibus in verbis duo fatetur de intellectu humano, vnum quod ſit abſtractus; alterum vero quod non dependet à corpore vt ſubiecto. ex quibus ita contra ſuam poſitionem arguo. Nullum abſtractorum corrumpitur; ſed intellectus humanus eſt abſtractorum, ergo intellectus humanus non corrumpitur. Maior huius ſillogiſmi accipitur à Pomponatio, & etiam euidens eſt, nam quicquid corrumpitur, aut per ſe, aut per accidens corrumpitur; ſed neutro modo quod eſt abſtractum corrumpi poteſt; ergo, probatur minor, quicquid corrumpitur per ſe; eſt accidens, quia corrumpitur à contrario; contrarietas autem non eſt in ſubſtantijs, ſed quod eſt abſtractum non eſt accidens, quia accidens ſemper eſt in ſubiecto; ergo. Neque vero poteſt corrumpi per accidens, quia quicquid hoc modo corrumpitur, corrumpitur ad corruptionem ſubiecti à quo pendet ineſſe, vt albedo cum corrumpitur ad corruptionem parietis albi, & forma equi ad corruptionem equi; ſed quod eſt abſtractum non pendet ineſſe ab aliquo ſubiecto; ergo, quod eſt abſtractum non poteſt corrumpi per accidens; ergo, quod eſt abſtractum nullo modo corrumpitur. Minor pro-

propositio quod intellectus humanus est abstractorum, pariter accipitur à Pomponatio, vt patet ex allegatis verbis, vbi inquit; *primo quia accidit intellectui corrumpi, cum nullum abstractorum corrumpatur*: ergo supponitur, quod intellectus humanus sit abstractorum; neque vero intellectus humanus vt humanus est, potest corrumpi per accidens ad corruptionem corporis in quo est, vt hic asserit Pomponatius, quod ex supradictis eius verbis pariter ita probo. Quicquid corrumpitur per accidens corrumpitur ad destructionem eius à quo pendet vt subiecto, vt clarum est, & docuit *Aristot. lib. de longitudine & brevitate vitæ cap. 1.* sed intellectus humanus ex Pomponatio non pendet à corpore, vt subiecto, ergo intellectus humanus non corrumpitur per accidens, vt falso ipse supponit hoc loco, & in *lib. de immortalitate animæ cap. 9.* neque ipsi suffragabitur, id quod declarat loco vltimo allegato, nempe quod pendere, & indigere organo tamquam subiecto sit recipi in corpore modo quantitatiuo & corporali, vt ipse dicit, sic quod cum extensione recipiatur; totum enim hoc falsum est, & exemplum quod ab ipso affertur contra ipsum militat; sensus etenim pendent à corpore vt subiecto, & vt obiecto, & tamen eorum operatio est spiritualis non materialis, & non recipiunt obiectum modo quantitatiuo, vt patet de auditu; vox enim ita auditur vt tota percipiatur à singulis, & tota ab omnibus, quod arguit sensus non recipi in organis modo quantitatiuo, quare pendere à corpore vt subiecto non est recipi cum extensione tantum; sed ita esse in subiecto vt sine eo esse non possit, siue vt accidens, siue vt perfectio; quod est formarum corruptibilium. Igitur necessario concluditur ex his quæ ipsemet Pomponatius fatetur intellectum humanum non esse, neque per se, neque per accidens corruptibilem, atque eius responsionem, ad locum ex Aristotele, allatam esse falsam.

Non fauet illi authoritas Themistij à Castellano recitata, quia Themistius ea quæ contra hunc locum attulit, tamquam dubitata ab Alexandro siue alijs aduersarijs attulit, & non ex proprio sensu; quinimmo responsionem in tertio libro se his daturum pollicetur, quod etiã præcedente cap. diximus. hæc autem sunt ipsius verba in calce capitis. *Hæc sunt quæ de verbis illis vocari possunt in dubium. Defensiones solutionesq; in aliud tempus differre commodius est, quo se nobilissimus philosophus ad plenioremdiscussionem substinet, ac reseruat.* Sanctus vero Thomas non mirum est si in hac sententiã concessisse videtur; non solum ab argumentis; verum etiam authoritate Themistij permotus; quem putauit in eadem esse sententia.

Venia-

Digitized by Google

Veniamus nunc ad eam quam attulit Portius reſponſionem; duo vero affert reſponſionis capita; vnum quod accipiat intellectũ Ariſtot. in confuſo, ſcilicet, prout quid commune ſignificat ad intellectum in actu, ſiue agentem, & ad intellectum potentia, quos adhuc non diſtinxerat. Verum hoc manifeſte redarguitur, nam ſi nomen intellectus, vt ipſe inquit, in confuſo accipitur, æque poteſt ſignificare, & intellectum potentia, & intellectum in actu, quorum neutrum ex doctrina Portij eſt poſſibile; non enim poteſt ſignificare intellectum potentia, quia talis intellectus, vt Portius exiſtimauit ex Ariſtot. ſententia eſt accidens & facultas, ſiue potentia animæ, ac propterea Ariſtot. dicebat (inquit ipſe) quod nulla alia eſt eius natura niſi vt ſit potẽtia. Hæc autem ſunt Portij verba de hac re *libello de mente humana cap. 7. Etenim nullibi intellectum potentia 3. de anima (in quo omnem rationem intellectus potentia explicauit) eſſe ſubſtantiam affirmauit, ſed ſolum de eo hæc prædicata protulit, ipſum eſſe potentia; impaſsibilem, ſimplicem, ſeparabilem ab organo, & immixtum, quæ omnia conueniunt intellectui, vt facultas eſt cognoſcendi, tamen numquam dixit illum eſſe ſubſtantiam quod quidem ſummæ neceſſarium erat ad intellectus rationem explicandam*. At vero intellectus de quo hic loquitur Ariſtot. eſt ſubſtantia, inquit enim; *Intellectus autem videtur innaſci ſubſtantia quædam exiſtens & non corrumpi*. Videns autem hoc Portius conatus eſt euadere, inquit enim, quod cum *vulgatus intellectus dicatur intellectus actu dixit illum eſſe ſubſtantiam & non corrumpi*. Quaſi velit quod hæc verba præcipue intelligantur de intellectu agente, ſed neque hoc eſt poſſibile; quomodo enim de hoc intellectu dicet paulo infra quod eius operatio marceſcit alio quodam interius corrupto; cum ex ſententia Portij intellectus agens ſit Deus, & eius operatio ſit eius eſſentia; ergo falſa eſt reſponſio, quod Ariſtoteles hic accepit intellectum in confuſo, & non ſpeciatim pro intellectu humano; nec minus falſa eſt altera reſponſio, nempe quod intelligit Ariſtot. cum inquit, intellectum non corrumpi corruptionem quæ fit à cõtrario, quæ nullis partibus animæ accidit, quia nec ſenſus hac corruptione corrumpitur. Hoc etenim apertiſſime ex ſermone Ariſtotelis, & ratione quam affert redarguitur itaut mirum ſit virum adeo doctum hoc minime aduertiſſe; volens enim Ariſtot. probare quod intellectus non corrumpatur; affert hoc argumentum: quia inquit, *ſi corrumperetur maxime corrumperetur ab ea quæ in ſenio fit debilitate*. Talis autem corruptio non eſt corruptio quæ fit à contrario quæ dicitur per ſe; ſed eſt corruptio quæ fit ad corruptionem ſubiecti, quæ dicitur per accidens. Quare hæc reſponſio Portij pariter corruit, itaut ſi alia melior non afferatur maneat argumentum

pro

Digitized by Google

pro immortalitate animi ex authoritate Ariſtot. hoc loco depromptã in ſuo robore; ſed video aliquos ad dictiones illas, videtur, &, fortaſſis, tamquam ad ſacram anchoram confugere, quaſi Ariſtot. hac in re nihil certi locutus fuerit; ad primum vero dicendum eſt cum Ammonio in expoſitione prædicabilium; prima particula de genere, quod dictio illa, videtur, non ita intelligenda eſt, ac ſi quis hæſitaret, quod confirmatur ex *Ariſtot. 1. de Cælo partic. 1.* vbi inquit, *ſcientia de natura fere plurima, videtur circa corpora & magnitudines, & horum paſsiones atque motus, adhuc autem & circa principia quæ talis ſubſtantiæ ſunt.* Cum tamen nemo vnquam dubitarit quod ſcientia naturalis circa talia verſetur. Ad alterum dicendum, quod frequens eſt Ariſtotelis conſuetudo vſurpandi hanc dictionem, fortaſſis, etiam vbi nulla ſit occaſio ambigendi; cuius multa poſſunt afferri exempla, quorum primum afferam ex *1. de anima partic. 6.* cum proponeret quæ inueſtiganda eſſent de anima ante eius definitionem, inquit; *primum autem fortaſsis neceſſarium eſt diuidere in quo generum, & quid ſit; dico autem vtrum hoc aliquid, & ſubſtantia ſit an qualitas, aut quantitas, aut etiam quodam aliud diuiſorum prædicamentorum.* Et tamen neceſſarium eſt, & nemini dubium, ea quæ multipliciter dicuntur prius diuidi quam definiantur, quod etiam abſolute præcepit idem philoſophus multis in locis, ac præcipue *1. de Cælo partic. 110.*

Poteſt etiam dici ex authoritate antiquiſſimorum & doctiſſimorum Græcæ linguæ Principum; Platonis ſcilicet & Thucididis, quinimmo & omnium antiquiſsimi Homeri, quod dictio illa ἔοικεν, non magis ſignificat, videtur, ab, ἴκω, quam æquum eſt ab eodem verbo deducto ἔοικε, quod idem ſignificat, quod æquum eſt, vel conueniens eſt, aut decet iuxta quẽ ſenſum veriſsime Ariſtoteles loquitur hoc pacto. ἐδέ νῆς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι οὐσία τις ἥτις καὶ οὐ φθείρεσθαι, ideſt, intellectus autem conueniens eſt cum ſit ſubſtantia ingenerari, & non corrumpi. Plato ita loquutus eſt *9. de legibus.* ἔοικε δὲ νέῳ παντὶ ὑπὸ γέροντος πληγέντι μὴ θύμως ὀργὴν ὑποφέρειν. decet iuuenem quemlibet à ſene verberatum æquo animo iram ſuſtinere, & *Thucidides lib. 1.* ἀδικούμενοι δὲ ὡς ἔοικεν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον ὀργίζονται ἢ βιαζόμενοι. iniuriam vero accipientes, vt æquum eſt homines magis iraſcuntur, quam vim. Homerus autem ἀλλ' ἄφρα μή τίς μ' ἀργείων ἀγέρατος ἔω ἐπ' ὄδε ἔοικεν. vt ne ſolus Argiuorum ſine munere ſim, ſiquidem æquum non eſt. Hanc eandem interpretationem ſequutus eſt *Simplicius 2. de anima ſuper partic. 21.*

Quinimmo & reſpondemus veriſsime ex proprietate Græcæ dictionis, quod particula illa, ἴσως pariter ſignificat, & fortaſsis, & æqualiter, ſiue a quo modo, vt apud grauiſsimos authores legitur, & præ-

cipue

elpue apud Demoſthenem *Olinth. 3.* ἐκ δὲ τοῦ τὰ μὲν ἑλληνικὰ πιστῶς, τὰ δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς, πρὸς δὲ ἀλλήλους ἴσως διοικεῖν μεγάλων ἀγαθῶν εἰκότως ἐκτήσαντο εὐδαιμονίαν. hoc eſt ex eo quod res Græcas fideliter; erga Deos pie, inter ſeipſos vero æqualiter adminiſtrarunt, magnam rationabiliter aſſequuti ſunt fœlicitatem. Ex quibus liquido patet non magis aduerſarios poſſe particulam illam, ἴσως pro fortaſsis, quam nos eandem pro iuſte ſiue æque & æquabiliter interpretari iuxta quem ſenſum illi cõtraponitur, ἀνίσως, quod eſt non æque nec pari modo, qui ſenſus optime reſpondet antecedentibus Ariſtotelis verbis dum inquit, ὁ δὲ νοῦς ἴσως θειότερόν τι καὶ ἀπαθές ἐστι, hoc eſt, intellectus vero æquo modo diuinius quid, & impaſsibile eſt; iam vero huic capiti finem imponam, quod nimis in longum me produxiſſe agnoſco, ſi cuidam adhuc dubitationi ſatisfaciam, quam aliqui aduerſarij ſatis ambitioſe & confidenter obijciunt; Dubitatur autem circa ea quæ dicta ſunt, primo quia Ariſtot. inquit intelligere ipſum & ſpeculari marceſcere alio quõdam interius corrupto; ergo intellectus vtitur organo corporeo ad cuius corruptionem eius operatio deficit. Hoc argumentum fuit tanti momenti apud grauiſſimũ quemdã Doctorẽ vt exiſtimarit propterea; quę dicta ſunt ab Ariſt. hoc loco nõ ex propria ſed aliorũ ſententia dicta fuiſſe. Secundo, quia paulo infra tandẽ Ariſt. concludit, quod non ſolum amare & odiſſe quæ ad ſenſum pertinent; verum etiam cogitare quod pertinet ad intellectum non ſunt paſsiones animæ, ſed animæ habentis corpus ſecundum quod corpus habet, quod ſi verum eſt minime ſeparabilis ſed inſeparabilis eſt intellectus quemadmodum ſupra dixerat *partic. 13. Si eſt aliqua animæ operatio, aut paſsionum propria contingit vtique ipſam ſeparari, ſi vero nulla eſt propria ipſius non vtique erit ſeparabilis.* Ad hæc autem obiecta reſpondemus, & primo ad primum negando ſequelam; non enim ſequitur intelligere marceſcit alio quodam interius corrupto, ergo intellectus vtitur organo; hoc enim interius quod corrumpitur non eſt organum quamuis ſit facultas organica nempe phantaſia; intellectus enim nullo prorſus vtitur organo ex ſententia Ariſtotelis, quare hæc ſequela non deducitur, neque à Pomponatio, neque à Portio, neque ab alijs bonis peripateticis quamuis ſint aduerſarij; ſed tantum à Galeno qui primo de locis affectis, & alibi frequenter hoc vſus eſt argumento; ſed Galenum hac in re non magnifacio, conſueuit enim ipſe Ariſtotelis dogmata impugnare; quippe qui minus profunde, ac ſuperficie tenus eius doctrinam conſiderauit. Indigere autem phantaſia non arguit neceſſariam intellectus à corpore dependentiam; nam quamuis phantaſia quæ ſubminiſtrat intellectui phãtaſmata ſine quibus

Digitized by Google

bus non potest intelligere dum corpori coniunctus à corpore necessario pendeat, & eius temperaturam sequatur, tamen intellectus longe superior facultas est, neque temperaturam sequitur; quapropter, neque à corporis passionibus semper & necessario afficitur, quod quamuis suo loco copiosius & luculentius probabimus, tamen oportunum erit etiam hoc loco ab exemplis quæ Aristoteles attulit aliquatenus ostendere; videtur enim aliquando in ebrietatibus & morbis quamuis læso corpore, & labefactata phantasia adhuc intellectus integer manere ac imperare; quinimmo delirantis phantasiæ errata corrigere, quod etsi raro videatur ob rarum intellectus vsum & exercitationem, cum vix minima pars hominum viuat intellectu; maxima autem sensu, ob quod Aristot. aliquando dixit; non omnibus hominibus inest intellectus, tamen negari non potest quin aliquando succedat. Memoriæ proditum est philosophum quendam à cane rabido morsum cum in aquæ timorem, quod extremum est huius veneni accidens deuenisset, in balneum deductum, vt immersione morbū profligaret (id enim præsentaneum est malo remedium) primo quidem timuisse ac recusasse ingressum; phantasia illi repræsentante canem in balneo qui illum momorderat; postea vero ratiocinio emendasse errorem, quid enim; dicebat, cani cum balneo? ac ita confirmatum; balneum frequenter intrasse, ac morbum arcuisse; vidi ego virum in litteris exercitatum & philosophum, qui, cum essemus in conuiuio, & aliquando liberalius bibisset, incipiebat memoria deficere, & lingua titubare; cum vero etiam proximus esset vt aliqua delira loqueretur, læsionem aduertit; ac ita loqui desijt quousque à cetu se subtraxit; quinimmo tamquam philosophus hæc verba pronunciauit, cum percepisset conuiuas eius temulentiam cognouisse. *ipsum intelligere, & ipsum specularì marcescit, alio quodam interius corrupto, ipsum autem impassibile est.* ex quibus colligi potest intellectum non pendere necessario à corpore; sed illi dominari & imperare, atque ita priori dubitationi satisfactum putarim; ad alteram vero non difficile est respondere; nullum enim absurdum est dixisse, quod cogitare sit operatio coniuncti, & non animæ tantum. per cogitare autem intelligit discurrere, quod est opus non solius intellectus; sed intellectus coniuncti cum sensu, quod optime significat verbum Græcum διανοέσθαι, quod discurrere est. Reliquum est ad cætera loca ponderanda deuenire.

Digitized by Google

Ex eodem 1. de Anima partic. 93. locus alius.
Caput XVI.

HOC idem, quod prædictis in locis. *libro pariter de anima 1. partic. 93. Aristot.* testatum reliquit; cum enim aduersus Platonem qui animã partibilem, non solum ratione, secundum diuersas facultates, verum etiam subiecto; secundum varias corporis partes, in Timeo statuerat; primum argumentum attulisset, dicens: *Quid igitur continet animam si partibilis est natura.* cum etenim vni corpori vna anima debeatur. si anima sua natura partibilis est, quid illam continet siue coniungit & vnam facit? *non enim vtique corpus, videtur enim contra magis anima corpus continere; egrediente enim expirat & putrescit. Si igitur aliquid aliud vnam ipsam facit, illud maxime vtique erit anima. Oportebit autem iterum & illud quaerere vtrum vnum, an multarum partium sit; si enim vnum est, propter quid non mox & animam vnum esse; si vero partibile; iterum ratio quaret quid est continens; & sic vtique procedet in infinitum.* Deinceps & alterum subiungens argumentum inquit. *Dubitabit autem aliquis & de ipsius partibus, quam potentiam habeat vnaquaeque in corpore. Si enim tota anima totum corpus continet conuenit & partium vnam quamque continere aliquid corporis. Hoc autem assimilatur impossibili, quam enim partem aut quomodo intellectus continebit, difficile est etiam fingere.* Quo argumento optime concludit Aristot. aduersus Platonem: deducens illum ad impossibile. Quod facile intelligemus si supponamus, quod Aristot. tamquam euidens prætermisit; nempe quod si anima diuisibilis est ad diuisionem corporis, vt Plato censuisse videtur. extensa etiam est ad extensionem corporis.

Ex hoc autem sequitur, quod si tota anima totum corpus continet, & vnaquæque pars animæ, certam corporis partem continebit; veluti enim se habet totum ad totum, ita pars ad partem. Quare & Plato veluti totam animam in toto corpore posuit, ita & partes animæ certis corporis partibus assignauit; vegetalem siue concupiscibilem epati cui tamquam præsepi brutam hanc animæ partem veluti iumentum quodam alligauit; Irascibilem vero cordi, qua veluti satellite, aut cane aduersus importunas concupiscibilis rebelliones Rationalis vteretur. Animalem vero ac Rationalem cerebro tamquam in suprema atque editissima arce. Hoc autem scilicet singulis animæ hu-

Digitized by Google

manæ partibus, singulas, ac certas corporis partes assignare, assimilatur impossibili, Aristoteles inquit. nam esto quod vegetalis constituatur in epate, irascibilis in corde, & animalis siue sensitiua & motiua in cerebro, tamen hoc non poterimus de intellectiua animæ parte; *Quam enim partem, aut quomodo intellectus continebit difficile est etiam fingere.* Hæc autem sunt Græca verba ἴδιον δὲ τοῦτο ἀδύνατον· ποῖον γὰρ μόριον, ἢ πῶς ἐν τοῖς σωματικοῖς, χαλεπὸν καὶ πλάσαι. cuius impossibilitatis rationem in *3. lib. afferet, & in 2. de generatione animalium attulit.* nempe, quia intellectus prorsus inorganicus est, & eius actio nihil cõmunicat cum actione corporea. ex quibus certissimis & clarissimis Aristot. verbis ego ita pro immortalitate animorum arguo. Intellectus nullam partem corporis cõtinet: ergo intellectus prorsus est immortalis. antecedens propositio est Aristot.; subsequens vero probatur. Si intellectus aliquo pacto esset mortalis, & non prorsus immortalis, necessario sequeretur ad temperamentum alicuius partis corporis; probatur consequentia, quia omnis forma corruptibilis educitur de potentia materiæ, quod est sequi ad dispositiones materiæ, ac propterea ad temperamentum, At cum intellectus sit pars animæ, si esset corruptibilis, necessario sequeretur temperamentum alicuius partis corporis. ex Aristot. deductione hoc loco; sed consequens est falsum ergo & antecedens. Quod consequens sit falsum; probatur; nam omnis forma quæ consequitur temperamentum, & dispositiones alicuius corporis est vnica & inseparabilis perfectio, quæ continet illud corpus, vt patet ex etymologia entelechie, quam tribuit Aristoteles talibus formis, aduersarijs nostris id maxime concedentibus; dicitur enim entelechia, vt supra etiam dictum est, quasi vnicam perfectionem continens; sed intellectus nullã partem corporis continet, quinimo, neque fingere, aut imaginari possumus quam partem corporis, aut quomodo intellectus contineat, vt Aristot. dicit; ergo intellectus non est forma quæ sequitur temperamentum, neque pendere potest ex temperamento; ergo impossibile est ipsum esse mortalem. Quod etiam inde confirmatur; nam omnes qui statuerunt intellectum humanum esse mortalem, ipsum dixerunt pendere ex temperamento, at hæc, dogmata Aristot. non sunt, sed Galeni; qui eo cæcitatis deuenit, vt non sit veritus dicere intellectum esse temperamentum cerebri, quo nihil ineptius; quamuis ipse hoc eodem in loco, scilicet libello quod animi mores corporis sequantur temperaturam, *cap. 3. & 4.* sæpius sibi contradicat. dicens, quod vtrũ anima rationalis immortalis sit, aut mortalis nihil habebat certi, aut constituti nec demonstrationem aliquam hac de re tenebat; quinimo qualis nam sit

animæ

animæ ſubſtantia ſe ignorare libere & aperte fatetur. Non ſic Ariſtoteles noſter qui certiſsime hoc loco decreuit, neque figmento proximũ eſſe, aliquam corporis partem aſsignare, quam intellectus contineat, ſiue cui ſit alligatus, vt de morticinijs atque corruptibilibus animæ facultatibus dicere eſt; nempe de vegetali ac iraſcibili ex Platonis ſententia; ſed dubitare aliquis iure poſſet, quonam pacto Plato diuiſibilem animam conſtituerit, qui illam æternam mõſtrauit in phedro, validiſsimo argumento, ſcilicet, quia ſibi ipſi principium motus exiſtit; & cum ſeipſam deſerere non poſsit; perpetuo & inceſſanter moueri neceſſe eſt: quinimo de rationali animæ parte magis dubitare contingit, qui nam fieri poſsit, vt eam non ſolum in capite, tamquam certa ſede ac particula collocarit; verum etiam (vt ipſius verbis vtar) tamquam diuinum ſemen in cerebro, veluti in agro iactum atque diſſeminatum putarit, qui eamdem immortalem atque indiuiſibilem, & paulo ante, & vbique locorum apertiſsime prædicauit. Quibus perbelle reſpondet, atque ſatisfacit *Plotinus Eneade 4. lib. 3. cap. 23.* & primum priori. animam in varijs atque diuerſis animati corporis partibus ſitã eſſe iuxta varias atque diuerſas quas cum corpore exercet functiones; vbi enim exordia atque principia ſunt inſtrumentorum, ibi, & ipſius operationes exercentur & facultates ineſſe pariter dicuntur, vt cum facultatem videndi in oculis, audiendi vero in auribus inſitam dicimus, quod pariter *Ariſtot.* docuit *2. de partibus cap. 10.* dicens contra eos qui animam ſentientem in cerebro conſtituebant. *Verum cum intelligere cauſam quamobrem ſenſus nonnulli in capite habentur nequeant; quod eam partem cæteris eſſe peculiariorem animaduerterint; ideo ſenſum cum cerebro coniungendum ratiocinantur.* Non igitur animam, ſed facultates Plato, diuiſibiles dixit: Alteri vero dubitationi ſapienter etiam eodem loco reſpõdet, veriſsima reſponſione, & non ſolum ad Platonis mentem; verum etiam iuxta Ariſtot. ſenſum, loco examinato. Inquit vero, quod cum antiqui rationem in cerebro poſuerunt, non propterea id fecerunt, quia ratio ſit in cerebro; ſed quia ſenſualis anima & imaginatiua virtus, quibus rationalis, tamquam proxime ſuperior gradus affinitate coniungitur, in cerebro conſtituta ſunt, tamquam proportionato membro, ac ſuis operationibus accommodato inſtrumento. Oportebat autem rationalem animæ partem quamuis nullo modo cum corpore communicantem; hoc eſt nullo corporeo organo vtentem, cum illa animæ ſpecie communicare, quæ poſſet ab ipſa aliquid accipere, hoc eſt illi parere & ab illa illuſtrari, qualis eſt imaginatiua.

Rationalis igitur animæ pars, in cerebro eſt, non vt in loco; ſed quia

sensualis & imaginatiua, quæ est quodammodo rationis particeps, tam quam eius famula, & administra eo in loco est velut suæ actioni accommodata parte: ob animales scilicet, spiritus, in cerebro artem peratos, qui imaginandi facultati deseruiunt; hæc autem sunt Plotini verba. *Cum igitur sentiendi, prosequendiq; virtus in anima sensuali, atque imaginatrice supra se ipsam habeat rationem quasi ad inferius propinqua; nimirum vbi hæc est in supremo, ibidem posita est ratio ab antiquis, in summa animalis totius arce, ipso videlicet capite: Non quia ratio sit in cerebro, sed in hoc sensuali, per quod quasi medium ratio posita videtur in cerebro; sensuale quidem hoc oportuit attribuere corpori & illi membro potissimum, quod actionem huiusmodi suscipere posset. Rationem vero nullo modo cum corpore communicantem communicare prorsus oportuit illi quod est animæ species: animæ inquam potentis à ratione nonnihil accipere; quod enim sensuale est quodammodo etiam est & iudex, & quod imaginale est, veluti intellectuale videtur; quin etiam impetus atque prosequutio phantasiam rationem quæ sequuntur. Illic igitur rationale est, non quidem vt in loco; sed quoniam quod est ibi quodammodo rationis sit particeps.* Hæc Plotinus.

Hanc vero affinitatem, atque coniunctionem sentientis animæ cum superiore rationali pariter *Aristot.* statuit *1. Moralium Nicomachiorum cap. vlt.* vbi duplicem irrationalem animam statuit, vnam quæ non est apta nata parere rationi, cuiusmodi est anima vegetalis; alteram vero quæ est apta nata parere rationi, quæ sensitiua siue imaginatrix, quam etiã & rationalem appellat; quia hoc modo participat rationem. Patet igitur ex dictis, Aristotelem loco allato apertissime statuisse humanum intellectũ immortalẽ neque hac in re à præceptore Platone dissensisse.

Reijcitur Aduersariorum responsio. Cap. XVII.

HÆc verba ab antiquissimis & grauissimis expositoribus, ita, vt diximus explicata, Alexander cum non posset corrũpere, consulto prætermisit, vt Philoponus inquit; at vero eius sectatores ineptissime ipsa exponere non dubitarunt. *Simon Portius disputatione sepius commemorata de mente humana cap. 14.* pro responsione distinctionem affert: inquiens, quod separari duplici ratione facultatibus animæ contingit, vno quidem modo, vt inter se inuicem conferuntur, vt cum intellectum dicimus separari, seu distingui à sensu & vegetali, & hac ratio-

ratione non ſeparantur; ſecundum magnitudinem & ſubiectum, vt Plato aſſeruiſſe videtur, qui varijs & diſtinctis partibus has diſtinctas facultates aſſignauit; ſed ſola inuicem ratione diſtinguuntur, vt patet ex verbis philoſophi *2. de anima*, cum inquit, *ſenſitiuo eſſe & opinatiuo aliud; ſiquidem & ſentire ab ipſo opinari, ſimiliter autem & aliorum quæ dicta ſunt vnumquodque*, ſed intellectus qui eſt in actu, & ſpeculatiua potentia videntur ſeparari ſicut perpetuum à corruptibili ab alijs facultatibus animæ. De hac igitur ſeparatione, inquit, voluiſſe Ariſtotelem hoc loco Platonem arguere & ſignificaſſe ſub tipo, & inconfuſo, id quod *in 2. de anima & 3.* planius expreſſit, & rationem inquit attuliſſe, quoniam ſi intellectus ſubiecto ſepararetur à cæteris facultatibus quemadmodū ſeparatur ratione, difficile eſſet fingere, quam partem corporis, aut quomodo intellectus contineret, ſiquidem (inquit ipſe) nullam partem corporis format, nec illam ſibi determinat, aut præſcribit in qua ſit, & per quam operetur.

Alia eſt ſeparatio ipſius intellectus à ſubiecto, & corpore, quæ conuenit intellectui potentia, vt cum ſenſu comparatur, quæ quidem ſeparatio dicitur ab organo, & à corpore quoniam non vtitur organo, vt iam dictum eſt; nec eſt calidus, nec frigidus, nec paſſibilis; aut per ſe, aut ratione organi, atque ob id dicitur intellectus ſimplex, immixtus & ſeparatus, ſed non æternus; ſubſtantia enim (vt voluit *Ariſtot. 7. metaphiſ.*) ſeparabilis eſt ab accidētibus quoniam accidentia quidem abeſſe & adeſſe poſſunt permanente ſubſtantia, neque corrupta: puta poteſt homo ab albo ad nigritiem mutari ipſo permanente, ſed paſſionibus deſinentibus; nemo tamen ſane mentis diceret, hominem propter hoc eſſe æternum, eſt igitur homo ſeparabilis, non tamen æternus; quare non omnis ſeparatio denotat æternitatem. Eſt & poſtrema ſeparatio quæ competit ſubſtantiæ in actu, & per ſe exiſtenti; & hæc ſola, competit intellectui in actu, qui inter intellectus tum potentia, tum in habitu, ſolus eſt æternus, & hic ſeparatur vt perpetuum à corruptili. Hæc Portius. At *Iulius Caſtellanus* eius aſſecla, tractatu pariter *de mente humana lib. 3. cap. 4.* aliam attulit reſponſionem, quam etiam ex promptuario Portij, & Alexandri mutuatus fuit, eandemq; eadem doctrina quam attulit Portius communiuit. Inquit vero, quod cum intellectus noſter ſecundum ſe nullum habeat actum; ſed pura ſit, ſimplexq; potentia, nullam potuit obtinere corporis partem quam informaret, atque cōtineret. Iam vero illud non ſequitur, quod ſi intellectus nullam corporis partem informet atque contineat, & ſit ab omni corpore ſeparabilis, æternus appellari debeat, ac nullum vnquam ſit paſ-

 ſurus

surus interitum, quoniam pluribus modis res simplex dicitur à corpore separari; hoc vero vltimum, scilicet quot modis res simplex dicitur à corpore separari, in sequenti capite dicturum pollicitus fuit, vbi eadem prorsus repetit, quæ supra ex Portio attulimus. Hæc aduersarij.

Ex quibus triplex sumitur modus respondendi, vnus est, quod Aristot. cum dixit difficile esse fingere aliquam partem corporis in qua intellectus sit, hoc dixit de parte aliqua corporis diuersa à corde, in quo reliquæ facultates animæ, vegetalis, scilicet, & sensitiua residen, non autem simpliciter de omni parte, & ratio est, quia intellectiuum in mortalibus, non separatur à sensitiuo, quemadmodum neque sensitiuum à vegetatiuo, vt *2. de anima Aristot. dicebat, partic. 15. & 32.* quare si hæ facultates non separantur ad inuicem subiecto, sed solum ratione; ergo vbi sunt reliquæ facultates, ibi etiam est intellectiua, ob hoc igitur (ait Portius) Aristot. dixit, quod non est fingere aliquam partem in qua sit intellectus, & in hoc redarguit Platonem, quia si partes animæ distinguerentur loco, sicut ratione. Oporteret intellectui assignare aliquam seorsum partem, quod est impossibile, vt dictum est. hunc respondendi modum fuse explicauit *Portius cap. 7.* his verbis. *Hinc aperte accipis animam esse in corde, & non in toto corpore. At vero intellectum quoque necessario esse in corde ratione demonstrabimus; si enim in mortalibus intellectiuum non potest esse sine sensitiuo, vt 2. de anima determinauit philosophus, est sane inseparabile, quare sequitur necessario, quod sit in eodem loco, & in eadem particula corporis, in qua est vegetatiuum & sensitiuum; si diceres esse in alia id refragatur Aristot. 1. de anima, qua agit contra Platonem qui diuisit partes animæ secundum partes corporis, atqui nulla particula destinatur intellectui, vt eodem lib. explicauit. Accedit quod facultates animæ ratione distinguuntur, vt 3. de anima docetur, & non per partes corporis, sed per potentiam.* Sed videamus quantum valeat hæc responsio; ac primum, nescio equidem quonam pacto separabilitatem facultatum animæ, hoc loco somniauerit, nequaquam enim hic Aristoteles χωριστὸν, vel ἀχωρίστον. quod est separabile, vel inseparabile de partibus animæ vsurpauit, sed μεριστὸν, & ἀμεριστὸν. quod est partibilis & inpartibilis; ita enim quæsitum proponit Aristoteles: λέγουσι δὲ τινες μεριστὸν αὐτὸν εἶναι ἢ ἄλλῳ μὲν νοεῖν, ἄλλῳδὲ ἐπιθυμεῖν: τί ἂν δήποτε συνέχοι τὸν ψυχὸν εἰ μεριστὴ πέφυκεν. hoc est. *Dicunt itaque quidam partibilem ipsam, & aliæ quidem intelligere, alia vero concupiscere: quid igitur continet animam si partibilis est natura.* modo partibile & impartibile non dicit diuisionem facultatum, facta comparatione ad inuicem, vt supponit Portius, sed potius diuisionem facultatum, comparando ipsas ad partes, quod manifeste Aristot. explicauit dum dixit paulo infra,

Dubi-

Digitized by Google

Dubitabit autem aliquis & de ipsis partibus, quam potentiam habeat vnaquaque in corpore; si enim tota anima totum corpus continet, conuenit & partium vnamquamque continere aliquid corporis. Hoc autem assimilatur impossibili, quam enim partem, aut quomodo intellectus continebit difficile est, etiam fingere.

Quod manifestius patet, nam comparando inferius has eadem facultates adinuicem Aristoteles, quatenus inter se differunt, de ipsis non ἀμεριστά, hoc est impartibilia, sed ὐ χωριστὰ. quod est inseparabilia, vsurpauit; hæc autem sunt præcisa eius verba *partic. 94.* καὶ ὁμοειδῆ εἰσιν ἀλλήλοις. καὶ τῇ ὅλῃ; ἀλλήλων μέν; ὡς ὐ χωριστὰ ὄντα· τῇ δὲ ὅλης ψυχῆς ὡς διαιρετῆς ὔσης. hoc est, *& eiusdem speciei sunt, ad inuicem & toti. ad inuicem quidem tamquam non separabiles existentes, toti autẽ animæ, tamquam diuisibili existente.* quibus verbis nihil clarius afferri potest contra distinctionem Portij; volens enim ex rei natura Aristot. cõfutare sententiam Platonis, quod facultates animæ essent non solum ratione, sed etiam loco distincte affert experimentum de plantis & animalibus anulosis, quorum singulæ partes diuisæ, habent in se omnes facultates, vegetandi, sentiendi, & mouendi, quæ facultates, sunt eiusdem speciei, & ad inuicem, & toti animæ, ad inuicem quia sunt inseparabiles, hoc est sunt in eodem subiecto, & constituunt idem numero, quæ autem constituunt idem numero sunt inter se eiusdem speciei, nam species est in indiuiduis. toti autem animæ, quia anima tota, diuisibilis est ad diuisionem totius. (ita enim legendum est, & non indiuisibilis est, vt male vertit argiropilus qui quamuis esset bonus Græcus, tamen cum non esset philosophus in multis errauit; habet enim codex Græcus διαιρετῆς ὔσης. hoc est *diuisibili existente*. non autem ἀδιαιρετῆς ὔσης, hoc est *indiuisibili existente*. ita enim corrumpitur Aristotelis sensus,) ac veluti; in similaribus, quia tota essentia diuisibilis est & extensa. eiusdem rationis sunt totum & pars, ita pariter contingit in tota anima extensa, quod eiusdem rationis & speciei est tota anima cum suis partibus, patet igitur inanem esse ac falsam distinctionem allatam à Portio, siquidem partes siue potentiæ animæ, collatæ ad inuicem, nullam habent potentiam, neque respectum ad partes. de quo dubitans *Aristot. particula 92.* inquit. *Dubitabit autem aliquis & de ipsis partibus, quam potentiam habeat vnaquaque in corpore; si enim tota anima totum corpus continet, conuenit & partium vnamquamque continere aliquid corporis.* Iuxta quem sensum simpliciter negauit intellectum esse in aliqua parte corporis. Arguit enim Aristoteles ad hominem, deducendo eum ad impossibile, quasi diceret, esto quod partes aliquæ animæ, sint in aliquibus corporis partibus, vt vegetalis in epate, irascibilis in corde, & sensitiua in cerebro, tamen hoc non sufficit,

ficit, nam si tota anima est in toto corpore, ergo & vnaquæque pars animæ est in aliqua parte corporis, sed hoc est impossibile, nam neque figmento, possumus intellectui aliquam partem assignare, quod nequaquam dicere potuisset Aristoteles si iuxta sensum Portij dixisset animam non esse partibilem, nam iuxta eum sensum potuisset anima esse in corde quod vltro non solum concedit, sed asseuerat Portius, verbis supra adductis, sed non concederet Aristoteles, neque aliquis alius bonus peripateticus, sine contradictione, & rubore. Vidit etiam & Portius hanc contradictionem, ac propterea loco allegato scilicet *cap. 7.* cum dixisset intellectum, vt cæteras animæ facultates etiam ipsum esse in corde, subdit. *Neque verba Aristot. 1. de anima dissentiunt cum his dictis quippe libro 1. de anima, quamquam in Platonem inuehit dicitq; nullam posse dari particulam corporis quæ sit proprium organum intellectus, quemadmodum facultatibus sentiendi assignantur pro organis diuersæ particulæ corporis. Dicimus tamen ipsam animam esse in corde, veluti in sua regia, & intellectum vt facultatem animæ ibi quoque esse, non vt in organo, sed vt in subiecto in quo est substantia animæ.* Quæ responsio coincidit cum secundo modo respondendi quem supra ex eodem attulimus; dicit enim, quod negat Aristot. intellectum humanum esse in aliqua particula, tamquam in organo, at non simpliciter negat; illum esse in aliqua parte corporis, [qua propter eandem doctrinam & sententiam quam duobus in locis statuit simul confutabimus. ac primum; arguo sic. si intellectus est in corde veluti etiam est sensus & vegetalis tamquam subiecto in quo est substantia animæ (vt ipse inquit) ergo intellectus est in corde tamquam in organo, probo consequentiam; quia non maior est ratio propter quam reliquæ facultates sint in corde, tamquam in organo, quam vt ibidem pariter sit intellectus tamquam in organo. ergo; probatur assumptum; nam ex Portij doctrina, in hoc est differentia intellectus & reliquarum facultatum, quia nulla potest dari particula corporis, quæ sit proprium organum intellectus, quemadmodum facultatibus sentiendi assignantur pro organis diuersæ particulæ corporis, sed hoc non impedit sensitiuas facultates, quin etiam sint in corde tamquam in organo; quinimo necessario vtuntur corde, tamquam organo; vtuntur enim spiritibus & calore cordis: ita vt læso corde, etiam si non lædantur reliqua organa, lædantur ipsorum operationes; ergo à pari, ex hoc quod intellectus non vtitur peculiari organo, non posset Aristot. arguere, quod intellectus simpliciter non vteretur organo (vt dicit Portius eum arguere) quia quamuis non vteretur organo externo vteretur tamen organo interno; vt patet de imaginatiua; cui quamuis non

sit

Digitized by Google

sit assignatum organum aliquod externum, vtitur tamen organo interno. Præterea arguo; impossibile est substantiam alicuius formæ esse in aliquo subiecto, ita vt eius essentia pendeat ab illo subiecto, & eius facultatem non vti eo subiecto tamquam organo; probatur assumpta propositio, quia pendere in esse substantiam alicuius formæ ab aliquo subiecto, est sequi ad dispositiones illius subiecti, sequi autem ad dispositiones alicuius subiecti, est etiam operari secundum dispositiones illius subiecti, vt forma plante sequitur ad dispositiones, siue temperamentum plante, ac pariter operatur secundum temperamentum plante, & sic de omnibus formis quæ educuntur de potentia subiecti, sed per te substantia animæ est in corde tamquam in subiecto, & ab ipso pendet inesse; ergo omnes eius facultates operantur secundum dispositiones & temperamentum cordis, & vtuntur corde tamquam organo, sed intellectus est facultas animæ, ergo intellectus vtitur corde tamquam organo, ergo sibi contradicit Portius dum statuit essentiam animæ humanæ esse in corde, & ex consequenti intellectiuam potentiam, ipsam vero non vti corde tamquam organo. Præterea etiã apertissime Aristoteli contradicit, qui has propositiones, esse conuertibiles statuit, scilicet formæ, cuius substantia separabilis est à corpore, & operatio separabilis est à corpore, & cuius operatio separabilis est à corpore substantia separabilis est à corpore, vt patet *1. de anima partic. 12. & 13. & 2. de generat. animal. cap. 3.* ergo dicere quod intellectus sit inseparabilis à corpore, & non vtatur organo corporeo, est Aristot. aperte contradicere, idem enim est non vti organo corporeo, & habere operationem separabilem à corpore, neque vero illi suffragari potest, quod inquit, intellectum potentia esse instrumentum animæ cuius substantia est in corde, atque sua essentia non esse actum; sed esse nudam potentiam, ac propterea nullam partem corporis informare, vt etiam Iulius Castellanus respondebat, nam pari ratione neque potentiæ sensitiuæ essent in aliqua corporis parte, certas quandoquidem pari ratione, & intellectus & potentiæ sensitiuæ sunt potentiæ, ex Portij sententia. Hæc sunt eius verba *cap. 6. Siquidem facultates omnes animæ nostræ, quibus homo, & intelligit, & sentit, sunt potentiæ.* Addo etiam, quod potentiæ inseparabiles sunt ab anima; quinimo idem re sunt cũ anima: quare impossibile est potentiam animæ organicæ esse inorganicam, quod optime significauit philosophus *2. de generat. animal. cap. 3.* dicens: *Quorum principiorum actio est corporalis; hæc sine corpore inesse non posse certum est; verbi gratia ambulare sine pedibus.* Quibus verbis plane significat, quod illæ animæ & potentiæ sunt inseparabiles à corpore, quæ sine corpore

suas

Digitized by Google

ſuas nequeunt exercere operationes, vt, quia ambulare non poteſt fieri ſine pedibus; potentia ambulatiua inſeparabilis eſt à pedibus. corruit igitur reſponſio Portij tamquam manifeſte abſurda. Nec minus abſurda eſſet reſponſio alia quam aliquis poſſet afferre ex *Scoto in 4. ſententiarum diſt. 43. quæſt. 2. in reſponſione ad primum*, quam reſponſionem ſequutus fuit *Beſſario Cardinalis Nicænus lib. 3 contra calumniatorem Platonis cap. 22.* (quamuis ipſe bene de Ariſtotele ſenſerit eumq; ſtatuiſſe animũ humanum immortalem eodem capite fateatur.) ſequitur etiam eandem Pomponatius varijs in locis.

Eſt autem reſponſio ferme eadem cum ſuperiore, ac propterea eiſdem vrgetur difficultatibus, niſi quod in quibuſdam differunt; Portius enim ſtatuit intellectũ in corde, ſicut & cæteras facultates; quamuis non concedat, illum vti corde tamquam organo; at Scotus illum non concedit eſſe in corde, cum neget Ariſtot. eum habere particulare organum; ſed ſtatuit in toto corpore, cum ſit actus corporis, concedit vero, ipſum vti toto corpore tamquam organo, ac propterea ad corruptionem corporis corrumpi; quare cum peculiares habeat errores; ſpeciatim contra hanc ſententiam ita arguo; ſi intellectus non eſt in parte aliqua determinata corporis; ſed in toto corpore, & inſeparabilis eſt à toto corpore, intellectus eſt diuiſibilis ad diuiſionem corporis; ſed conſequens eſt falſum & abſurdũ; tunc enim intellectus eſſet ignobilior vegetali, quæ in homine & cæteris animalibus perfectis eſt indiuiſibilis. probatur autem conſequentia, quia ſi intellectus eſſet inſeparabilis eſſet eductus de potentia materiæ, & ita conſequeretur temperamentum corporis; ac totius corporis, ſiquidem eſt in toto corpore quare diuiſibilis eſſet ad diuiſionem partium corporis, cuiuſmodi eſt temperamentum corporis; quod optime docuit *Ariſtot. libello de iuuentute, ſenectute, vita, & morte cap. 1. & 2. & de motu animalium cap. 2.* vbi, cum ſtatuiſſet certam partem corporis in qua eſſet anima in viuentibus tantum, ſiue vegetantibus; cuiuſmodi ſunt plante, & in viuentibus ſentientibus imperfectis, cuiuſmodi ſunt animalia anuloſa illam per totũ corpus huiuſmodi diffuſam ſtatuit; ac propterea animã habere vnam actu potentia autem multiplicatam, & ex hoc fieri, vt eius partes diuiſæ viuant, in animalibus autem perfectis hanc particulam eſſe cor, ac propterea animam eſſe in corde, & non in toto corpore; niſi ſecundum actum informandi, quare, neceſſario ſequitur, quod ſi intellectus eſt corruptibilis (vt hæc opinio aſſerit,) & eſt in toto corpore, aut ſit in corde, vt Portius dicebat, aut vt ſit in aliqua alia parte proportionata cordi, quæ ſit diſſeminata per totum corpus vt in animalibus

libus inſectis, & ita erit diuiſibilis ad diuiſionem corporis. Præterea etiam, Scotus aperte ſibi ipſi contradicit; nam ſtatuit intellectum ab Ariſtot. dici incorruptibilem; non quacumque incorruptibilitate, & ſimpliciter, ſed ea tantum quæ fit ratione organi, nempe quia corrumpitur organum in quo eſt; quod non contingit intellectui, quia intellectus non habet organum; poſtea vero inquit intellectum eſſe corruptibilem ratione compoſiti, hæc ſunt eius verba. *Nec tamen ex illa incorruptione intellectus, quia ſcilicet non habet organum per cuius corruptionem poſſet corrumpi in operando, ſequitur quod ſit ſimpliciter incorruptibilis in operando; quia tunc ſequeretur quod in eſſendo; ſicut tunc argumentatum eſt, ſed tantum ſequitur, quod non eſt corruptibilis in operando, illo modo quo potentia organica: tamen poneretur ſimpliciter corruptibilis, iuxta illud primi de anima, intellectus corrumpitur in nobis quodam interiori corrupto, & hoc pro tanto, quia poneretur principium ipſi toti compoſito, operandi operationem propriam eius, ſed compoſitum eſt corruptibile, ergo & principium operatiuum eius:* Modo idem eſt corrumpi; ratione organi alicuius particularis,& corrumpi ad corruptionem totius corporis; primo quia ſtatuit totũ corpus eſſe illi organum;dum inquit,quod poneretur principium toti compoſito operandi operationem propriam eius; ſecundo quia corrumpi ad corruptionem organi aliquam facultatem, eſt corrũpi ad corruptionẽ ſubiecti in quo eſt,quæ dicitur corruptio per accidens, quare eadem corruptione, qua corrũpitur aliqua facultas ſenſitiua corrupto organo; puta viſiua corrupto oculo,corrũperetur etiam intellectiua corrupto toto corpore,neque dici poteſt quod differant in eo,quia reliquæ facultates quę ſunt in organis particularibus corrumpũtur corruptis tantum proprijs organis,at vero intellectiua non corrũpitur corrupta aliqua parte in qua ſit, ſed corrupto toto corpore cui eſt principium operandi; nam hoc falſum eſt, quia ad corruptionem vnius tantum particulæ videmus hominem interire;nempe vulnerato corde. quinimo ſi intellectus erit corruptibilis non poterit eſſe in toto corpore, ex ſententia Ariſtot. ſed neceſſario erit in corde, quia non ſepararetur ſubiecto à reliquis facultatibus, vt ſupra fuſius dictum eſt. Quare certiſſime ſtatuendum eſt,quod ſi intellectus eſſet corruptibilis determinaret ſibi certam aliquam partem corporis in qua eſſet, neque vagus & inconſtans per totum corpus erraret. Quod autem aſſumit Beſſarion loco citato, ſcilicet aliquam facultatem corruptibilem non determinare ſibi organum, vt eſt imaginatiua, falſum eſt; nam imaginatiua eſt in certa parte corporis qua vtitur tamquam organo; eſt enim in anterioribus cerebri ventriculis,vbi mediantibus ſpiritibus animalibus ſuam functionem exercet,

& ob

& ob id læsa ea particula læditur eius operatio, vt experiuntur Medici. Manet igitur firmum & inconcussum argumentum ex hoc loco Aristot. desumptum; quod si intellectus nullam sibi vendicat corporis particulam in qua sit, separabilis est & immortalis.

Ad tertiam vero responsionem, qua dicitur quod non omne separabile est incorruptibile, nam substantia dicitur ab *Aristot. 7. metaphisicor.* separabilis ab accidentibus, cum tamen sit corruptibilis, quamuis non opus esset respondere, quia non facit ad rem, cum Aristot. hic nullam faciat mentionem separabilitatis, vt initio diximus, tamen ex abundanti respondemus, quod si Aristot. dixisset hic; intellectum separabilem in eo sensu quo dixit substantiam esse separabilem ab accidentibus *7. metaphisicor.* dixisset illum incorruptibilem; substantia enim cum per se existat non corrumpitur corruptis accidentibus, sed separatur ab ipsis, vnde & incorruptibilis est corruptione qua corrumpuntur accidentia; non enim corrumpitur à contrario quamuis corrumpatur ad corruptionem partium, ex quo substantia simplex omnino incorruptibilis est; quare argumentum hoc si ad propositum faceret potius pro nobis afferendum esset, quam contra nos.

Authoritas ex 2. de Anima partic. 11. explicatur.
Caput XVIII.

EX *secundo de Anima libro*. Primus qui nobis pro immortalitate occurrit locus; est *ex 11. particula* iuxta communem sectionem; vbi Aristot. assignata iam animæ definitione, quod sit scilicet, actus primus corporis physici organici, potentia vitam habentis, ex dictis ita concludens inquit. *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis nata est, non immanifestum est, quarumdam enim actus partium est ipsarum*. Quasi diceret ex ijs quæ in definitione animæ statuimus, nempe quod anima sit entelechia prima corporis physici organici sequitur, quod anima non sit separabilis à corpore cuius est anima; si enim entelechia, siue perfecti habia; est perfectio & actus corporis cuius est entelechia, est inseparabilis à corpore; nam si sit separabilis, quonam pacto, aut cuius erit perfectio & entelechia, cum igitur anima sit entelechia, necessario sequitur quod inseparabilis sit à corpore cuius est anima, aut omnis, aut si non omnis saltim partes quædam

dam ipſius ſi partibilis ſua natura eſt, hoc eſt ſi diuerſæ rationis inter ſe ſunt animæ partes, ſiue facultates, nec ſunt eiuſdem generis; nam ſi diuerſi inter ſe generis ſint, ille ſaltim erunt inſeparabiles, quæ ſunt entelechia, & perfectio quarumdam partium corporis, vt ſunt partes ſiue facultates animæ, organice, huius autem rei cauſam ipſe aſſignauerat *2. de generat. animal. cap. 3.* quia ipſarum operationes ſine corpore fieri non poſſunt, vt ambulare ſine pedibus; his autem dictis, ſubiungit. *At vero quaſdam nihil prohibet (ſcilicet ſeparari) propterea quod nullius corporis ſunt actus.* Quæ verba congruunt cum illa ſententia, quam hac eadem de re ſtatuerat *2. de generat. animal. cap. 3. Reſtat igitur vt ſola mens extrinſecus accedat, eaq; ſola diuina ſit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis*; Idem enim ſunt extrinſecus accedere, & eſſe ſeparabile quemadmodum idem prorſus ſunt, eſſe organicum, & eſſe inſeparabile; nam veluti quod organo indiget ſine organo non poteſt eſſe; vt vis ambulatiua ſine pedibus, ita quod extrinſecus aduenit, & antecedit corpus, ſine corpore poteſt operari, & ſine corpore poteſt eſſe. Optime igitur deducit Ariſtot. quod propterea, quia aliquæ animæ partes nullius corporis ſunt actus, nihil prohibet ipſas à corpore ſeparari. quia vero poſſet ex hoc aliquis dubitare, quonam igitur pacto in communi animæ definitione ſumpſit actum, ſiue entelechiam, ſi aliquæ ſunt eius partes, quæ non ſunt actus; propterea ſupponens duplicem dari actum; vnum ſeparabilem vt Nauta nauis, alterum vero inſeparabilem ſubdit: *Amplius autem immanifeſtum ſi ſit corporis actus anima ſicut Nauta nauis*. Hoc autem propter antiquos philoſophos Ariſtot. adhuc indeterminatum aſſeruit, & præcipue propter Platonem, qui animam humanam non tamquam alteram partem cõpoſiti; ſed ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, & tamquam motorem in corpore conſtituebat. At vero neque iuxta Ariſtot. principia abſurdũ eſt, aliquam dari animæ partem, quæ ſubſtantia ſit, ſeparabilis, & tamen ſit actus eſſentialis corporis, completiuus & informans (vt dicunt) duplex enim poteſt eſſe alicuius formæ operatio, vna propria, altera vero communis, ſecundum propriam operationem poteſt non indigere corpore, & ita non eſſe actus corporis, ac ſeparabilis eſſe à corpore; ſecundum vero communem indigebit corpore, ac ita erit actus eſſentialis corporis, quinimo erit inſeparabilis à corpore, vt patet de animabus orbium ex Ariſtot. doctrina, quæ vt intellectus ſunt non indigent corpore, quia intelligere non eſt actio corporea, vt vero motores ſunt indigent orbibus, & propterea coniunguntur orbibus & ſunt animæ orbium. Neque propterea dicendum eſt has animas eſſe aſſiſten-

tes

tes tantum, non informantes; cum enim motus sit operatio vitalis, vbi prouenit à principio intrinseco, dicitur prouenire ab anima, quinimo cum cœli ex sententia Aristot. moueantur à principio intrinseco, non solum cognoscente, sed etiam volente, sequitur etiam quod mouentur ab anima; inquit enim Philosophus *12. metaphis. partic. 36.* quod intelligentia mouet orbes tamquam intelligibile & desiderabile. ex quo *S. Thomas*, Philosophorum, & Theologorum omnium Chorifeus, & *2. contra gentes cap. 70.* & in quæstionibus disputatis, *quæst. 8. & in Opuscul.* sæpius deducit, quod ex mente philosophi, cœli sunt animati anima intellectiua, vt nos etiam fusius monstrauimus in nostra quæstione, in qua examinauimus vtrum cœli sint animati, anima informante. Quare & intellectus humanus quamuis secundum propriam operationem, quæ est intelligere, quod est speculari, non sit actus corporis; tamen secundum quod est principium motiuum corporis, vt intellectus practicus, & vt cogitat siue discurrit, & intelligit vna cum phantasmate; eget corpore & actus corporis est, & inseparabilis est à corpore; quod optime docuit Aristot. exemplo Nautæ.

Nauta etenim, vt homo est, separabilis est à naui, vt vero Nauta est, non est separabilis, quia si nauticam exercere velit, necessario oportet vt sit in naui; vt optime explicarunt hoc loco Expositores græci Philoponus, Simplicius, & Themistius, & significauit optime *Aristot. 1. de partibus cap. 1.* vbi cum supposuisset intellectum esse animã; quærens vtrum ad philosophum naturalem pertineat tractare de omni anima; postea in secundo argumento statuit intellectum in nullo animalium ineſſe, qua in re Aristot. profecto & sibi ipsi cõtradixisset & falsus fuisset nisi intellectum secundum duplicem hanc considerationem sumpsisset; si enim accepisset intellectum pro intellectu agente, qui est intellectus separatus, & intelligentia, aut potius Deus vt Alexander & Pomponatius exposuerunt, tunc inanis fuisset quæstio de ipso proposita an ad naturalem pertineat de ipso tractare, cum talis intellectus, neque sit anima, neque pars animæ; si autem pro intellectu humano quomodo negat ipsum vlli animalium ineſſe. Quare dicendum est hanc esse germanam ac veram ex Aristot. sententia distinctionem, quod idem intellectus vno modo sumitur secundum sui propriam operationem, scilicet vt intellectus est, & ita non est actus corporis, nec est phisice considerationis, vt ibi Aristot. dicebat: Altero vero modo sumitur vt est pars animæ, & vt est vltimus gradus animæ completiuus, atque constitutiuus hominis, atque cum corpore suas exer-

exercet operationes, vt dictum est: & hoc modo est, & ipse actus atque entelechia corporis. Quonam autem pacto intellectus immortalis existens sit forma hominis, informans & non assistens tantum, vt Auerroi placuit Deo iuuante fusius explicabimus suo loco; nunc vero dicta sufficiant pro loci præsentis explicatione.

Responsio Aduersariorum confutatur.

Cap. XIX.



D hunc locum respondent aduersarij. Alexander, referente Philopono in expositione horum verborum; *Pomponatius cap. 9. libri de immortalitate animæ*, & postremus omnium *Zabarella libello de mente humana cap. 9. vnica responsione*. Concedunt autem mentem humanam esse à corpore separabilem, ex hoc capite, quod sit potentia inorganica; at vero nõ propterea deducendum esse, quod sit simpliciter separabilis, cum possit ex alio capite esse inseparabilis, affert instantiam Zabarella; quia inquit, aliquæ formæ sunt inorganicæ, quæ tamen sunt inseparabiles à materia; cuiusmodi sunt formæ elementorum. Hanc responsionem supra examinauimus cap. 10. dum attulimus responsiones aduersariorum ad verba 2. *de generatione animalium*, vbi eam fuse confutauimus. eandemq; præcedente capite magis exagitauimus, tamquam sententiam *Scoti in 4. sententiarum*, vbi pariter ipse asseruit separabilitatem ab organo, non arguere simpliciter separabilitatem à corpore. Tamen etiam nunc paucis falsissimam ostendemus; ac primo contra Scotum dicimus, ejus responsionem ex his verbis manifeste conuinci. Nam Scotus, vt patet ex eius verbis supra citatis, asserit intellectum humanum, quamuis non sit actus alicuius partis corporis, & organi particularis; tamen esse actum totius corporis; at vero ex verbis Aristot. hoc loco, manifestum est, ipsum simpliciter non esse actum corporis: ita enim inquit. *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius si partibilis nata est non immanifestum est, quarumdam enim actus partium est ipsarum. At vero quasdam nihil prohibet; propterea quod nullius corporis sunt actus.* Quod si nullius corporis; ergo neque simpliciter corporis; vniuersalis etenim negatiua negat de toto; ergo neque totius corporis; nam totum corpus est aliquod corpus. Secundo arguo absolute contra responsionem, si intel-

lectus

lectus ex hoc capite est separabilis, quia non est actus corporis, vt aduersarij concedunt; ergo absolute & simpliciter, atque ex quolibet capite, est à corpore separabilis; probo sequelam, nam omnis forma inseparabilis, necessario, & ex sui ratione intrinseca est actus eius corporis cuius est forma. probatur quia est altera pars essentialis compositi cuius est forma; vnde dicebat philosophus *2. de anima partic. 7.* quod non oportet quærere si vnum est anima & corpus, sicut neque ceram & figuram, neque omnino vniuscuiusque materiam, & id cuius materia; sed intellectus nullius corporis est actus, ergo intellectus non est forma inseparabilis à corpore. Et vis totius discursus euidens est, vt etiam in præcedente capite dictum fuit, quia omnis forma inseparabilis cũ sit generabilis & corruptibilis, necesse est, vt sit educta ex temperamento alicuius corporis, siue partis, siue totius; & ita non potest non esse actus alicuius corporis, siue partis, siue totius; modo Aristot. expresse dicit; intellectum nullius corporis esse actum; ergo expresse dicit ipsum non posse esse inseparabilem; alias ostendant mihi aduersarij, quonam pacto aliqua forma fit inseparabilis ab aliquo corpore, & illius corporis non sit actus; exemplum enim quod affert Zabarella de formis elementorum, quæ cum sint inorganice, tamen sunt inseparabiles; prorsus ineptum est, nam formæ elementorum cum non sint animæ, non possunt esse organice; tamen nemo negauerit ipsas esse actus, & naturas cum sint inseparabiles. Optime igitur concluditur ex hoc loco, quod intellectus separabilis sit, cum nullius corporis sit actus; nisi dicamus ipsum esse actum corporis, vt Nauta nauis; veluti enim Nauta, vt homo est, separabilis est à naui, vt autem Nauta inseparabilis; ita & intellectus quamuis, vt intellectus separabilis sit à corpore, cum nullius corporis sit actus; tamen vt est pars animæ, quæ est actus corporis, ita & ipse est actus corporis, & inseparabilis est à corpore; & si non actu saltem aptitudine.

Ex

Ex 2. de Anima partic. 21. alius locus affertur.
Caput XX.

CVM philosophus *2. de anima partic. 18.* statuisset, animam esse principium vegetandi, sentiendi, cogitandi, ac loco mouendi. atque his definiri; nempe, vegetatiuo, sensitiuo, cogitatiuo, & motu. in sequenti particula, dubitat. Vtrum, vnumquodque horum, sit anima, an pars animæ, & si est pars animæ, vtrum ita sit pars, vt sit separabilis ratione solum, an etiam loco. His dubitatis; subdit, quod de quibusdam ipsorum, non est difficile, hoc videre; de quibusdam vero est dubium, nam quemadmodum videmus in plantis, quasdam partes decisas viuere, anima in ipsis existente actu quidem vna, potentia autem, plura; ita & in animalibus insectis, siue annulosis, videmus accidere, circa differentias animæ alias à vegetali, scilicet circa sensitiuam & motiuam; nam, si aliquod horum animalium, secetur in duas partes; sensum vtraque partium habet & motum secundum locum, si autem sensum, & imaginationem, & appetitum; vbi enim sensus, & dolor, & voluptas consequitur; vbi autem hæc sunt, ex necessitate, & desiderium est; quibus verbis ostendit, quod supra dixerat, de quibusdam, non esse difficile videre, quod sint animæ partes, siue facultates, quæ non distinguuntur loco siue subiecto; nam, in vtraque animalis sectione, sunt omnes prædictæ facultates, & non, in singulis singulæ; per ea vero, de quibus dubitationem esse Aristot. dixerat, Simplicius, & S. Thomas, intelligunt potentias sensuum particulares, nam (inquit Simplicius) de intellectu, non poterat Aristot. dubitare, vtrum loco discerneretur à reliquis partibus animæ, qui antea dixerat vltimo capite præcedentis libri, quod neque fingere, erat possibile, aliquam corporis partem cui intellectus assignaretur; at vero, de sensibus, vt puta de visu, vel de auditu, & cæteris, legitime dubitari, cum certis organis distinguantur. Quam expositionem & si ego complectar & probem, tamen conuenientius putauerim, & verbis Aristot. magis consentaneum, dicere, quod Aristot. sequentibus immediate verbis illa explicet, de quibus dixit dubitationem habere, dum inquit: *De intellectu autem, & speculatiua potentia, nihil adhuc manifestum est, sed videtur genus aliud animæ esse, & hoc solum posse separari, tamquam perpetuum à corruptibili;*

Ita enim conuenienter connectitur ſolutio dubitationis cum ratione dubitandi propoſita; nam cum enumeraſſet Ariſtot. inter cæteras animæ facultates, cogitatiuam, hoc eſt, diſcurſiuam, quæ & ipſa intellectus eſt, quamuis coniunctus cum ſenſu, quem dianoiam Græci dicunt; cumque de omnibus enumeratis dubitaſſet, vtrum ſint animæ, an partes animæ, & ſi ſunt partes; vtrum ſint ſeparabiles ratione ſolum, an etiam loco, atque de quibuſdam ipſarum, vt de ſenſitiua, ac motiua & reliquis ipſas conſequentibus dixiſſet, non eſſe difficile hoc videre, cum perſpectum ſit, illas loco non diſiungi, de quibuſdam vero eſſe dubitationem; conſequens erat vt diceret de alia animæ parte, quam non recenſuerat inter potentias de quibus dixerat eſſe compertum quod non ſeparantur ſubiecto, & de qua legitime erat dubitatio; cuiuſmodi eſt pars animæ, qua & cognoſcit anima & ſapit, atque de ſingulis eius facultatibus, de quibus iure merito dixit, quod nihil adhuc eſt manifeſtum, cum neque inter illas animæ partes connumerentur, quæ inſeparabiles ſunt; quandoquidem nullius corporis ſunt actus, neque ipſarum naturam, vel differentiam, adhuc docuiſſet, ſed in proxime ſequenti libro de ipſis pertractare aggrediatur. Conſentanee igitur ſubnectuntur citata verba. *De intellectu autem & ſpeculatiua potentia, nihil adhuc manifeſtum eſt, ſed videtur genus aliud animæ eſſe, & hoc ſolum poſſe ſeparari ſicut perpetuum à corruptibili*. Quibus verbis, plura nobis ſignificaſſe Ariſtot. animaduertendum eſt, & primum, per intellectum accepiſſe intellectum humanum, cum intellectus de quo loquitur, inter partes animæ connumeret ur, inter quas non poteſt connumerari intellectus diuinus, neque aliqua alia intelligentia, quod etiã confirmatur, ex eo quod addit, & ſpeculatiua potentia, quod manifeſte connotat intellectum humanum, cum intellectus diuinus nũquam dicatur potentia, ſed energia, ſiue actus, vt optime aduertit Simplicius. Accedit etiam, quod inquit Philoponus, quod ſi loqueretur de intellectu diuino, aut aliqua alia intelligentia non diceret, hoc eſſe adhuc immanifeſtum, cum manifeſtiſſimum ſit, eſſe genus ſubſtantiæ diſtinctum & ſeparatum à reliquis formis, tamquam perpetuum à corruptibili; quinimo, neque poſſe dici animam, neque ſimpliciter formã, cum & anima ſit actus corporis, & forma ſit altera pars compoſiti. Diuinus autem intellectus, aut quælibet alia intelligentia, nullo pacto ſint in materia, cum ſint purus actus. Secundo, hunc intellectum eſſe immortalem ſimpliciter, & ſui natura, non autem ſecundum partem, & reſpectiue, quantum adhoc, ſcilicet quod non vtitur organo, vt aduerſarij cauillantur; inquit enim hunc intellectum

eſſe

Digitized by Google

esse aliud genus animæ, quod si esset mortalis, non differret genere à cæteris formis generabilibus & corruptibilibus, educeretur enim de potentia materiæ quemadmodum, & dictæ formæ; quare conuenirent in materia, & ita conuenirent in genere; genus enim materia est eius cuius est genus, vt *Aristot. docuit 10. metaphisicor. cap. 7. in fin. & toto cap. 9.* quare & ibidē dicebat, quod non potest aliquid esse corruptibile & incorruptibile, vt aduersarij & præcipue Pomponatius de intellectu humano somniarunt. Tertio, intellectum hunc separari propria separabilitate, (vt ita dicam) siue proprio, ac peculiari modo separationis; cum enim dupliciter animæ partes separari possint, aut enim subiecto, vt formæ, quæ cum actu sint vna, potentia tamen sunt multæ, vt vegetalis in plantis, aut ratione tantum, sed non subiecto; vt supra enumerate, vegetatiua scilicet, sensitiua, loco motiua, & imaginatiua; sola intellectiua peculiari modo à cæteris separabilis esse statuitur, nempe, neque subiecto, neque ratione; sed tamquam perpetuum à corruptibili. Quæ verba expositiua sunt, eius quod dixerat, videri aliud genus animæ, nam si esset eiusdem generis, alterutro modo separaretur à cæteris animæ partibus, aut loco scilicet, aut ratione. Quarto, hoc enunciare de intellectu speculatiuo, qui distinguitur contra intellectum practicum, ex quo patet, Aristot. loqui de intellectu humano, non de diuino, cum speculatiuum & practicum non sint differentiæ intellectus diuini; sed humani, atque pronunciasse de intellectu speculatiuo, non autem practico, quia speculatiuo magis competit esse separabilem, cum intelligat vniuersalia, quæ immaterialia sunt; quare & eius actio nihil communicat cum actione corporis (vt alibi dicebat.) Practico autem non ita propriæ competit inseparabilitas, cum intellectus practicus copulatus sit sensui, & ad particulare descendat. ex quo & cogitatiuus siue discursiuus ab Aristot. appellatur; ponit enim sub vniuersali propositione, quam à speculatiuo intellectu mutuatur, particularem, atque ita negotiatur, vt exempli gratia, omne bonum est prosequendum; hoc est bonum, scilicet gloria, ergo hoc est prosequendum. quod volens nobis significare Arist. operationem intellectus practici, inter compositi, siue coniuncti opera connumerauit *1. de anima partic. 66.* his verbis. *Cogitare autem, & amare, aut odisse, non sunt illius passiones, sed huius habentis illud, secundum quod illud habet.* Quamuis paulo supra dixisset, quod intellectus ipse, impassibilis est; sed aliquis dicet, etiā de ipso intelligere, quod est speculari eodem loco dixerat, quod marcescit alio quodam interius corrupto; ergo non magis intellectus speculatiuus separabilis est à corpore quā practicus;

Digitized by Google

quare ergo hæc, solum de speculatiua potentia enunciauit, ad quod nunc breuiter dicimus, & pro tempore, alias enim fusius respondebimus; quod intellectus speculatiuus non vtitur corpore, neque virtute corporea immediate, quamuis mediate vtatur virtute corporea. Hoc declaro: quia intellectus speculatiuus dum intelligit, neque vtitur organo corporeo, neque vtitur phantasia, immediate; quia non intelligit phantasmata, sed species intelligibiles, abstractas à conditionibus materiæ, & prorsus immateriales effectas, ope intellectus agentis quamuis mediate ac remote vtatur phantasia, quia cum speculatur oportet, vt simul cum phantasmate speculetur; & qui non sentit aliquid, neque addiscet, neque intelliget. At vero intellectus practicus quamuis non vtatur organo corporeo, & in hoc distinguatur à sensu, tamen vtitur virtute corporea immediate; quia dū negotiatur statuit sub vniuersali propositionem particularem, quam accipit à phantasia & inde deducit conclusionem, vt belle *Aristot.* docuit *3. de anima partic. 58.* Optime igitur dictum est, magis competere intellectui speculatiuo, quod sit abstractus, quam practico, ac propterea iure merito dictum fuisse, de illo hoc loco, quod videatur esse aliud genus animæ, & hoc separari tamquam perpetuum à corruptibili; quod si dicit intelligere, & speculari marcescit; hoc nihil obstat, nam satis longe & remote dicitur marcescere, non enim ideo speculari dicitur marcescere, quia intellectus pendeat à corpore, neque subiectiue, neque obiectiue, nã, neque est in corporeo aliquo organo vel particula, vt *1. de anima 93. & 3. partic. 6.* neque phantasmata intelligit, sed species intelligibiles quæ non sunt in phantasia, sed intellectu, vt *3. de anima eadem partic. 6.* verum propterea dicitur marcescere, quia formæ, quas intelligit intellectus, initium habent in phantasmatibus, quare & cum speculatur vna cum phantasmate speculatur, ac propterea non inquit Aristoteles, quod intelligere marcescit marcescente corpore: quin potius contrarium asserit; si enim hoc esset, maxime fieret ab ea quæ in senio est debilitate; ait vero ipsum marcescere; alio quodam interius corrupto, hoc est, phantasia ipsa; quæ non obiectum, sed materiam obiecti subministrat; nihil vero obstat quod Aristot. dicat, nihil adhuc esse manifestum; nam adhuc sermo non habebatur de hac animæ parte, sed in sequenti libro de ipsa dicturus erat, quemadmodum neque obstat, particula, videtur, non enim est dubitationis nota; sed idem significat quod apparet ἔοικε namq; pro vtroque sumitur, & videtur, & apparet, vt etiam supra occasione alterius loci dictum fuit, vel pro conuenit vt Simplicius explicauit.

Respon-

Digitized by Google

Reſponſiones Aduerſariorum confutantur.
Caput XXI.

EX his liquido conſtat quam falſa & extorta ſit expoſitio huius locí ab aduerſarijs allata. Alexander enim ad intellectũ agentem hæc verba referri, putat, qui apud ipſum Deus eſt, at Deus nõ eſt pars animæ, de hac autem eſt ſermo; neque Deus eſt potentia, vt eſt hic intellectus; neque eſt intellectus ſpeculatiuus; quare, ridenda potius, quam confutanda pluribus, eſt hæc reſponſio. Petrus Pomponatius, vt ſuum præceptorem tueretur, aliam excogitauit, ſed planè Metaphiſicam; aut ſi melius dicam Logicam; inquit enim, quod intellectus, aut conſideratur vt intellectus, aut, vt humanus intellectus; ſi conſideretur vt intellectus, tunc verum eſt quod videtur aliud eſſe animæ genus, & hoc ſeparari tamquam perpetuum à corruptibili, vt hic Ariſtot. inquit; ſi vero conſideretur vt intellectus humanus, inſeparabilis erit & corruptibilis, vtputa coniunctus cum ſenſu. ſed hæc diſtinctio, vt diximus, mere logica eſt, neque diſputationi de qua agitur conuenit; nam cum dicimus intellectum, quatenus intellectus eſt; aut accipimus pro prima intentione & conceptu rei, aut pro ſecunda intentione & conceptu ſuperaddito & formato ab eo qui intelligit; ſi ſecundo modo; de hoc non eſt quæſtio; non enim quæritur de intellectu, qui eſt in mente, ſiue in intentione, vtrum ſit mortalis vel immortalis; ſed de intellectu qui eſt res, & pars animæ noſtræ; quod ſi hoc modo accipiamus, tunc, aut erit intellectus diuinus, aut humanus; non diuinus, vt monſtrauimus. ergo humanus. Simon Portius, ingenio præditus vafro diſputati. *de mente humana cap. 17.* principio quidem reſponſionem Alexandri non probat, animaduertens, ea quæ & nos contra ipſam attulimus; ſed ad expoſitionem Pomponatij confugit, dicẽs Ariſtotelem hoc loco accepiſſe intellectum in confuſo; prout indiſtincte ſignificat intellectum agentem, ſiue diuinum, & intellectum potentia, ſiue humanum; tandem vero, neque huic acquieſcit; ſed iterum ad Alexandri ſententiam tuendam reuertitur: dicens, quod hic Ariſtot. de intellectu agente loquitur, quem propterea appellat ſpeculatiuum, quia cum ſpeculatiuo coniungitur, vtrum quæ vero, Ariſtotelem in præſenti confundere, quia nondum ipſorum diſtinctionem attulerat,

quam in tertio libro explicaturus erat: docens qualis sit intellectus in actu; & quomodo cum vniuersalia intelligimus nobis, vt lumen & habitus accedit. Hæc Portius. quibus neque ipse satis fidit, nam & lectionem Alexandri probat, in qua desunt illa verba; *tamquam perpetuum à corruptibili*, & hæc, dubitando fuisse ab Aristot. dicta, arguit ex illa dictione videtur; quæ omnia cum supra aduersus Alexandrum & Pomponatium sint confutata, non indigent noua discussione; sed operepretium fuit recensere, vt videatur quanta sit mendacij inconstantia, quandoquidem viri alioquin docti, in ipso tuendo sensum non inueniunt in quo quiescant; cuius contrarium in veritate conspicimus, quæ vndique sibi constat & consentanea est. Iacobus Zabarella philosophus nostra tempestate celebris & vere doctus; quum & ipse hac in re Alexandreus esset *disputatione de mente humana cap. 9.* nullis mutatis: responsionem Portij complectitur; quinimmo easdem affert dubitationes aduersus hunc locum, quas affert Portius; inquit enim vterque, valde sibi pugnantem Aristotelem fore, si eisdem versiculis, modo diceret, de immortalitate intellectus, nihil esse manifestum; modo autem asseueraret, ipsum separari, tamquam perpetuum à corruptibili; nisi dicatur hoc vltimum non fuisse ab eo asseueranter dictum; sed dubitatiue, & ex apparenti aliorum sententia, quod significauit addita dictione; videtur; quare nullum certum esse ex hoc loco deducendum argumentum, quod Aristot. senserit animum esse immortalem; addit Portius ad confirmandam contradictionem, quod paulo ante, nempe *partic. 15. Aristot.* dixerat, intellectiuum, non posse separari à sensitiuo, & vegetatiuo, in mortalibus, & immediate infra, nempe *partic. 22.* inquit, opinatiuum & sensitiuum separari, seu distingui ratione tantum, non autem subiecto, quemadmodum reliquæ potentiæ corruptibiles; modo opinatiuum est facultas partis rationalis, vt in calce secundi huius libri Aristot. demonstrauit. quare dicendum est, inquit vterque, quod hoc loco dum Aristot. dixit intellectum speculatiuum separari, tamquam perpetuum à corruptibili. dixit de intellectu humano, quatenus est coniunctus cum intellectu agente, qualis est intellectus speculatiuus, cui tamquam lumen & habitus copulatur intellectus agens, qui profecto est aliud genus animæ, cum sit substantia actus, & separatur à cæteris animæ potentijs tamquam perpetuum à corruptibili; cum sit immortalis, vt magis clare docebit sequenti libro; sed, ò boni viri quem sicophantam & impostorem vos facitis Aristotelem? dum eum à contradictione vindicare conamini. Num quia intellectus agens, qui est Deus, ex vestra sententia, coniungitur cum intellectu humano

dum

Digitized by Google

dum ſpeculatur, illuminans phantaſmata, & efficiens vniuerſalia; propterea dicere debebat Ariſtot. quod intellectus ſpeculatiuus eſt immortalis, cum rei veritate ipſe ſentiret, eum eſſe ſua natura mortalem; ac ita nos decipere, vt plebeculam conſuerunt circulatores; & vt illi manuum celeritate oculos ſpectantium præſtringunt, ita hic ancipiti dictione auditorum mentes demontet. Num, quia lux quæ eſt incorporea, coniungitur cum oculo, & colores potentia viſibiles, actu viſibiles facit, dicendus eſt propterea & ipſe oculus incorporeus.

Vtar autem ego aduerſus hanc ſententiam hoc dilemmate, aut intellectus agens copulatus humano intellectui, ipſum efficit rei veritate immortalem, ſecundum eius eſſentiã, ſeu ſubſtantiam; aut non; ſi primum. ergo vere eſt immortalis; ſi ſecundum, quomodo dicit Ariſtoteles, quod eſt aliud animæ genus, cum genus dicat eſſentiam, & mortale ac immortale non poſſint eſſe in eodem genere. Mortale autem, genere non eſt aliud à mortali, quare intellectus ſi eſt mortalis non erit aliud genus animæ. At hi, trepidauerunt timore vbi non erat timor, in nullo enim ſibi Ariſtot. aduerſatur; cum enim inquit de intellectu, ac ſpeculatiua potentia nihil adhuc eſſe manifeſtum, vtrum eiuſdem rationis ſit, cum reliquis animæ potentijs, quas dixerat, notum eſſe quod ſubiecto non ſeparantur, ſed ratione tantum; bene ac rationabiliter inquit, dixerat enim ſupra, intellectiuum non ſeparari à vegetatiuo; ac propterea videbatur eſſe dubitandum quod non ſepararetur ſubiecto à cæteris animæ potentijs, ſed ratione tantum; cum vero dicit videri ſeu apparere aliud animæ genus, & hoc ſeparari tamquam perpetuum à corruptibili, bene etiam, ac ſibi ipſi conſentanee inquit, cum è contra ſupra dixiſſet, & in hoc ſecundo libro & in primo, quod intellectus nullius corporis eſt actus, & quod nullam corporis partem occupat; quare iure merito dicere potuit, ipſum eſſe aliud animæ genus; quia cæteræ animæ partes cum ſint alicuius corporis actus & certas corporis partes obtineant, non ſeparantur inuicem ſubiecto; ſed ratione tantum, ex quo ſequitur, quod ſint corruptibiles; intellectus vero qui nullam obtinet partem corporis, nec alicuius eſt actus corporis: ſubiecto, neque eſt ſeparabilis, neque inſeparabilis, ſed proprio ac peculiari quodam modo à ceteris potentijs, & à corpore eſt ſeparabilis; nempe tamquam perpetuum à corruptibili, propterea autem prius dixerat, nihil adhuc eſſe manifeſtum de intellectu, vtrum ſit eiuſdem rationis cum cæteris animæ partibus, quia nondum monſtrauerat ipſum eſſe immixtum & impaſſibilem, quod in ſequenti tertio poſtmodum præſtitit. Non mirum autem eſt, quod Ariſtot. pau-

lo ante dixit, intellectiuum, seu omnes potentias animæ, quæ post vegetatiuam sunt; non posse separari à vegetatiuo, quamuis ipsum à cæteris separabile sit; verum enim est, ex sententia Aristot. qui animam humanam ex duplici parte constare statuit, vna scilicet caduca, atque mortali; quæ est vegetalis & sentiens. Altera vero æterna & immortali, quæ est intelligens, & hæ omnes vnius animæ partes siue facultates dicuntur; verum inquam est ex Aristot. sententia, quod intellectiuum, vt est pars animæ, siue facultas non est sine vegetatiuo, quia non est sine sensitiuo, cum indigeat phantasia; dum tamen est in corpore siue est pars animæ, quæ est forma & actus corporis; & ita intellectus, vt est pars animæ, non potest esse sine vegetatiuo; at vero vt intellectus est, potest esse sine vegetatiuo, siue separabilis est à vegetatiuo, quod optime expressit Aristot. loco eodem, dum dixit, alias animæ potentias impossibile esse vt separentur à vegetatiuo, in mortalibus.

Excipiens cælestes orbes, qui ex eius sententia, sunt animalia, sed prædita solo intellectu; non autem alijs animæ partibus, cum neque sensuali, neque vegetali indigeant, vt fusius in nostra disputatione, quam de hac re scripsimus demonstratum fuit. Ad id vero quod obijcitur ex sequenti particula 22. in qua Aristot. habet quod sensitiuum non est separabile ab opinatiuo subiecto, sed ratione. possumus primo respondere, verissima responsione, quod ibi Aristot. negauit, opinatiuum, & sensitiuum separari posse, hoc est distingui posse ad inuicem subiecto, vt Plato dicebat; qui in vna parte corporis ponebat opinatiuum & in alia sensitiuum; ac ita partes animæ diuidebat ad diuisionem partium corporis, vt sæpe dictum est, quod manifeste Aristot. expressit his verbis; *Reliquæ autem partes animæ manifestum ex his quod separabiles non sunt;* sicut quidam dicunt; *ratione autem quod aliæ manifestum est, sensitiuo enim esse, & opinatiuo aliud, siquidem & sentire ab ipso opinari, similiter autem & aliorum quæ dicta sunt vnumquodque.* at vero non propterea deducendum est, quod dixerit ipsas simpliciter non esse separabiles subiecto, nam à secundum quid ad simpliciter non est deducere consequentiam; nam potest separari à subiecto tamquam perpetuum à corruptibili; tamen breuitatis causa, vtar responsione quam ipsemet Portius ad hanc dubitationem affert, dicens; *quod hic pro opinatiuo accepit Aristot. intellectum practicum, qui coniunctus est cum sensu, & cum eo in opere communicat; non autem intellectum speculatiuum qui longe aliud genus animæ esse videtur, vt explicatius nos docebit lib. 3.* Hæc Portius, qui tamen intellectum speculatiuum cum agente confundit; nos tamen eius responsionem recipimus, quantum nostro proposito conuenit; fatemur

enim

Digitized by Google

enim quod ipſe concedit, hic non loqui Ariſtot. de intellectu iuxta ſui naturam conſiderato, & ſecundum eius propriam operationem quæ eſt ſpeculari, ita enim ſeparabilis eſt & immortalis, ſed de intellectu, qui eſt coniunctus cum ſenſu, & eo indiget, in operando. ſecundum quem modum non poteſt à ſenſitiuo ſeparari, nec à vegetatiuo, vt ſupra etiam Ariſtot. dixerat, cum tamen vterque hic intellectus, humanus ſit, & re ac ſubſtantia vnus, & idem, nec alius aut diuerſus niſi ſecundum varias ac diuerſas conſiderandi rationes.

Afferuntur loca ex tertio libro de Anima. *Cap. XXII.*

EXAMINATIS ijs quæ Ariſtoteles varijs in locis, tamquam digrediens, de immortalitate mentis humanæ pronunciauit; nunc tandem ad tertium librum de anima accedere opportunum eſt, in quo tamquam proprio & ſpeciali tractatu, ad naturam intellectus humani declarandam conſcripto: Philoſophus ex propoſito quid nam ſentiret aperuit. Aggrediuntur autem græci expoſitores tertium librum ab ea parte qua Ariſtoteles exacto tractatu de ſenſibus; veluti compendium agens; ſenſus oſtendit non eſſe plures quam quinque, atque vno conſtituto communi ſenſu qui ſenſibilium ſingulorum differentias iudicet; differentiam inter ſenſitiuam ſiue brutalem animæ partem & rationalem aſſignat.

Arabes autem, quos multi ex Latinis ſequuntur ab illa particula eũ exordiuntur, qua Ariſtoteles aperte, de rationali animæ parte ſe dicturum pollicetur, dum inquit; *De parte autem animæ qua & cognoſcit anima & ſapit, ſiue ſeparabili exiſtente, ſiue non ſeparabili, ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum rationem; conſiderandum eſt quam habeat differentiam, & quomodo tandem fiat ipſum intelligere.* Qua ex parte & nos incipiemus loca adnotare quæ ad præſentem diſputationem pro immortalitate humani intellectus faciunt. Ariſtoteles igitur, humani intellectus naturam indagare aggreſſus. humani inquam intellectus, quo homo conſtituitur, qui & intellectus potentia, ſiue poteſtate appellatur, primum ſtatuit eius operationem, quæ eſt intelligere, eſſe pati ab ipſo intelligibili, aut aliquid aliud tale; ex hoc autem, deducit, ipſum eſſe impaſſibilem.

ſunt

Digitized by Google

ſunt autem eius hæc verba. *Si igitur eſt ipſum intelligere ſicut ſentire, aut pati aliquid vtique erit ab ipſo intelligibili, aut aliquid aliud tale. Impaſſibilem ergo oportet eſſe & cætera.* Hanc autem ſequelam, manifeſtum eſt, quod deducit Ariſtot., vt Philoponus inquit, ex eo quod ſuppoſuerat, quod intelligere ſit pati aliquid, aut aliquid aliud tale, qua appoſita conditione, voluit ſignificare, quod intelligere non eſt idem pati cum ipſo ſentire, quamuis in aliquo aſſimilantur; aſsimilatur enim intelligere ipſi ſentire, quatenus vtrumque eſt cognoſcere, & recipere aliquod obiectum, ac proinde, vtrumque eſt pati: communiſsima tamen, ac minus propria patiendi ſignificatione, cum paſsio proprie pro deſtructiua vſurpetur paſsione, ſentire autem & intelligere ſint paſsiones perfectiue, nam & facultas ſentiens cum recipit obiectum perficitur. ex quo, ipſum ſentire dicitur actus ſecundus, ſiue perfectio, ac pariter intellectus. At vero ipſum intelligere, adhuc minus proprie eſt pati quam ipſum ſentire, nam ipſum ſentire aliquando eſt pati, deſtructiuum, at vero ipſum intelligere numquam eſt pati deſtructiuum, ſed ſemper perfectiuum; quod optime inferius Ariſtot. declarauit, nempe *partic. 7.* inquiens. *Quod autem non ſit ſimilis impaſſibilitas ſenſitiui, & intellectiui manifeſtum eſt ex ſenſoreis & ſenſu; ſenſus enim non poteſt ſentire ex vehementi ſenſibili, vt ſonum ex magnis ſonis, neque ex fortibus odoribus aut coloribus videre aut odorari, ſed intellectus, cum aliquid intellexerit valde intelligibile, non minus intelligit inferiora, ſed & magis, ſenſitiuum enim non ſine corpore eſt, hic autem ſeparabilis eſt.* Quibus verbis ſapienter, vt ſolet, expreſsit Ariſtot. differentiam, quæ eſt inter ſentire & intelligere, necnon cauſam diuerſitatis, quamuis enim ſentire & recipere proportionatum obiectum, ſit perfectio & actus potentiæ; tamen non eſt omnino expers alicuius deſtructiuæ paſsionis, hoc autem, vt optime dicit philoſophus; manifeſtum eſt ex ſenſoreis & ſenſu, nam & ſenſoria corrumpuntur à vehementi ſenſibili, vt oculus ab excedente lumine & albedine, & vis ſentiendi pariter labefactatur atque corrumpitur, cauſam autem breuiter affert; quia ſenſitiuum non ſine corpore eſt, duplici pacto; primo quia vtitur organo corporeo, quod patitur atque corrumpitur ab ijs corporibus in quibus ſenſibilia ſunt, vbi vehementer agunt, vt aer qui cum tonitru findit lignum; ſecundo quia ſenſus ipſe ratio eſt & armonia ac proportio, ſiue reſultans ex proportione elementorum & ſenſibilium corporum; quare veluti ratio & conſonantia fidium, corrumpitur, percuſsis fortiter fidibus, ita ſenſus ipſe à vehementi actione ſenſibilis, vt fuſius declarauit philoſophus *2. de anima partic. 123.* at vero intellectus cum aliquid intellexerit valde intelligibile

nullam

Digitized by Google

nullam patitur destructiuam passionem, nam non minus intelligit debiliora intelligibilia; quinimo potius perficitur, nam ea magis intelligit, rationem autem affert, quia intellectus separabilis est; veluti enim sensus, quia non sine corpore est, debilitatur, ac destruitur à vehementi sensibili; ita intellectus quia separabilis est à corpore, ac non pendet ab eo, neque tamquam organo, neque tamquam subiecto, vt alibi etiam dixerat; à vehementi intelligibili, nequaquam debilitatur, sed perficitur magis ac roboratur, optime igitur Aristoteles sequelam deducit; si intelligere est pati aliquid ab intelligibili, aut aliud aliquid tale, hoc est, minus pati, quàm ipsum sentire, atque diuersum pati & satis improprie dictum, ergo oportet eum esse impassibilem: quod perbelle etiam paulo ante significauit, vltimis pene verbis præcedentis capituli: vbi cum dixisset ope imaginationis, & phantasmatum multas fieri operationes ab animalibus, subdit, quod alia quidem secundum hæc operantur, quia in ipsis non est intellectus, vt sunt bruta; alia autem quia obruitur aliquando intellectus passione, aut ægritudine, aut somno, vt homines, quibus in verbis adnotare dignum est, quod significare volens impedimentum quo intellectus præpeditur à morbis corporis, non dixit intellectum βλάβῆναι, hoc est; ledi sed ἐπικαλύπτεσθαι. quod est obuelari, siue obtenebrari; non enim intellectus lædi potest, cum sit impassibilis, sed eius operatio potius marcescit alio quodam interius corrupto, vt supra idem philosophus dixerat *lib. 1. partic. 65.* quapropter iure merito dixit ipsum à morbo, & passione obumbrari, quemadmodum & in somno, ac veluti sol, cum sit sua natura lucidus non dicitur defectus pati; sed labores, quemadmodum poeta noster cecinit dicens: *Defectus lunæ varios solisq; labores*. Ita intellectus noster, cum sit sui natura impassibilis, non dicitur lædi, sed operiri, vel consopiri à patematibus, & morbis.

Optime igitur deducit Aristot. consequentiam, si intelligere est pati aliquid, aut aliquid aliud tale; ergo intellectum oportet esse impassibilem, consequentiam autem probat, in *partic. 7.* declarans ac probãs antecedentem; scilicet, quod intelligere non sit proprie pati, sed aliquid aliud tale, dissimile; ac longe diuersum ab ipso sentire; quare Aristotelem dicendum est, aperte hoc loco statuisse intellectum esse immortalem. Omne etenim mortale est passibile, sed intellectus humanus non est passibilis, ergo intellectus humanus non est mortalis; sed videamus quid ad hæc aduersarij.

Aduer-

Digitized by Google

Aduersariorum responsio & confutatio.
Cap. XXIII.

AD hunc locum varie respondent aduersarij. *Alexander lib. 2. de anima cap. 14.* ita habet: *Sensus sane, qui per corpora fiunt nõ sunt id quod apprehendunt, sed aliud quid actu existunt; ipsa autem potestas alicuius corporis est; quo circa patiente aliquid corpore sensuum apprehensio fit, & propterea non omnium rerum quolibet sensus apprehensiuus est; est enim quidam ipse iam actus. Intellectus autem, qui nec per corpus res apprehendit, nec corporis potestate est, neque patitur, neque demum est aliquod ens actu; hoc aliquid fieri non potest, sed est simpliciter potestas quædam eiusmodi entelechiæ, & animæ; formarum & intellectionum susceptiua. Is igitur intellectus materialis existens in omnibus ijs est, quæ perfectam animam obtinent, hoc est in hominibus.* Quibus verbis eam affert responsionem, quam eius sectatores; non solum hoc loco verumetiam alias vsurpant, nempe, quod intellectus, cum non sit actus, sed pura potentia, non est virtus aliqua corporea, quemadmodum est sensus, qui propterea non potest omnia percipere, ac patiente corpore patitur, cum ipsum sentire nonnisi patiente aliquid corpore fiat; quare neque per corpus apprehendit intellectus, neque corporis potestas est, sed animæ & entelechiæ, quapropter impassibilis est, quam Alexandri sententiam, vt certius confutemus; nos ita arguendo confirmabimus. Certum est, quod intellectus humanus, quo homo constituitur est pura potentia apud Aristot. vt cõstat ex eius verbis *3. de anima partic. 5.* vbi inquit; *Quare neque ipsius vlla est natura nisi hac quod possibilis; qui igitur vocatur animæ intellectus; dico autem intellectum, quo anima intelligit & existimat, nihil est actu, eorum quæ sunt antequam intelligat, & particula 13.* inquit, *quod hic intellectus est sicut agraphum in tabula*, ac propterea *partic. 4.* laudauerat Anaxagoram, qui dixit, *intellectum esse immixtum corpori, vt posit omnia intelligere, nam quod intus apparet prohibet & obstruit.* Hoc autem supposito, necessario intellectus impassibilis est, nam neque patitur per se, neque per accidens, non patitur per se, quia cum sit potentia, non patitur nisi ab obiecto, passione perfectiua; obiectum namq; perficit potentiam, neque patitur per accidens, nam si pateretur per accidens pateretur ratione corporis, quod non contingit, quia intellectus non est actus alicuius corporis, vt Aristot. statuit *2. de anima*

partic.

Digitized by Google

partic. 11. quinimo, neque eſt potentia alicuius corporis, quia non eſt virtus organica vt ſenſus, neque eſt aliquod ens actu, vt hic Alexander dixit; ſed eſt potentia & facultas animæ & entelechiæ. ex quibus omnibus, ſequitur quidem (inquit Portius *libro de mente humana cap. 18.*) quod intellectus ſit impaſſibilis, vt Ariſtot. dixit, ſed non ſequitur quod ſit incorruptibilis, nam corrumpitur intellectus ad corruptionem animæ, cuius eſt potentia, quæ anima corrumpitur ad corruptionem corporis, cuius eſt entelechia.

Cum vero intellectum, potentiam puram, ſiue præparationem animæ appellauerint; longe diuerſo, ac diſſito inter ſe modo; illam ſtatuerunt; aliqui enim hanc potentiam; accidens eſſe dixerunt, vt colligitur ex Alexandro loco nuper allato, & expreſſe ſtatuit Portius *libello de mente humana cap. 7.* vbi cum multa attuliſſet contra Simplicium, & alios qui ſtatuerunt intellectum potentia, ſua natura eſſe actum, ſed ex coniunctione cum corpore fieri potentia, quia fit in potentia ad recipienda intelligibilia, ex formis materialibus, tandem, hæc ſubiungit verba. *Etenim nullibi intellectum potentia 3. de anima (in quo omnem rationem intellectus potentia explicauit) eſſe ſubſtantiam affirmauit, ſed ſolum de eo hæc prædicata protulit, ipſum eſſe potentia, impaſsibilem, ſimplicem, ſeparabilem ab organo, & immixtum, quæ omnia conueniunt intellectui vt facultas eſt cognoſcendi, tamen numquam dixit illum eſſe ſubſtantiam, quod quidem ſummæ neceſſarium erat ad rationem intellectus explicandam.* Alij vero potentiam eandem omnino negarunt eſſe accidens, neque eſſe referendam ad genus qualitatis, vt naturalis potentia, vel impotentia, ſed ad genus ſubſtantiæ, vt materia primą quæ ſubſtantia potentia eſt & dicitur: ac veluti materia prima ratione formæ, actu in compoſito exiſtit; ita & intellectus hic, cum ſit humanæ animæ particula, quæ eſt corporis actus, exiſtit actu illius beneficio, quamuis natura ſua nuda ſit poteſtas, & illi aptitudini ſimilis, quam in tabella in qua nihil actu ſit ſcriptum, comprehendimus. In hac ſententia fuit Iulius Caſtellanus *lib. 2. de humano intellectu cap. 6.* vbi etiam Simonis Portij errorem impugnauit his verbis: *Quamobrem hoc in loco Simon Portius, philoſophus alioqui grauiſsimus, in maximum errorem delapſus eſt, cum intellectum poſsibilem animæ noſtræ accidens, & proprietatem ex Ariſtot. ſententia decreuerit, eumq; ſeiunxerit à numero ſubſtantiarum. Siquidem, cum philoſophus, ſemel, bis, atque iterum, hunc, animæ noſtræ partem vocauerit; minime ambigendum erat, an ſubſtantia eſſet cum ſubſtantiæ partes ſubſtantiæ ſint non accidentia; nam prætermitto eumdem philoſophum, qui 4. de partibus animal. cap. 10.* ſubſtantiam hunc intellectum appellauit dicens; *Solus enim animalium homo erectus eſt, quoniam eius natura,*

atque

Digitized by Google

atque substantia diuina est, officium autem diuini est intelligere atque sapere; porro philosophus in primo contextu, *particulam potius animæ quam partem satis ingeniose vocauit intellectum, & cætera*. Hæc ex Alexandro & eius sectatoribus; sed videamus quanti momenti sint, & vtrum clarissima Aristotelis verba valeant detorquere: primum autem examinabimus priorem sententiam, in qua dicebatur, intellectum humanum esse puram potentiam & accidens. Iuxta hanc vero sententiam; vt ipsemet Portius fatetur *cap. 7. prope finem*; anima ipsa est substantia & actus corporis, ipse autem intellectus, potentia est ac facultas, & veluti instrumentum ipsius animæ, ac propterea intellectus dicitur simplex & immixtus, ac separabilis, & ex consequenti, intellectus non erit substantia, siue vltima quiditas, qua homo constituitur; talis enim differentia est forma, siue actus, at intellectus non est forma, neque actus, ergo intellectus non est vltima differentia, & quiditas, qua homo constituitur inesse hominis. ex hoc autem sequuntur duo impossibilia, primũ, quod homo, quatenus homo, non esset rationalis; nam homo eatenus est rationalis, quatenus constituitur per intellectum, quapropter dicunt omnes philosophi, tam Platonici quàm Aristotelici, quod vltima hominis differentia est rationale, rationale autem includit intellectiuum, sed homo non constituitur per intellectiuum ex dictis ab aduersario; ergo homo non constituitur per rationale; ergo homo quatenus homo non est rationalis, consequentia est manifesta, quia prædicatum secundum quod ipsum includit per se. Alterum vero est, quod in homine non sit alia differentia animæ quam sensitiua, cuius contrarium apertissimis ac validissimis rationibus ostendit Aristot. *lib. 2. de anima à partic. 150.* infra, vbi speciatim confutat sententiam Empedoclis; & Homeri, dicentium idem esse sapere & sentire, operæ pretium autem aliquantulum digredi in disticho Homeri, quod ita habet Græce.

Τοῖς γὰρ νόος ἐστὶν, ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,

quæ carmina ita vertit latine Argiropilus, ad verbum,

Talis enim mens est terrestrium hominum,
Qualem in dies inducit pater, hominumq;, Deorumq;,

Optime autem deducit ex his carminibus Aristoteles Homeri sententiam fuisse, quod intellectus & sensus sint idem, siue quod intelligere & sapere sint idem; nam per patrem hominum & Deorum, certũ est Homerum intellexisse cælum, iuxta Exiodi sententiam; dum ergo dicit talem hominibus esse mentem qualem inducit, hoc est dat de su-

per

Digitized by Google

per illis pater hominum & Deorum, quod est cælum; ostendit actiones omnes humanas esse à cælo, in quo illud etiam notandum est, quod illis verbis οἷον ἐπ' ἦμαρ, hoc est; quale in dies, significatur cælestis actio, quæ in dies, hoc est permotum in hæc inferiora producitur. Ex his autem omnibus sequitur, quod si cælum habet actionem in mentem, mens est facultas corporea, siue pendens à corpore, quia cælum, cum sit corpus non habet actionem nisi in corpora, & virtutes, vt aiunt corporeas. Quod si intellectus est virtus corporea, quemadmodum est sensus, ergo non differt à sensu, quia homo non constituetur in esse hominis per aliquam differentiam quæ non sit sensus, sed sicut cætera bruta animalia distinguetur ab alijs per aliquam vltimam differentiam sensitiuæ; & vt equus ab asino, ita homo distinguetur à cæteris animalibus per vltimam differentiam sensitiuæ, quæ propria est homini.

Ad hæc, video Aduersarios extollere cachinnos, & dicere, meo me ipsum gladio iugulasse, nam hoc Commentum quod quilibet homo constituatur per certum gradum sensitiuæ, nempe per cogitatiuam est Auerrois, & cæterorum qui immortalitatem intellectus tuentur, qui cum singulis hominibus propriam formam, & vltimam differentiam constituentem, tribuant ex sensu; Vnum tantum intellectum dicunt omnibus hominibus adesse, eumq; singulis non tribuere essentiã, sed operationem tantum. At vero non esse improperandum ijs qui intellectum, siue animũ dicunt mortalem, nam ipsi, vt hæc tam absurda euitarent, & alia quamplura, vno gladij ictu præcidentes; Gordianum nodum soluerunt; mortalem animum astruentes, atque ita se & alios ab infinitis molestijs liberarunt. Negant igitur ipsi sequelam, quam nos deduximus, nempe, quod si intellectus est pura potentia, anima humana non differt ab anima brutorum, nec est alia à sensu. Quinimo dicunt ipsi, ex hoc patet, quod est rationalis, & differt à sensu & à brutorum forma. eo quod, hac potentia prædita est, quæ dicitur intellectus. quo homo tamquam certa viuentium species constituitur; his enim facultatibus animam determinari aiebat philosophus *2. libro partic. 18.* vegetatiuo scilicet, sensitiuo, cogitatiuo, motu. & *partic. 24.* dixerat animam, esse, id principium, quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primo. Explicant vero quidnam sit hæc potentia, & inquiunt esse facultatem quandam, siue aptitudinem, & præparationem in anima, qua possit omnia intelligere, cum sua natura nullum sit intelligibilium actu; ac omnino esse sicut agraphum in tabula, vt *Aristot. partic. 14.* dixerat. hanc autem potentiam quamuis sui natura, impassibilem & incorruptibilem, cum facultas sit tantum,

& po-

& potentia cognoscendi; tamen corrumpi corrupta anima, cuius est potentia, & hoc significari ab Aristot. illis verbis, intelligere, & speculari marcescit, alio quodam interius corrupto. Intelligere autem singula per illuminationē ab intellectu agente, qui extrinsecus aduenit, & intellectui potentia coniungitur, tamquam lumen & habitus siue perfectio, ac propterea ἐνέργεια, siue actus ab Aristot. appellatur; efficiens enim, vt singulares notiones vniuersaliter cognoscat: phantasmata potentia intelligibilia, actu intelligibilia facere dicitur. Hic autem intellectus Deus ab ipsis existimatur esse, ex illo potissimum, quod Aristot. inquit, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια, hoc est, *substantia existens actus*, quod non competit nisi Deo, qui est purissimus actus. Quare & differre dicunt animum humanum ab anima brutorum, per hanc potentiam, qua potest coniungi cum intellectu agente, atque ita intelligere species in phantasmatibus, & fieri intellectus in actu, ac etiam speculatiuus, qui vniuersalia intelligit & contemplatur, dum autem in potentia se habet ad hæc omnia, dicitur intellectus potentia, siue potestate, qui omnibus hominibus connascitur, ac simul cum illis interit. Quæ omnia, vt confirmet Simon Portius *lib. de mente humana cap. 7.* affert Aristot. verba ex *30. partic. problematum problemate 5.* vbi inquit. *Cur seniores amplius mente valeamus, iuniores citius discamus? Quia natura parens, & author omnium, instrumenta nobis duo inseruit, quorum opera instrumentis extraneis vti valeremus. Manum inquam corpori dedit; Animo mentem. Est enim mens quoque rebus à natura nobis impertitis annumeranda; vicem sanè gerens instrumenti. Cæteræ omnes scientiæ, artesq; : opera nostra sunt, mentem ipsam opus esse naturæ fatendum est. Vt igitur manu non iam inde ab ortu naturæ vti possumus, sed cum eam natura absoluit, perfecitq;, procedente namq; ætate manus suum opus maxime efficere potest; ita etiam mens, quæ res naturalis est non protinus, sed in senectute maxime nobis contingit, atque tunc potissimum consummatur, atque absoluitur, nisi detrimento aliquo lacera læsaq; sit, quemadmodum cætera quoque opera naturæ. Mens vero posterior quam manuum facultas accedit, quoniam instrumenta etiam mentis posteriora sunt, quam manuum instrumenta: est enim mentis instrumentum scientia. Menti namq; vtilis scientia est, vt Tibicini tibia, manuum instrumenta plereque res naturales sunt: Natura autem ipsa eiusq; res omnes priora sunt quam scientia. Quorum autem instrumenta priora sunt, facultates quoque eorumdem prius contingere congruum est. His enim crebro vtentes conficere habitum solemus. Et ita sic reciprocantur, vt quam vicem hæc inter se gerunt, quorum instrumenta sunt, eandem instrumenta quoque ipsa inter se habeant, viciſsimque, quam instrumenta inter se, eamdem illa, quorum sunt instrumenta. Mens igitur ea de causa nobis senioribus potius contingit.* Ex his autem quatuor colligit

colligit Portius capite citato; Vnum est, quod intellectus potentia sit nobis à natura inditus, & sit veluti instrumentum animæ; Alterum est, quod læditur, vt & aliæ animæ facultates; Tertium est, quod cum primum in lucem prodimus, non inest nobis intellectus perfectus, sed imperfectus, & in potentia, & similis agraphæ tabellæ, ac fere nihil differt à bestijs anima pueri. Vltimum est, quod intellectus perficitur in senectute, vt Aristoteles adstipulatur *12. metaphisicorum*; sed perfectio durat pauco tempore. Aduersus quæ omnia, Cominus & collato pede pugnabimus; strictis pugionibus, & iugulum semper petentibus, ex hac enim veritate, tota ferme lis dirimetur, ita vt necessum sit, aut à me aduersarium ita cogi, vt animam & veritatem apertis faucibus euomat, aut ipse mihi animum simul cum immortalitate auferat. Arguo autē ita; aut hæc facultas quæ dicitur intellectus potentia, est idem realiter, vt dicunt, cum anima & sola ratione differt ab anima, aut ab ipsa realiter differt. Si idem est re ipsa cum anima, vt Aristoteli placet *2. de anima partic. 22.* vbi inquit, quod animæ facultates ratione tantum differunt inter se, quod si inter se, ergo etiam ab anima, & idem Portius statuit *cap. 17.* his verbis; *similiter & in homine intelligendum est, quod intellectiua non est alia anima à sensitiua & vegetali, cum sint vnius animæ facultates: verum, dicitur rationalis à præcipua facultate, qua à brutis distinguitur*. Ergo homo constituitur per animam sensitiuam; probatur sequela, quia homo constituitur per intellectiuum, quod est facultas eiusdem animæ cuius est sensitiuum; sed hæc facultas non differt realiter ab anima, ergo homo constituitur realiter ab vna, & eadem anima, sensitiua scilicet, quæ tantum ratione, differt ab intellectiua. Hoc autem totum, sponte concedit Portius, tum prædictis verbis, tum etiam *cap. 7.* vbi affert Aristotelis sententiam dicentis *8. de historia animalium cap. 1.* quod anima pueri à belluarum anima prope nihil differt. Sed ipse non vidit, aut parum curauit, incommodum, siue absurdum quod supra deduximus, cum *Aristot. 2. de anima*, iuxta partitionem Auerrois, aut tertio, iuxta partitionem Græcorum, multis rationibus ostendat; aduersus Empedoclem, & Homerum, quod non est idem sapere, ac sentire & ex consequenti, diuersus sit intellectus à sensu; sentire enim animalibus inest omnibus, sapere autem paucis, nec tamen sibi aduersatur Philosophus *8. de histor. animal.* citato; ibi enim, non affirmat, inesse brutis mores humanos, sed vestigia morum, animi humani, nempe insunt, vrbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignauia, metus, fidentia, malitia, atque etiam prudentiæ imago; in quo animaduertendum est,

Digitized by Google

quod non dixit prudentia, ſed prudentiæ imago, ob eam calliditatem quam, in quibuſdam beſtijs experimur, quæ nequaquam prudentia appellanda eſt; non enim eſſe poteſt prudentia, vbi nō eſt ratio, in brutis autem non eſt ratio, vt falſo exiſtimauit Plutarchus in dialogo, qui inſcribitur Grillus; ſed prudentiæ imago, quod expreſſit bene Ariſtot. ſequentibus verbis, vbi inquit, *vt enim in homine, ars, ſapientia, prudentia: ſic in nonnullis brutis, ineſt vis quædam eiuſmodi altera, naturalis*. Quibus verbis manifeſtiſſime Ariſtot. docet differentiam inter dotes animi humani, & veſtigia harum dotum, quæ inſunt brutis; nam in homine eſt ars a recta ratione, ſapientia ab intellectu, prudentia autem à conſilio. Brutis autem quibuſdam; horum omnium vice, ineſt, altera quædam huiuſmodi, vis, naturalis ſcilicet, inſtinctus, pro arte, vt Api, conficiendi fauos ſiue mellificandi, formice frumentandi, & ſic de ſingulis. Diſciplina pro intellectu; imaginatiua autem pro prudentia. Neque obſtant ſequentia verba, vbi inquit, animam pueri per eam ætatem nihil differre ab anima brutorum; hoc enim dictum fuiſſe per quamdam hyperbolem ſiue exceſſum, patet ex ijs verbis ὡς ἀπᾶν, quæ idem ſonant quod latinum illud ſolitum apponi, cum iuxta talem figuram loquimur (vt ita dicam) vel prope dixerim, vt vertit Gaza, ita enim habet græca lectio διαφέρει δὲ ὀλίγον ὡς ἀπᾶν ἡ ψυχὴ τῆς τῶν θηρίων ψυχῆς κατὰ τὸν χρόνον. Hoc eſt differt enim nihil, vt ita dicam, anima à ferarum anima ſecundum id tempus. At vero maius adhuc, ex dictis; Portio reſultat incommodum; ſibi enim ipſi apertiſſime contradicit, nam ſi facultates animæ, realiter non differunt ab anima, ſed ratione tantum, vt ipſe ſtatuit, cum intellectus ſit facultas eiuſdem animæ cuius eſt ſenſitiua, vt præcitatis eius verbis aſſeritur, ergo intellectus eſt actus quidam, & ſubſtantia, quemadmodum & ſenſus, non autem pura potentia & accidens, vt docet *Portius cap. ſæpius citato 7.* quin immo hoc eius præceptori Alexandro manifeſte aduerſatur *lib. 2. de anima cap. 14.* initio huius capitis adducto, vbi ſtatuit differentiam inter ſenſum & intellectum, & inquit; *Senſus ſane, qui per corpora fiunt non ſunt id, quod apprehendunt, ſed aliud quid actu exiſtunt. Ipſa autem poteſtas alicuius corporis eſt. Quocirca patiente aliquid corpore ſenſuum apprehenſio fit, & propterea non omnium rerum quilibet ſenſus apprehenſiuus eſt. Eſt enim quidam ipſe iam actus. Intellectus autem qui nec per corpus res apprehendit, nec corporis poteſtate eſt, neque patitur, neque demum eſt aliquod ens actu, hoc aliquid fieri non poteſt, ſed eſt ſimpliciter poteſtas quædam eiuſmodi entelechia, & animæ formarum & intellectionū ſuſceptiua*. His autem verbis manifeſte oſtendit, ſenſum eſſe formam & actum, cum ſit perfectio corporis, nempe organi, intellectum autem

eſſe

Digitized by Google

esse puram potentiam; ex contraria ratione, quia non est perfectio; sed quid perfectibile. Optime igitur concludit argumentum, si intellectus est idem realiter quod anima, & anima est idem realiter quod sensus, ergo intellectus est idem realiter quod sensus; non enim differt ex ipsorum sententia, intellectiuum à sensitiuo, re, quia intellectiuum à sensitiuo dicunt inseparabile, non solum re; sed etiam subiecto, dicebat enim Portius loco citato, quod intellectus est in corde, veluti etiam & sensus; solum autem differunt ratione, quia aliud est sensitiuo, & aliud intellectiuo esse. Ex hoc autem aliud deducitur absurdum, nempe, quod intellectus esset organicus, & in certa corporis parte vbi est sensus, quod vltro concedit Portius hoc loco, sed Aristot. & etiam Alexander semper, ipse autem Portius alijs in locis constantissime negarunt, manifestissima autem est deductio, quia si intellectus est idem realiter quod anima sentiens, cum talis anima sit in corde & vtatur organo, ergo intellectus erit in corde & vtetur organo, neque illum tueri potest, latibulum, ad quod confugit; nempe, quod non intellectus sit organicus, sed anima, cuius facultas est intellectus est organica; nam detegitur, ex eo quod concessum est, quod facultates animæ non differunt realiter ab anima. Quod si alteram partem dilemmatis sequi velit; nempe, quod facultates animæ, differant realiter ab anima, quæ opinio quamuis fuerit ab ipso reiecta, vt monstrauimus, cum minus sit peripatetica, nisi sane intelligatur vt illam intelligit S. Thomas; tamen, necessario ab ipso amplexanda erit, cum statuat, intellectum esse nudam potentiam, & accidens, anima autem sit actus & substantia, substantia vero & accidens, actus, & potentia realiter differunt. In aliud longe profundius baratrum incidet; nempe, quod homo ab aliquo accidente, quinimo à nuda puraq; potentia constituetur in esse hominis, & tantum per nudam potentiam differet à cæteris animalibus, neque aliqua alia re, cæteris præstabit, diuinum animal, quod finis omnium ab Aristotele appellatur, quam sola atque mera potentia. At vero quis, pro aduersarijs dicet, hanc esse hominis præstantiam, & vltimum telos, siue perfectionem, vt eius anima prædita sit hac potentia, quæ possit perfici ab intellectu speculatiuo, qui in homine comparatur vnione primi atque supremi intellectus qui efficiens, siue agens nuncupatur, beneficio cuius, intellectus qui sua natura potentia erat, quiditates rerum, quamuis singulares, vniuersaliter intelligit, & in actu efficitur; atque ita, homo cæteris animalibus præstat, & ab illis differt, quia humana anima, apta nata est copulari cum intellectu agente, qui extrinsecus illi aduenit, tamquam

lumen & habitus, anima vero brutorum, hac aptitudine caret, vt ſupra etiam dictum fuit, ſed hæc reſponſio vel potius fuga, quamuis prima facie ſatis ſpecioſa, ac ſatis tuta appareat, tamen eſt adeo impoſſibilis, vt nullo figmento, ne dicam cogitatione, quiſquam mortalium illam aſſequi poſsit; primo etenim contradictionem implicat, dicere hunc intellectum eſſe vltimam perfectionem hominis, & eſſe puram potentiam, nam omnis perfectio dicit actum, pura autem potentia excludit omnem actum, ergo pura potentia non poteſt eſſe perfectio, alias ſequeretur contradictio, nempe quod id quod eſt potentia non eſſet potentia, & id quod eſt actus non eſſet actus, quam deductionem tamquam omnino impoſſibilem, damnauit idem Portius *cap. 7.* Præterea; hæc pura potentia, aut in ſui prima notione, vt verbis Themiſtij vtar, eſt potentia, aut in ſecunda ſui notione, ſcilicet, vt comparatur ad aliud, videlicet, agentem intellectũ, aut in habitu; ſi in prima ſui notione eſt potentia, tunc eri purũ nihil, veluti enim materia prima, quæ eſt ens potentia; tamen in ſui prima ratione, vt inquit Themiſtius in aurea digreſſione primi phiſicorum, aut in ſui prima notione, res quædam eſt, &, vt ipſe inquit eſt actu, quamuis in ſecunda ſui ratione vel notione, vt eſt pars compoſiti, & refertur ad formam ſit ens potentia, & in ſui eſſentia potentiam includat, ita & hic intellectus; ſi autem in ſecunda tantum ſui notione dicetur pura potentia, vt rei veritate exiſtimauit Ariſtoteles, qui reſpectu intelligibilium; potentia illum appellauit, tunc neceſſario erit aliquis actus: probo conſequentiam. Omnis potentia quæ perficitur ab actu ſecundo, ſupponit actũ primum à quo producitur actus ſecundus; ſed intellectus eſt potentia quæ perficitur ab actu ſecundo, nempe ab intelligere, ergo intellectus qui eſt potentia, ſupponit actum primum à quo producitur actus ſecundus; ſed hic actus primus nihil aliud poteſt eſſe quam ſubſtantia & anima, aut pars animæ; ergo totum corruit figmentum de pura potentia. Vidit Portius, & proſpexit à longe hanc tempeſtatem, at ipſi non fuit auſus aperte occurrere, ſed per occultos meatus, & cuniculos conatus eſt illam eludere; poterat enim Portius reſpondere concedens totum argumentum, & quod ab ipſo deducitur, nempe quod intellectus qui eſt potentia, ſupponit intellectum à quo perficitur, ac deducitur in actum ſecundum, ſed hic intellectus eſt intellectus agens, qui propterea requiritur ad intellectionem, quia intellectus potentia exiſtens; non poterat ſuapte natura prodire in actum niſi ope huius alterius intellectus; ſed tacuit veluti argumentum difficillimum, ita & reſponſionem minus idoneam. Concluſio enim quæ de-

ducitu

Digitized by Google

ducitur in argumento, eſt, quod intellectus potentia, qui perficitur ab actu ſecundo, ſupponit actum primum, qui actus primus eſt actus ſuſceptiuus intellectionis, non effectiuus; ac propterea hic intellectus eſt coniunctus cum potentia, intellectus autem effectiuus eſt purus actus, ſed veluti ex inſidijs reſpondet *cap. 6.* ſæpius citati *libelli de mente humana*, dicens, intellectum agentem intelligere hæc materialia. Hæc autem ſunt eius verba ſæpius repetita. *Nec te moueant quæ ab his paſſim dicuntur, intellectum agentem illuminare, non autem intelligere hæc materiata, quandoquidem Ariſtoteles hac in tractationibus ſuis nuſquam docet.* Et paulo infra inquit; *Itaque Ariſtot. per hæc verba intellectum agentem materialium cognitionem obtinere non negauit.* Et poſt hæc *hinc inextricabiles latinorũ ambages nulla ratione cum verbis Ariſtot. cohærere indicabis; ſiquidem intellectum agentem illuminare ac non intelligere, quomodo fieri poſſit intelligi nequit, niſi dicamus, vt lumen candele illuminat, & non cognoſcit; ita intellectum agentem illuminare, & non cognoſcere, atqui hoc abſurdiſſimum, vel nuper initiatis in philoſophia videbitur.* Ex hac autem doctrina quam iacit, quod intellectus agens intelligat materiata, ſiue quiditates rerum ſenſibilium, facile effugi poſſunt argumenta prædicta, nam intellectus humanus, qui intelligit, eſt intellectus in actu, hoc eſt, qui actu habet intelligibilia, quæ cõiunctione intellectus agentis, cum poſſibili, intelligibilia effecta ſunt, & dicitur intellectus ſpeculatiuus, hic autem intellectus ſpeculatiuus, nihil aliud eſt quam intellectus, qui antea imperfectus exiſtens, & in potentia, poſtmodum ſuperueniente intellectu agente, tamquam actu & perfectione factus eſt in actu & intelligens; ita vt ad conſtituendum intellectum ſpeculatiuum, non ſit opus ſupponere aliam entitatem, niſi puram illam potentiam, & actum, intellectus agentis illam potentiam perficientis, atque ita, ad argumenta præciſe reſpõdendo; dicendũ eſt, quod illa puta potentia eſt aliquod ens in ſui prima notione, quia eſt facultas animæ, quæ ſubiectatur, vt ita dicam; in anima, efficitur vero ens actu, & intellectus in actu ab intellectu agente, qui primo ingenerat habitum in intellectu potentia, efficiendo, vt potentia intelligibilia ſint actu intelligibilia, ac producendo ſpecies intelligibiles in intellectu, ita vt, intellectus qui prius erat intelligibilia potentia, poſtmodum fiat intelligibilia actu, & ita ſit intellectus in habitu, ſiue in actu primo. Ad argumentum igitur, cum dicebatur, omnis potentia quæ perficitur ab actu ſecundo, ſupponit actum primum à quo poſſit produci actus ſecundus; vera eſt propoſitio maior; ſed intellectus eſt potentia quæ perficitur ab actu ſecundo, ſcilicet intelligendi; ergo intellectus ſupponit actum primum à quo poſſit prodire in actum ſecundum;

cundum; conceditur totum argumentum; ſed hic actus primus non eſt niſi anima, aut pars animæ; negatur conſequentia, nam hic actus primus nihil aliud eſt niſi habitus genitus ab intellectu agẽte; dum potentia intelligibilia; fecit actu intelligibilia, vt poſſit prodire in actum intelligendi quotieſcumque velit. ſed hoc etiam latibulum manifeſtum fiet, & hoc diuerticulum expugnabitur adhuc.

Nam quamuis verum ſit; actum primum, qui eſt vt habitus in intellectu, eſſe ipſum met intellectum imbutũ multis ſpeciebus intelligibilibus ab intellectu agente productis & ingeneratis, tamen neceſſarium eſt, actum primum, qui eſt vt habitus ſupponere actum primum, qui eſt vt forma, ac veluti geometria, quæ eſt habitus geometrizandi; ſupponit animam quæ eſt principium geometrizandi per geometriam; ita & intellectus in habitu, neceſſe eſt vt ſupponat alium intellectum, qui ſit principium intelligendi per hunc habitum ſibi comparatum, quod optime, & clariſſimis verbis expreſſit philoſophus *3. libro de anima partic. 6.* laudans illos qui dixerunt intellectum eſſe locum ſpecierum, quod ſi locus eſt ſpecierum, ergo erat aliquod poſitiuum antequam reciperet ſpecies; hoc enim ſibi vult eſſe locum, hoc eſt eſſe receptiuum, & conſeruatiuum ſpecierum, veluti locus corporeus eſt ipſorum corporum, neque reſponderi poteſt intellectum eſſe locum ſpecierum, ratione animæ quæ conſeruat ſpecies, nam hoc expreſſe Ariſtoteles excluſit dicens: *Et bene vtique qui dicunt animam eſſe locum formarum, niſi quod non tota, ſed intellectiua.* Quare neceſſario dicendum eſt, quod intellectus potentia, qui eſt ſuſceptiuus ſpecierum, & quiditates rerum intelligit, ſit aliquid poſitiuum, & non pura potentia, niſi dicere velint; actum intelligendi conuenire intellectui ſpeculatiuo, non ratione intellectus potentia; ſed ratione intellectus agentis, ac propterea ſtatutum fuerat à Portio, quod intellectus agens; non ſolum illuminat; verum etiam cognoſcit, & intelligit quiditates rerum materialium; ſed ò bone? ſi intellectus agens ex tua, & præceptoris ſententia eſt Deus, quomodo intelligit aliquid extra ſe? quomodo accipit cognitionem à rebus? quomodo non vileſcit, hæc inferiora intelligens? quæ omnia tamquam abſurdiſſima ipſe deduxit de intellectu noſtro, ſi forma aliqua immortalis atque incorruptibilis foret: Cum tamen longe diſpar ſit ratio de vtroque; nam intellectus noſter dum animæ copulatur, & particula eſt formæ corporeæ, & in corpore operatur, ac ſeparabilis eſt, non ſeparatus: omnino potentia ſe habet ad intelligibilia, ac iuxta imperfectum eſſe quod habet, nempe in materia & corpore, imperfecte etiam intelligit. At ve-

ro

Digitized by Google

ro intellectus agens & diuinus ſeparatus exiſtens, & nullo modo corpori, vel corporeæ virtuti coniunctus, nullo modo poteſt materiata intelligere, vt exiſtimauit Portius; adde etiam quod ſi intellectus ſpeculatiuus, ope intellectus agentis, & non per intellectum potentia intelligeret, tunc intelligere non eſſet nobis à principio intrinſeco formaliter, ſed ab extrinſeco; nam intelligeremus intellectu agente tamquam principio, quo; cum tamen intellectus agens ex ipſorum ſententia & ſeparatus ſit à corpore, & extrinſecus nobis adueniat. Neceſſe igitur eſt dicere, intellectum humanum, quo homo conſtituitur, non eſſe puram potentiam, ſed eſſe aliquem gradum formæ & actum, ſiue particulam animæ, vt ipſum, Ariſtot. appellauit. Quomodo enim poterit vmquam fieri intellectus in actu, niſi multis imbutus fuerit ſpeciebus, ac ita factus fuerit ſingula, vt Ariſtot. inquit? aut quomodo poterit imbui niſi ipſe ſit aliquis habitus & forma, aut ſaltem aliquem connotet alium habitum & formam à qua ipſe tamquam potentia fluat, & accidens, & ita illa forma quam connotat, & à qua fluit potentia; erit actus primus & anima, quod ſi actus primus; tunc, aut ſenſus, aut intellectus; non ſenſus, nam homo non conſtituitur per ſenſum, ergo intellectus. Valeat igitur, & longe arceatur hoc mendacium de mente humana, quod non ſit niſi pura potentia atque accidens, & animæ præparatio. ſed diſcutiamus nunc alteram ſententiam, quæ ſtatuit intellectum eſſe ſubſtantiam, ſed ſubſtantiam, quæ eſt potentia; cum enim ſit pars animæ, eſt ſubſtantia, nam pars ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, cum vero nulla alia ſit eius natura niſi potentia, erit ſubſtantia potentia, ac veluti dicit Auerroes in magna digreſſione *3. de anima*, ſicut materia prima eſt potentia ad omnes formas ſenſibiles, ita intellectus hic, eſt potentia ad omnes formas intelligibiles. Bone Deus, quam fluxa & inconſtans eſt falſitas, non animaduertit hic vir, quamuis doctus, & bonus peripateticus, nullam aliam dari ſubſtantiam potentia niſi materiam, vt fuſe docuit *Ariſtot. 9. metaphiſic.* quare ſi humanus intellectus eſt ſubſtantia, potentia, erit materia; ergo non pars animæ, nam anima & eius partes, in corpore animato tenent locum formæ non materiæ, quinimo ſunt forma & actus, quæ vero attulit in huius ſententiæ confirmationem, adeo abſurda ſunt, & à doctrina Ariſtotelis aliena, vt non longa indigeant confutatione, inquit vero, quod in genere intellectuum duo ſunt qui extremum locum, & ſimplicem naturam habent, Deus ſcilicet puriſſimus ac ſimpliciſſimus actus, & intellectus humanus, nuda ac pura potentia: reliqui vero intellectus intermedij, mixtam ex actu & po-

Digitized by Google

tentia obtinent naturam, cuiusmodi sunt reliquæ intelligentiæ post primam: quæ prout magis ac minus intellectum potentia participant inter se nobilitate, vel ignobilitate differunt, & ob hanc causam numero multiplices sunt, neque puri actus dicuntur, & alia à seipsis intelligunt. Nouit quilibet quantumuis leuiter in Aristotele eruditus, quod ea quæ carent materia carent potentia, cum omnis potentia æque sit ad esse, & ad non esse, vt fuse docuit philosophus *9. metaphis. summa 2. cap. 4.* quare si omnes intelligentiæ carent materia, vt *phisicor. 8.* & *metaphisicor. 12.* idem docuit: nulli dubium est, nullam ipsis inesse potentiam, sed omnes esse puros actus ex Aristot. tamen sententia; quare & falsum est, quod subiungit, quod alia à se ipsis intelligunt; si enim *Aristot.* dixit *3. de anima partic. 15.* quod in his quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur: necessarium est cum intelligentiæ sint sine materia, vt nihil aliud à se ipsis intelligant, quod clarius Aristoteles de omnibus intelligentijs demonstrauit *12. metaphis. partic. 51.* ex vulgata sectione. inquiens, quod si intelligentiæ aliquid aliud à seipsis intelligerent, tunc aliquid aliud ipsis honorabilius esset, nempe id quod ab ipsis intelligeretur, neque id solum de prima intelligentia ab Aristotele dictum fuisse existimandum est, vt hic, & quidam alij somniarunt; dictum enim fuisse de omnibus certum est, vt in promptu, nunc etiam ostendemus, sed ab Auerrois verbis *3. de anima* citata digressione, vir hic bonus deceptus fuit; videtur enim Auerroes eo in loco, author huius doctrinæ his verbis. *Tertia autem quæstio, quomodo intellectus materialis est aliquod ens, & non est aliqua formarum materialium, neque etiam prima materia sic dissoluitur. Opinandum est enim, quod istud est quartum genus esse. Quemadmodum enim sensibile esse, diuiditur in formam, & materiam sic intelligibile esse, oportet diuidi in consimilia his duobus; scilicet in aliquid simile formæ, & in aliquid simile materiæ. Et hoc necesse est in omni intelligentia abstracta, quæ intelligit aliud, & si non, non esset multitudo in formis abstractis, & ideo declaratum est in prima philosophia, quod nulla est forma separata à potentia simpliciter nisi prima forma; quæ nihil intelligit extra se, sed essentia eius est quidditas eius; alia autem forma diuersatur in quiditate & essentia quoquo modo. Et nisi esset hoc genus entium, quod scimus in scientia animæ, non possemus intelligere multitudinem in rebus abstractis, quemadmodum nisi sciremus hic naturam intellectus non possemus intelligere, quod virtutes mouentes abstractæ debent esse intellectus.*

Sed tamen hæc verba sano modo intelligenda sunt, nisi dicere velimus Auerroem, & sibi ipsi, & Aristoteli contradixisse. Aristot. enim locis citatis, ac potissimum *12. metaphisic. partic. 51.* absolute & simpliciter

Digitized by Google

citer pronunciauit, *quæcunque non habent materiam idem erunt, ac intellectio vna, eius quod intelligitur*. ergo, verum est hoc, de omnibus intelligentijs, & idem Auerroes in expositione huius loci inquit, *in eis quæ sunt non in materia, contingit, vt intellectum, & intellectus, & actio intellectus sint idem.* Et paulo infra, hoc expresse dicit esse verum de omnibus intelligentijs his verbis; *& secundum hanc dispositionem intelligere est per se in toto sæculo, idest quia nihil intelligit extra se, cum sit simplex, tunc cum intelligit se non accidit ei transmutatio, neque lassitudo in omni sæculo, sicut accidit intellectui in nobis; & sic debet esse in alijs intelligentijs abstractis.*

Ex his autem verbis liquido constat, quod Auerroes, & sibi hoc in loco, & Aristoteli contradixit dum *in 3. de anima loco citato*, statuit intelligentias intelligere aliud à se. Quare dicendum est, quod *Auerroes in 3. de anima*, minus proprie accepit nomen intelligentiæ; non enim accepit intelligentias pro mentibus omnino abstractis, ac minime concernentibus materiam quomodo sumpsit Aristot. omnes intelligentias sub nomine primi motoris *8. phisicorum*, quod nullo scilicet pacto sint in quanto neque finito, neque infinito, necnon etiam *12. metaphisicor.* sed accepit intelligentias pro qualibet forma intelligente, quas formas quamuis ipse vocet intelligentias abstractas; tamen certum est, ipsas non dicere omnino abstractas, vt sunt intelligentiæ veræ ac propriæ dictæ, quia tales formæ concernunt aliquo pacto materiam, cum sint in corpore, huiusmodi autem sunt intellectus humanus quem ipse minus proprie appellat intelligentiam; necnon etiam animæ cœli; & in hoc sensu, diligenter considerantibus manifestum est *Auerroem 3. de anima* fuisse loquutum; sed obijciet aliquis, ergo nullum erit discrimen inter primam ac cæteras intelligentias. Si enim omnes sunt actus puri, & omnes simplicissimæ sunt mentes, quæ se ipsas tantum intelligunt, neque aliud extra se; ergo omnes æqualis sunt dignitatis, neque inter ipsas aliqua dicenda est princeps, vel etiam ipso Aristotele reclamante.

Entia nolunt male disponi,
Multitudo principatus mala,
Vnus ergo princeps,

Ad quæ dicendum est ex Aristotelis doctrina; salua tamen semper sacrorum Theologorum sententia, quod quamuis omnes intelligentiæ sint puri actus; tamen non propterea omnes sunt inter se æquales, vel primæ æquales. Prima enim cum sit omnium perfectissima omnes antecellit, reliquæ autem prout magis, minusq; ad primam accedunt, vel à prima recedunt inter se differunt, & inæquales sunt, quod optime

Digitized by Google

me declarauit Auerroes poſt verba vltimo loco citata dicens: *ſed primus eſt ſimplicior eorum, & ideo eſt vnus ſimpliciter ſine aliqua multiplicitate, neque propter alietatem intellectus & intellecti, neque propter multitudinem intellectorum.* Quibus in verbis aduertendum eſt, quod non dixit primam intelligentiam eſſe magis ſimplicem quàm cæteras, eo quod cætere admittant aliquam compoſitionem; hoc enim paulo ante reprobauerat ſtatuens, quod in ijs quæ ſunt ſine materia non eſt aliud intelligens, & intellectum; ſed dicit reliquas intelligentias minus ſimplices, quia minus participant de ſimplicitate & perfectione primæ, & iuxta hunc ſenſum poſſet admitti, quod in cæteris intelligentijs, poſt primam ſit aliqua potentia; ſed non potentia poſitiua aut priuatiua, quæ non poteſt eſſe ſine materia, ſed potentia negatiua, quæ nihil aliud dicit, quam receſſum à perfectione primæ; cum qua potentia nihil repugnat ſtare actum purum; ſed iam plus iuſto à noſtro propoſito digreſſi ſumus. Eo igitur vnde incepimus redeuntes, dicimus validiſsimum eſſe argumentum ex eo petitum, quod Ariſtoteles ſtatuit intellectum humanum eſſe impaſsibilem, atque aduerſariorum reſponſiones eſſe prorſus alienas ab Ariſtotelis ſenſu, & impoſsibiles ex rei natura.

Locus alius ex 4. 5. 6. & 7. particulis 3. de Anima.
Cap. XXIIII.

IMMIXTVM Ariſtot. intellectum humanum appellauit, ſicut olim Anaxagoras immixtum intellectum diuinum dixerat; hoc autem illi neceſſe eſſe, vt cognoſcat; nam veluti intellectus diuinus, vt imperaret, & cognoſceret ad ſegregationem rerum ab ipſo chaos, & omni ſeminario; debebat eſſe immixtus ab omnibus rebus materialibus, & ab ipſo chaos; ita & intellectus humanus, vt intelligat, & cognoſcat omnia, debet eſſe immixtus ab omnibus, ergo & à materialibus, cum intelligat materialia, quare immaterialis eſt; rationem autem affert aſſumptæ propoſitionis, quia alienũ iuxta apparens prohibet, & obſtruit. Hanc ſententiam Anaxagore recitauit philoſophus *8. phiſicor. cap. 1.* vbi inquit Anaxagoram ſtatuiſſe motum aliquando incepiſſe; cum enim infinito tempore omnia ſimul fuiſſent, & quieuiſſent, poſtea, mentem opificem acceſsiſſe, atque

Digitized by Google

que omnia ſegregaſſe tamquam omnibus imperantem, & omnia cognoſcentem, cum autem talis ſegregatio eſſet rerum corporearum, non potuiſſe ipſam fieri niſi per motum, & ita motum incepiſſe, & mundum. ex hoc autem colligebat Anaxagoras, mentem hanc opificem, fuiſſe immixtam chaos, & rebus materialibus; nam ſi ſecus, non potuiſſet imperare, hoc eſt ſupereſſe & cognoſcere, ac diſcernere res quæ ſimul confuſe erant; nam iuxta apparens, prohibet & obſtruit, quod optime cognoſcitur in oculo; ſi enim eius diaphana tunica, quæ cornea appellatur imbuta fuerit aliquo colorato humore, vt contingit in icteritia, in qua humor flauus occupat hanc tunicam, nullus alius videtur color niſi flauus, quia talis humor iuxta apparens prohibet & obſtruit, ex quo deſumpta eſt vulgata propoſitio, omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, quod non ſolum inuiſus ſenſorio; verum etiam in cæteris omnibus patet; vno tantum excepto ſenſorio, ſenſus tactus. In quo etiam, propoſitio vera eſt ſi ſane intelligatur; non enim ſenſus tactus eam percipit qualitatum mediocritatem quam habet, ſed exceſſum. Optime igitur arguit Ariſtot. Neceſſe eſt intellectum potentia, qui eſt intellectus humanus, eſſe immixtum à materia. probatur aſſumptum, nam par militat ratio in diuino intellectu qui eſt immixtus à materia, & in humano; veluti enim intellectus diuinus vt valeret cognoſcere, ac diſcernere res materiales, neceſſario à materia fuit immixtus, vt optime Anaxagoras; ita intellectus humanus vt omnia poſsit intelligere, etiam formas materiales, debet eſſe immixtus & abſtractus, vt ita dicam, à materia, nam iuxta apparens prohibet & obſtruit, quod ſi immixtus à materia ergo immortalis. Hucuſque Ariſtot. de eo quod oportet intellectum eſſe immixtum à materia ratione obiecti; ex hoc autem deducit duas concluſiones, vnam quod intellectus natura ſua nihil aliud eſt niſi vt ſit potentia; quia vero nomen hoc intellectus late patet, quinimo proprie ac primario de intellectu diuino, ac de mente à materia depurata dicitur, proinde de quonam intellectu hoc accipiendum ſit, quod in propoſito loquitur declarat inquiens: *Dico autem intellectum quo intelligit & exiſtimat anima*, quibus verbis humanum intellectum deſignat, qui & animæ particula eſt, & proprium munus habet; exiſtimare, ſeu opinari, & ne quis putaret hunc intellectum; propterea quod dixerat natura eſſe poſsibilem; natura, hoc eſt ſubſtantia & vſia, eſſe potentiam, vt de prima materia dicimus, & vt Alexander, & eius ſectatores calumniantur, ſubdit; *Nihil eſt actu eorum quæ ſunt antequam intelligat*. manifeſte nobis oſtendens nulla alia ratione dici poten-

potentiam & posſibilem, niſi quatenus reſpicit obiectum à quo debet perfici. Alteram vero, quod non eſt rationabile, hunc intellectum eſſe mixtum cum corpore. Non magis autem ex eo quod intellectus intelligit omnia, deducitur prior concluſio, quod intellectus ſit immixtus ab obiecto materiali, quam poſterior quod ſit immixtus à ſubiecto materiali, ſiue à corpore; hæc enim ſe inuicem conſequuntur, vt ſcilicet, facultas, quæ eſt immixta obiecto materiali ſit immixta ſubiecto materiali, & è conuerſo; vt autem hoc manifeſtum ſit, ſupponere neceſſe eſt, quod omnia hæc deducuntur ex natura intellectionis; ſupponitur enim intellectum intelligere omnia. Intellectus autem intelligit vniuerſaliter omnia; immaterialia quidem, primario & directe; materialia vero, immaterialiter, nec modo ſine materia, ſed ſine conditionibus materiæ, ex quo ſequitur, quod veluti ſi intellectus eſſet mixtus alicui obiecto materiali non poſſet intelligere omnia, quinimo nihil intelligeret, nam neque materialia, quia omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti, neque immaterialia, nam reciperẽtur materialiter, ex natura formæ materialis, quæ prius erat in intellectu; quemadmodũ enim guſtus, cum aliquo ſapore fuerit imbutus, omnes alios ex illius ſaporis natura percipiet; ita pariter ſi eſſet intellectus mixtus alicui ſubiecto materiali, nõ poſſet omnia intelligere, quinimo nihil intelligeret; nam & materialia materialiter, & immaterialia etiam materialiter perciperet; cum enim omnis vis & facultas, quæ eſt mixta corpori, ſit ſingularis, oportet vt ſingulariter cognoſcat, vt manifeſtum eſt in ſenſibus, qui etſi ex nobilitate formæ, habeãt recipere obiecta ſine materia; tamen non ſine conditionibus materiæ illa recipere valent, & ita ſingularia tantum cognoſcunt, atque ita ſi intellectus eſſet mixtus corpori, materialia materialiter cognoſceret, quia ſingulariter, & cum conditionibus materiæ, & immaterialia etiam materialiter, quia non alio modo quam ex ſui propria natura, quæ ſingularis eſſet, ipſa cognoſcere poſſet, quare nihil intelligeret. Hæc autem omnia ſummo artificio, vt conſueuit, Ariſtoteles monſtrauit, dicens. *Vnde neque rationabile eſt ipſum mixtum eſſe cum corpore, qualis enim quidam vtique fieret, calidus aut frigidus, & ei inſtrumentum aliquod eſſet ſicut ſenſitiuo; nunc autem nullum eſt.* Quibus verbis duo ſignificauit abſurda, quæ ſequerentur ſi intellectus eſſet mixtus corpori, vnum eſt, quod intellectus qualitate aliqua afficeretur, & præditus eſſet paſſibili; nempe calidus fieret aut frigidus, quod certe abſurdum eſt: duplici ex capite; primo quia ſi intellectus haberet qualitatem aliquam, vel ſimmetram, vel diſſimetram, non omnia intelligeret, nam ſaltem non perciperet qualitatem illam

Digitized by Google

illam qua affectus esset, veluti nec sensus tactus propriam temperiem qua præditus est percipit; secundo, quia si intellectus esset mixtus corpori, & ita esset qualitate aliqua affectus, aut temperie qualitatum tunc nullam aliam haberet potentiam agendi nisi illam quam accepisset à corporibus: talibus qualitatibus affectis, nempe ab elementis, quæ nihil aliud præstare possunt sua natura, quam calefacere, aut refrigerare, humectare, aut exiccare; quomodo igitur intelliget, aut cæteras, quas videmus functiones exercebit, vt musicum esse, aut immusicum, memorari, & obliuisci. Quod argumentum & si Aristot. attulit de omni anima cognoscente *2. de ortu & interitu, partic. 45.* tamen aptissimum est in re proposita, & validæ concludit contra Galenum; monstrat enim, quod non solum intellectus; sed neque etiam sensus potest esse ex elementorum mixtione, ita, vt sit aliqua ipsorum qualitas, aut temperamentum.

Alterum vero est, quia si esset mixtus corpori; tunc ei aliquod instrumentum esset, sicut sensitiuo, sed nullum est; ergo non est mixtus, prior sequela est manifesta; nam facultates quæ non possunt esse sine corpore, nec possunt sine corpore operari, quemadmodum etiam dixerat *2. de generatione animalium cap. 3.* & manifestum est in sensu, qui non operatur sine organo, siue sit sensus interior, siue exterior; minorem autem probat duobus argumentis; vnum est, quod intellectus sit locus specierum intelligibilium; alterum vero est, quod non simili pacto, sed longe diuerso afficiuntur ab obiecto; sensus & intellectus inquit vero; *Et bene vtique qui dicunt animam esse locum specierum, nisi quod non tota, sed intellectiua, & non actu sed potentia formæ:* Laudans Platonem præceptorem, qui dixerat animam continere formas intelligibiles, in phedro & in phedone, & alibi sæpius, in hoc autem discedit, quod Plato existimauit, omnem animam continere species intelligibiles, hoc est animam vt anima est; Aristoteles autem non omnem animam, sed intellectiuam (quomodo autem id Plato dixerit: longum esset explicare; necnon etiam, in eo quod Plato dixit has species actu contineri in anima, Aristot. autem existimauit inesse potentia quapropter & infra dicet, intellectum esse veluti tabulam agrapham. Bene autem ex hac sententia Platonis, quam approbauit, deducit intellectui nullum esse organum; nam si intellectui aliquod esset organum, tunc formæ intelligibiles non essent in intellectu, nec illas contineret intellectus, sed essent in composito ex organo & intellectu; quemadmodum species sensibiles experimur recipi, & conseruari in sensorijs, aut particularibus, aut communi, vt visibiles in oculo & in corde, aut

potius

Digitized by

potius in ſpiritu phantaſtico, qui à corde eſt, & ſic de ſingulis. Nec vero minus efficax eſt alterum argumentum, nempe, quod non eſt eadem ratio qua afficitur ſenſus & intellectus ab obiecto; vbi animaduertendum eſt, quod vtrumque appellat impatibilem, eo quod tàm ſentire quam intelligere eſt paſſio perfectiua, quatenus eſt ab obiecto; ſed differunt inter ſe, quia ſenſus deſtruitur, & corrumpitur ab excellenti obiecto, intellectus autem nequaquam, ſed perficitur, quia cum quis, difficile intelligibile perceperit, facilius intelliget minus difficile; hoc autem prouenit, eo quia ſenſitiuum non ſine corpore eſt, vt Ariſtoteles inquit; Intellectus autem ſeparabilis eſt à corpore; eatenus enim ſenſus deſtruitur ab excellenti obiecto, quatenus in ſenſorio eſt, vel quatenus ipſe ratio eſt, & proportio aut potius ex ratione & proportione reſultans elementorum, ex quibus conſtat ſenſorium; quorum vtrumque optime explicauit philoſophus *2. de anima tum particula 126.* iuxta Auerrois ſectionem, his verbis; *Simul autem manifeſtum eſt, & ſic, neque enim lumen, neque tenebre, neque ſonus, neque odor quicquam facit in corpora, ſed ea in quibus eſt, vt aer qui cum tonitu ſcindit lignum.* tum etiam *partic. 143.* dicens: *Si autem vox quadam conſonantia eſt, vox autem & auditus eſt vt vnum, & eſt vt non vnum aut idem, conſonantia autem eſt ratio, neceſſe eſt & auditum rationem quandam eſſe, & propter id corrumpit vnumquodque exuperans, & acutum & graue auditum, ſimiliter autem & in ſaporibus guſtum, & in coloribus viſum, valde fulgidum & opacum, & in olfactu fortis odor, & dulcis, & amarus tamquam ratio quadam ſit ſenſus*, & paulo infra. *Sed ſenſus ratio eſt, exuperantiæ autem, aut dolore afficiunt, aut corrumpunt. Vnuſquiſque igitur ſenſus, ſubiecti ſenſibilis eſt, ineſtq; in ſenſorio inquantum ſenſorium.*

Ex his autem omnibus patet clariſſime, fuiſſe ab Ariſtot. demonſtratum, quod intellectus humanus ſit immortalis, ex eo quod eſt immixtus. Omnis enim forma mortalis, eſt mixta corpori; ſed intellectus non eſt forma mixta corpori, ergo intellectus non eſt mortalis, quia vero de hoc eodem argumento plura paulo ante ſcripſimus, hæc ſufficiant. In altero libro quid aduerſarij reſponderint afferemus, & confutabimus.

Reſpon-

Digitized by Google

Responsiones aduersus argumenta ex particulis 4. 5. 6. & 7. tertij de anima, recitantur & confutantur.
Cap. XXV.

PRAEDICTIS multipliciter Aduersarij respon derunt; ac primo. Alexander; Philopono referente in *commento 33. lib. 3. de anima*, ex sua partitione, asserit immixtum intellectum appellari, eo quod conditione quam mixta participare debent intellectus omnino careat; quæ enim miscenda sunt, prius necesse est vt separata maneant, & post mixtionem rursus separari possint, at intellectus ante corpus non est, sed simul cum corpore fit, nec separari potest: ergo immixtus est. Cui expositioni confutandæ non est operæ pretium diutius immorari, cum hac significatione etiam sensitiua & vegetalis, quinimmo & quælibet alia corruptibilis, ac vilis forma immixta dicenda foret, quare ad alios properabimus. Reliqui autem omnes posteriores, inter quos *Ioannes Scotus 4. sententiarum dist. 43. quæst. 2. §. tamen respondeti potest per ordinem.* & infra. *Pomponatius lib. de immortalitate animæ cap. 9. Portius libello de mente humana cap. 13.* & *Zabarella quæst. de mente humana cap. 9.* communem afferunt responsionem, dicentes, intellectum dici immixtum ratione organi, quia non habet determinatum organum; veluti habent sensus, quemadmodum, eadem ratione dicitur separabilis à corpore, quia corporeo organo non vtitur, at vero non propterea deduci posse, illum esse simpliciter à corpore separabilem, cum sit principium operandi toti corpori, vt Scotus inquit loco citato, & propterea Alexander statuit, totum corpus esse instrumentum intellectus, inquit *Pomponatius libello de immortalitate animæ cap. 10.* Hanc responsionem etsi multis argumentis confutauimus supra, aduersus Scotum, tamen nunc iterum confutabimus ex ipsismet Aristotelis verbis hoc in loco; ac primo. si intellectus dicitur immixtus ratione organi, quia non habet determinatum organum, quemadmodum etiam dicitur separabilis à corpore, quia corporeo organo non vtitur; non tamen propterea potest deduci quod sit simpliciter à corpore separabilis, cum sit principium operandi toti corpori; ita pariter non poterit deduci, quod sit simpliciter immixtus à corpore; cuius tamen contrarium

trarium disertis verbis Aristoteles statuit, inquit enim in *partic. 6.* Διὸ οὐδὲ μεμίχθαι εὔλογον αὐτὸν τῷ σώματι. hoc est, *Vnde, neque rationabile est ipsum mixtum esse corpori.* Quinimmo ex contrario deducit duas sequelas absurdas; vnam quod intellectus qualis fieret, calidus, aut frigidus, quod tamen necessario sequeretur, si intellectus esset simpliciter mixtus corpori, etiamsi non esset mixtus certe ac determinate parti corporis, cum corpus absolute & simpliciter sumptum constet ex elementis qualibus; Alteram vero, quod haberet certum aliquod & corporeum instrumentum; itaut, ex eo quod non est mixtus corpori simpliciter, deducat eum non vti determinato aliquo organo, quod est ex diametro contrarium expositioni ab aduersarijs adductæ; ipsi enim asserunt intellectum dici immixtum, ratione certi organi, quo caret, at non simpliciter, rarione totius corporis; Aristoteles autem ait, quod si intellectus esset mixtus corpori, haberet determinatum aliquod organum; subiungit enim, ποιὸς γὰρ ἄντις γένοιτο, θερμὸς ἢ ψυχρὸς, καὶ ὄργανον τι εἶχε ὥσπερ τῷ αἰσθητικῷ νῦν δὲ οὐδέν ἐστι, hoc est. *Qualis enim quidam vtique fieret, calidus, aut frigidus, & si instrumentum aliquod esset, sicut sensitiuo, nunc autem nullum est.* Frustra igitur conantur eludere frigida responsione clarissimum, & validissimum Aristotelis locum. Petrus Pomponatius, vir certe magnus, & germane peripateticus, hac tamen de intellectus humani mortalitate, circumscripta opinione, in qua ab Aristotele, iudicio meo, discessit. libello de immortalitate animæ, bene nouit huius sequelæ necessitatem, si intellectus esset mixtus corpori, calidus fieret, aut frigidus, & illi aliquod organum esset sicuti sensitiuo: quapropter ingenue fatetur, intellectum absolute & simpliciter, vt ita dicam, esse immixtum corpori. Hæc enim habet verba *cap. 10. Et, si instetur nonne coniungitur materiæ per qualitates primas, qualis igitur vtique fiet, quare aut calor, aut frigus, non igitur omnia cognoscet. Ad quod dicitur, intellectum non coniungi materiæ, qua intellectus est, sed qua coniungitur sensui, quare & si in opere sentiendi qualis fiat, non tamen in opere intelligendi, propter quod, vt intellectus est, non est qualis, neque organicus.* Ex quibus verbis manifeste patet, ipsum non probare allatam explicationem; ostendit enim intellectum, quatenus intellectus est, nullo pacto coniungi materiæ, hoc est mixtum esse corpori, qui magis proprius est loquendi modus; sed per quandam concomitantiam, & satis accidentaliter, ratione scilicet, qua sibi coniungitur sensus, vt fuse ibidem prosequitur declarare his verbis, *quod si vlterius quæratur, cum intelligere humanum sit accidens, quod sine subiecto esse non potest, in quo igitur ponetur ipsum intelligere, ad quod dicitur vere secundum essentiam ipsum intelligere esse in*

intelle-

intellectu, iuxta illud tertij de anima; Anima eſt locus ſpecierum, non tota, ſed intellectus. verum quoniam intellectus humanus eſt in materia, quaſi per quandam concomitantiam, & ipſum intelligere, quodammodo eſt in materia, ſed ſic; vt accidentaliter, quoniam intellectui qua intellectus eſt; accidit eſſe in materia, non tamen in aliqua parte corporis ponitur ipſum intelligere; ſed in toto cathegorematice ſumpto. Non enim in aliqua parte, quoniam ſic eſſet organicus intellectus, & vel non omnia cognoſceret, vel ſi omnia cognoſceret, vt cogitatiua; tamen ſingulariter & non vniuerſaliter cognoſceret, quare ſicut intellectus eſt in toto ita & intelligere. Non inconuenienter igitur. Alexander poſuit totum corpus eſſe inſtrumentum intellectus, quoniam intellectus omnes vires comprehendit, & non aliquam partem determinatam, quoniam ſic non omnia cognoſceret, ſicut neque aliqua virtutum ſenſitiuarum, quamquam autem ſic totum corpus ponatur inſtrumentum intellectus quaſi vt ſubiectum, non tamen eſt vere ſubiectum, quoniam intelligere non recipitur in eo modo corporali, vt prius dictum eſt: Et ſi amplius quaeratur an humanus intellectus indiuiſibiliter recipiat; dicitur, quod qua intelligit indiuiſibiliter recipit, qua vero ſentit, vel vegetat diuiſibiliter, neque inconuenit tam multiplicem naturam tot diuerſos modos recipiendi, & operandi habere. Quæ verba, conſulto à me fuerunt fideliter, vt apud authorem ſunt adſcripta, vt cognoſcatur quanta ſit vis & efficacia veritatis, quæ vel etiam ab inuito, & acerrimo hoſte ſui extorquet confeſſionem, colliguntur etenim ex his verbis, non modo, quod propoſitum eſt, intellectum, ſcilicet eſſe ſimpliciter, & abſolute immixtum corpori; verumetiam multa alia, quæ ad hoc neceſſario conſequuntur, & cum eodem ipſo pariter conuertuntur, vtputa, intellectum humanum eſſe, per ſe, ſiue ſui natura immortalem, eſſe ſubſtantiam per ſe ſubſiſtentem, necnon eſſe indiuiſibilem & nequaquam extendi ad extenſionem materiæ, quę ſumma totius negotij ſunt, pro immortalitate intellectus humani aſtruenda; hæc autem nunc breuiter, & compendio adnotabimus, in poſterum fuſius conſideranda, cum aduerſarios, ſibi ipſis pugnantia, & impoſſibilia dicere demonſtrabimus; primo autem loco aduertendum eſt, quod aſſerit Pomponatius in verbis primo citatis, intellectum quatenus intellectus eſt, non coniungi materiæ; ex quo neceſſario deducitur hæc conſequentia, ergo intellectus per ſe, ſiue ex natura ſua eſt immaterialis: conſequentia euidens eſt; etiã illis qui leuiter verſati ſunt in præceptis poſterioris analiticæ; prædicatum enim ſecundum quod ipſum, non ſolum eſt prædicatum per ſe; verumetiam neceſſarium, quare ſi intellectus quatenus intellectus, ſiue ſecundum quod intellectus; idem enim ſignificat vtrumque, non coniungitur materiæ, hoc eſt, non eſt forma materialis; ergo neceſſario non erit mate-

Digitized by Google

rialis; ergo necessario immortalis, quod si necessario est immaterialis & immortalis, ergo non contingit ipsum esse materialem & mortalem, quia quod necessarium est esse, est impossibile non esse; & quod est impossibile non esse, non est possibile esse, aut non esse; ergo, neque quatenus coniungitur sensui, erit materialis & mortalis, vt existimat Pomponatius; sed simpliciter & absolute immaterialis & immortalis.

Secundo vero aduertendum est, quod dicit in verbis secundo citatis ex *Aristot. 3. de anima*. Animam esse locum specierum, non omnem, sed intellectum, vbi statuit ipsum intelligere, tamquam accidens vere, & secundum essentiam esse in intellectu tamquam in suo subiecto, nec esse in corpore, nisi valde accidētaliter. ex quibus ita arguo. Quod absolute & per se substat alicui accidenti, est substantia per se subsistens, sed intellectus absolute & per se substat ipsi intelligere quod est accidens; ex Pomponatio: ergo intellectus est substantia per se subsistens, maior propositio, colligitur ex *Aristot. in prædicamentis cap. de substantia, & 5. metaphis.* minor autem est Pomponatij, vt patet ex citatis verbis, non solum ex sua, verumetiam ex Aristot. sententia, ergo.

Tertio est aduertendum, quod dicit, quamuis totum corpus ponatur instrumentum intellectus, quasi vt subiectum; non tamen esse vere vt subiectum, quoniam intelligere non recipitur in eo modo corporali, & si amplius quæratur, an humanus intellectus indiuisibiliter recipiat, dicit, quod qua intelligit, indiuisibiliter recipit. Ex quibus ita arguendum. operatio demonstrat essentiam; sed operatio intellectus est immaterialis & indiuisibilis; ergo essentia intellectus est immaterialis & indiuisibilis, maior propositio est euidens, & recepta ab omnibus peripateticis; minor est ex confessione Pomponatij; quinimo ab eodem, paulo ante fuit probata; inquit enim, quod si intellectus esset virtus existens in corpore, tunc, aut non omnia cognosceret, vt cōtingit facultatibus organicis, in aliqua determinata corporis parte existentibus, aut si omnia cognosceret, vt contingit imaginatiue, quæ non videtur determinare sibi certam corporis partem, non vniuersaliter cognosceret, sed particulariter; reliquum igitur est quod intellectus sit immaterialis, & indiuisibilis. Corruit igitur allata responsio, ipsomet Pomponatio, nobiscum illam oppugnante. Simon Portius, cum hanc eandem responsionem attulisset, loco citato, quod scilicet intellectus immixtus dicatur ratione organi, cum nullam sibi certam determinet corporis partem, *vt primo de anima cap. vlt.* philosophus dixerat, tamen *cap. 7.* cum statuisset intellectum esse in corde

his

Digitized by Google

his verbis: *At vero intellectum quoque neceſſario eſſe in corde, ratione demonſtrabimus; ſi enim, in, mortalibus intellectiuum, non poteſt eſſe ſine ſenſitiuo, vt 2. de anima determinauit philoſophus, eſt ſane inſeparabile, quare ſequitur neceſſario, quod ſit in eodem loco, & in eadem particula corporis, in qua eſt ſenſitiuum & vegetatiuum.* Dubitat, & hæc eadem ſimul aduerſantia conciliare nititur; ſubdit autem hæc verba. *Si diceres eſſe in alia, id refragatur Ariſtot. 1. de anima, qua agit contra Platonem, qui diuiſit partes animæ ſecundum partes corporis, atqui nulla particula deſtinatur intellectui, vt eodem libro explicauit; Accedit quod facultates animæ ratione diſtinguuntur, vt 3. de anima docetur, & non per partes corporis, ſed per potentiam. neque verba Ariſtot. 1. de anima diſſentiunt cum his dictis; quippe libro 1. de anima quamquam in Platonem inuehit, dicitq; nullam poſſe dari particulam corporis, quæ ſit proprium organum intellectus, quemadmodum facultatibus ſentiendi aſsignantur pro organis diuerſæ particulæ corporis: Dicimus tamen ipſam animam eſſe in corde, veluti in ſua regia, & intellectum vt facultatem animæ, ibi quoque, eſſe, non vt in organo, ſed vt in ſubiecto in quo eſt ſubſtantia animæ, vt paulo inferius enarrabimus. Conſitendum igitur eſt, in eadem particula, ſenſitiuum & intellectiuum eſſe, verum non vtitur corde pro inſtrumento, quemadmodum & aliæ animæ facultates, ſed ipſe intellectus potentia, eſt inſtrumentum animæ, cuius ſubſtantia eſt in corde. Hinc patet quod ſi inſeparabilia ſunt; ſenſitiuum & intellectiuum, in, mortalibus, aperte conſtat eſſe in eadem particula. Collige itaque intellectum, aut animam intellectiuam, non eſſe in toto, ex Ariſtot. decreto, nec in alia particula aliqua à corde, nam ſi à ſenſitiuo nulla ratione ſeparari poteſt, neceſſario cenſendum eſt, eſſe in corde, atque ita non eſſe æternum.* hæc Portius, quibus, non modo pugnantia inuicem, non conciliauit; verum longe maiora inuexit abſurda, & vt in prouerbio eſt, incidit in Scillam cupiens vitare Caribdim, quamuis enim negauerit intellectū vti corde vt organo, tamen conceſſit ipſum eundem eſſe in corde, vt in ſubiecto: quod ſi eſt in corde vt in ſubiecto, ergo eſt mixtus cordi, ergo eſt in corde, etiam vt in organo, maior ſequela eſt euidens, & propterea Pomponatius, qui fuit magis oculatus, in adnotatis paulo ſupra verbis, noluit concedere intellectum vti, neque aliqua parte corporis, neque toto corpore, vt ſubiecto, inquit enim; *Quamquam autem ſit totum corpus ponatur inſtrumentum intellectus, quaſi vt ſubiectum, non tamen eſt vere ſubiectum, quoniam intelligere non recipitur in eo, modo corporali*; minor autem probatur ex *Ariſtot. hac particula 6. 3. de anima.* Inquit enim quod ſi intellectus eſſet mixtus corpori, calidus fieret, aut frigidus, & illi aliquod organum eſſet, ſicuti ſenſitiuo, hoc eſt, ſequeretur ad temperaturam totius corporis, vel alicuius partis, & vteretur illa parte tamquam organo, vt fit in ſenſu.

Digitized by Google

Agnouit Portius hanc instantiam, & conatus est illam eludere, & cum multa dixisset, vt ostenderet intellectum humanum apud Aristotelem non esse substantiam; ita enim ait, disertis verbis. *Etenim nullibi intellectum potentia 3. de anima, in quo omnem rationem intellectus potentia explicauit, esse substantiam affirmauit*; tandem, ad sacram Alexandri anchoram confugit, dicens, intellectum potentia, esse facultatem intelligendi, in ipsa anima existentem, ac proinde dici immixtum & impassibilem, & separabilem, his verbis contra Simplicium inuectus; *verum deceptus est, quoniam hæc de facultate protulit Aristoteles, quandoquidem intellectus potentia, vt facultas intelligendi, est potentia intelligibile & non actus, hac itaque ratione est simplex, & non mixtus, vt facultas sentiendi ipsi organo, & separabilis à sensibilibus & à sensu, secundum rationem.* Quam doctrinam accepit, vt diximus, ab Alexandro præceptore, qui *libro suo 2. de anima cap. 14.* statuens differentiam inter sensum & intellectum, cum dixisset, sensus non esse tantum id quod apprehendunt, vt scilicet sunt puræ potentiæ, quæ nullo modo sunt actu, nisi ab obiecto; sed aliud quid, actu existere, & esse potentias, siue actus primos alicuius corporis; nempe organi; ac propterea fieri sensationes patiente aliquid corpore; tandem de intellectu subdit: *Intellectus autem, qui nec per corpus res apprehendit, nec corporis potestas est, neque patitur, neque demum est aliquod actu, hoc aliquid fieri non potest; sed est simpliciter potestas quædam, huiusmodi entelechiæ, & animæ, formarum & intellectionum susceptiua.*

His autem verbis, manifeste vterque statuit, intellectum humanum, quo constituitur vnusquisque, esse puram potentiam, & accidens; quo, nihil, magis à sententia Aristotelis alienum, nihil apud omnes homines magis absurdum, nihil magis falsum. neque, hoc illis aliquis crimen impingit, sed ipsi vltro, vt vidimus, confitentur, ipsi disertis verbis asseuerant & ore, vt aiunt, rotundo pronunciant. Hoc autem satis superq; sufficeret ad cõfutandam hanc Portij, & Alexandri responsionem, nisi aliud mihi suppeteret, quod in calce huius capitis tamquam colophonem apponere libuit, nempe egregiam fuisse hanc, & Aristotelis logica dignam argumentationem, quam illi Alexander, & Portius tribuunt, intellectus non est potentia corporis, sed animæ, quæ est forma & entelechia corporis, ergo intellectus non est mixtus corpori, neque passibilis cum corpore; cum vnicuique notum sit, corruptis primis substantijs, impossibile esse aliquid aliorum remanere, & ipsi potissimum aduersarij id proclamant. Quæ igitur est hæc peregrina, siue paradoxa Aristot. doctrina, vt dicat, corruptibili simul cum corpore humana anima existente, humanum tamen intellectum

immix-

Digitized by Google

immixtum esse. & impatibilem, & separabilem, vt Alexander, & Portius, alijq; eius sectatores interpretantur; certum enim est, quod si anima quæ est forma corporis, passibilis est, patiente corpore, & cotruptibilis, ad eiusdem corruptionem, etiam & omnes facultates, quæ ab anima pendent, vel ipsius sunt, esse passibiles & corruptibiles; sed fortasse arcanum aliquid est, in Alexandri sensu, quod minime recentiores perspexerunt; nos autem Deo concedente suo loco aperiemus; non enim putandum est, virum ingentem, quantus fuit Alexander, adeo turpiter allucinatum fuisse.

Explicatio vltimæ particulæ textus 6. necnon 7. libri 3. de anima pro immortalitate. Cap. XXVI.

DECREVERAM capite præcedente; illa expendere, quæ Aristot. pro immortalitate intellectus humani attulit *3. de anima particulis* non solum *4. & 5.* sed etiam *6. & 7.* verum quia philosophus eo loci, multa edisserit, quæ nequaquã breui sermone declarari possunt, ne prolixitate Lectorem fastidio afficerem, in re potissimum, tam ardua & salebrosa, consultius existimaui, bipertito disputationem inchoatam prosequi, atque superiori; præsens etiam hoc caput, annectere. Dixerat philosophus *partic. 4.* probans Anaxagoræ sententiam, intellectum esse immixtum; vt omnia cognoscat, ac propterea esse potentia omnia intelligibilia, deduxerat ex hoc, eundem non esse mixtum cum corpore; si enim esset mixtus corpori, tunc esset qualitate aliqua præditus, vel actu, vel virtute, vt sunt formæ eductæ de potentia materiæ, vel temperamento corporis, & illi aliquod instrumentum esset, sicut sentitiuo, quare non posset omnia intelligere, impeditus à proprijs qualitatibus, quibus præditus esset, vel ad quas consequeretur; necnon à proprio organo quo vteretur, ita vt, non posset, nisi singulariter & proprium obiectum percipere. Nunc duas alias, ex his infert cõclusiones, vnam, quod anima sit locus specierum, non tamen omnis, sed intellectus tantum, & in hoc Platonem præceptorem commendat, quamuis in eo, ipsum carpit, quod existimauit Plato, species intelligibiles, actu contineri in ipso, vt in Memnone, & alijs multis in locis Platonis, legere palam est; ipse autem Aristoteles, non actu, sed potentia tantum. verba autem Aristot. hæc sunt.

Digitized by Google

καὶ εὖδή οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν πλὴν ὅτι ὅλη, ἀλλὰ ἡ νοητική, ὅτι ἐντελέχεια ἀλλὰ δυνάμει τὰ εἴδη. *Et bene qui dicunt animam esse locum specierum, nisi quod non tota, sed intellectiua, neque actu, sed potestate forma.* quæ conclusio, bene nota est, cum diserte dicat animam solam intellectiuam esse susceptiuam specierum, siue formarum intelligibilium, Platonem autem laudare volens, etiam phrasim imitatus est; appellauerat enim Plato, materiam primam, locum formarum sensibilium, quemadmodum & nunc Aristoteles appellat intellectum, locum formarum intelligibilium, analogia quadam vsus, ex quo, apte doctiores peripatetici, hunc intellectum materialem, & passiuum, ac passibilem appellarunt. Optime autem ex præmissis deducitur; si enim non tota anima, sed solus intellectus immixtus est corpori; ergo non tota anima locus est susceptiuus specierum, sed solus intellectus. Anima etenim sentiens cum sit mixta corpori, non dicitur recipere sensibilium formas; sed sensorium, siue sit proprium, vt in organis particularium sensuum, siue sit commune, vt spiritus phantasticus, qui in corde tamquam communi organo formas recipit sensibiles.

Ex hoc autem liquido constat, vt paulo ante, & sæpius dictum est, Aristotelem statuisse intellectum humanum immortalem, cum ipsum statuat substantiam, per se susceptiuam accidentium, vt etiam Pomponatius aduersarius, confessus fuit, loco à nobis capite præcedente adscripto. Alteram vero conclusionem deducit statim sequenti *partic. 7.* nempe, quod alia, ac dissimilis sit impassibilitas sensitiui & intellectiui, nam sensitiuum, siue sensus ipse, post perceptũ vehemens, ac validum sensibile, non potest sentire, vt auditus sonum post magnos sonitus, vel odoratus, ac visus, post validos, ac vehementes perceptos odores aut colores. At vero intellectus, cum aliquid intellexerit valde intelligibile, non minus intelligit inferiora, sed & magis, hoc vero manifestum esse ex sensorijs, & sensu, breuiter nunc, & paucis indicat; fusius autem declarauerat præcedente libro *particulis 123. & 143.* vbi inquit, quod si fortior sit sensorio motus, qui à sensibili fit. soluitur ratio, siue armonia, & proportio, quæ est, in, sensorio; sicuti in cithara soluitur consonantia, & sonus percussis fortiter chordis; quare, & corrumpitur sensus; sensus enim ratio est, aut in ratione consistit, vel consequitur ad rationem, quod verius: & propter hoc corrumpit vnumquodque exuperans, & acutum, & graue auditum; similiter autem & in saporibus gustum, & in coloribus visum, valde fulgidum & opacum, & in olfactu fortis odor, & dulcis, & amarus; tamquam ratio quædam sit sensus. Tactum autem, calefaciens, & refrigerans.

Huius

Digitized by Google

Huius vero diſsimilitudinis, atque diuerſitatis, inter impaſsibilitatem ſenſus & intellectus, etiam rationem hic Ariſtoteles affert, diſertis atque certiſsimis verbis, inquiens; *ſenſitiuum enim non ſine corpore eſt, hic autem ſeparabilis eſt*. Hanc enim ob cauſam ſenſus deſtruitur à forti & excellente ſenſibili, quia ſenſus ratio eſt, & actus, ſiue entelechia organi & corporis, quare neceſſe eſt, corrupto corpore, & ipſe corrumpatur. At vero ſecus eſt de intellectu, cum intellectus non ſit actus, qui pendeat à corpore, ſed ſeparabilis ſit; quod etiam ſupra *2. libro partic. 2.* ſtatuerat, dicens, quaſdam animæ particulas eſſe à corpore ſeparabiles nihil prohibere; propterea quod nullius corporis ſunt actus; patet igitur, ex his, ab Ariſtotele ſtatutis concluſionibus; vna, quod intellectus ſolus ſit locus ſpecierum intelligibilium; & altera, quod diſsimilis ſit impaſsibilitas ſenſus, & intellectus, eundem decreuiſſe, quod intellectus humanus ſit æternus & immortalis; ſi enim ſolus intellectus eſt receptiuus ſpecierum intelligibilium; ergo eſt ſubſtantia ſeparata à corpore, vt probatum fuit, atque per ſe ſubſiſtens; ac pariter ſi non corrumpitur ab excellenti obiecto, quemadmodum ſenſus; ſed potius perficitur, ergo impaſsibilis eſt, & ſeparabilis à corpore. ſed videamus, quid ad hæc aduerſarij.

Reſponſiones Aduerſariorum ad prædicta; recenſentur, & confutantur. Cap. XXVII.

TRIA philoſophus, vt vidimus, de intellectu humano conſtituerat; vnum, quod ſit locus ſpecierum; alterum, quod perficitur ab excellenti intelligibili; non autem deſtruitur, vt ſenſus, ab excellenti ſenſibili; tertium vero, quod à corpore non pendet, ſed ab ipſo ſeparabilis eſt; quæ omnia aduerſarij, vt ſuæ ipſorum ſententiæ non refragentur, conantur interpretari. Et primo. Iacobus Zabarella, vt à poſtremo aggrediamur, qui tamen omnium ſolertiſsimus & acutiſsimus eſt, *libro de mente humana cap. 9.* cum interpretatus fuiſſet qua ratione ab Ariſtotele dictum fuerit, intellectum humanum eſſe immixtum, inde etiam deducit & explicat, quo pacto dicatur ſolus intellectus locus ſpecierum; cum enim docuiſſet intellectum dici ab Ariſtot. immixtum reſpectu operationis, quæ opponitur illi commixtioni, ex qua infertur, intellectum eſſe organicum; oſtendit pariter ipſum

Digitized by Google

ſum intellectum ſolum, eſſe locum ſpecierum, quia enim intellectus recipiendo non eſt mixtus cum corpore, hoc eſt non vtitur miniſterio corporis in recipiendis obiectis; neceſſe eſt ipſum met recipere, alias coniunctus eſſet organo, & certe alicui corporis parti addictus, cuius contrarium ſtatuit philoſophus, atque ita, dixit intellectum eſſe locum ſpecierum; non tamen inde colligi, quod ſi intellectus eſt immixtus corpori, in operando, eſt etiam immixtus, ſecundum eſſe; quia licet intellectus, in recipiendis ſpeciebus, non vtatur aliquo proprio corporeo inſtrumento, per hoc tamen nō ſtat, quin ſit forma hominis, & hominem in ſpecie conſtituat. Hæc autem ſunt eius verba. *Quoniam igitur nullum apparet organum proprium, quo vtatur intellectus in recipiendis obiectis; dicendum eſt eum in operando, non eſſe cum corpore commixtum, ſed ipſum met recipere ſpecies, vnde poſtea colligit, ſolam animam intellectiuam dici poſſe locum ſpecierum; locus enim recipit locatum, anima autem ſenſibilis non recipit ſpecies rerum ſenſibilium, ſed organum animatum eas recipit; proinde non anima ipſa, ſed organum eſt locus ſpecierum: anima vero intellectiua non vtitur organo corporeo in recipiendis ſpeciebus, ſed ipſa recipit; ideo recte vocatur locus ſpecierum.* Ex qua reſponſione, non ſolus Zabarella, verum etiam cæteri eius commilitones, validiſsime expugnantur & iugulantur; quare, quæ in ipſa Zabarella confitetur & aſtruit, tamquam rata & certiſsima accipimus. Affirmamus igitur & nos, quod ipſe cum Ariſtot. ſtatuit ipſum met intellectum, ac ſolum intellectum, non autem intellectum cum corpore, recipere ſpecies intelligibiles, ac propterea ſolum intellectum vocari locum ſpecierum intelligibilium; ſenſum autem non dici locum ſpecierum ſenſibilium, cum ſenſus, ſimul cum organo recipiat ſpecies ſenſibiles. Quamuis autem Zabarella minime exiſtimauerit ita intellectum eſſe locum ſpecierum, vt in eo conſeruentur, ac propterea nequaquam poſſimus aduerſus eum deducere, quod intellectus ſit ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, adeo manifeſte, vt contra alios qui id concedunt; tamen ita cōtra ipſum argumentabimur. Anima intellectiua, ſola, & abſque corpore recipit ſpecies intelligibiles, ergo ſecundum ſui ſubſtantiam, eſt ſeparabilis; probatur ſequela, nam ſi anima intellectiua non eſt ſeparabilis, impoſſibile eſt, vt recipiat ſpecies abſque corpore à quo eſt inſeparabilis, ſiue id ſit organum, & aliqua pars corporis, quod negat Zabarella, ſiue ſit totum corpus; quinimo ſi recipit ſimpliciter cum corpore, neceſſario recipit cum aliqua parte corporis, quia cum corde; anima enim inſeparabilis, nequaquam indiuiſibilis eſt; ſed ita eſt in toto corpore, vt principaliter ſit in corde, *vt libello de animal. motu cap. 7. & de iuuentute ſenectu, vita, & morte, cap. 2.* Ariſtot.

Digitized by Google

Aristot. testatum reliquit. Vidit *Zabarella in commentarijs super libris de anima lib. 3. in explicatione partic. 6.* hanc responsionem, quam attulerat in quæstione de mente humana, quod vocat scilicet Aristoteles, intellectum immixtum, ratione organi; inualidam esse & minime posse subsistere; ac propterea illam reijcit, inquiens; *possumus autem intelligere immixtionem intellectus cum corpore, hoc est cum organo corporeo; hoc enim est referre intellectum ad operationem; organum enim ad operationem pertinet, quia potentiæ organicæ vtuntur proprijs organis, non in essendo, sed solum in operando. Ad hunc quoque sensum traxerunt verba hæc Aristotelis, Themistius, Simplicius, & Ioannes Grammaticus, & alij multi, qui dicunt Aristot. hic significare intellectum immixtum cum corpore, idest non vti aliquo corporeo organo in sua operatione, sed esse potentiam non organicam; sed neque hæc expositio admitti potest, quia, licet simpliciter loquendo, intellectus non sit commixtus cum organo in sua operatione, tamen si Aristoteles hic, talem immixtionem significaret, nugationem committeret, & inferret idem ex seipso; facit enim consequentiam talem. Si esset commixtus cum corpore haberet organum, sed non habet organum, ergo non est commixtus; quare si per non commixtum significaret organum non habentem; consequentia esset hæc non habet organum, ergo non habet organum.*

Cum vero hanc reiecisset solutionem, quam alias attulerat; paucis interpositis affert aliam; his verbis. *Alius relinquitur modus, quem solum accipiendum puto, & quem non vidi ab aliquo plene declaratum fuisse, licet aliqui leuiter, & sub nube ipsum tetigerint. superius cum Aristot. diximus, quod intellectus in intelligendo patitur, quia recipit species; in hac igitur receptione si ipsam consideremus, videbimus corpus non interuenire, idest nullam fieri in corpore receptionem speciei intelligibilis, sed in solo intellectu fieri, quamuis enim operatio intellectus supponat operationem partium sensitiuarum, quæ fiunt cum interuentu corporis recipientis; tamen ipsa per se & formaliter accepta, operatio intellectus, fit sine vllo concursu corporis. Intellectio igitur formaliter accepta, non est receptio facta in corpore, sed in sola ipsa anima intellectiua, quæ ea ratione dicitur recipere, quatenus fit ipsamet res intellecta, vt postea declarabimus.*

Ex quibus verbis, ita pro immortalitate humani intellectus construo argumentum, accepta maiori propositionem ab *Aristotele 1. de anima partic. 13.* minori vero ab aduersario prædictis, vt iacent.

Si aliqua est animæ operatio, aut passionum propria, continget ipsam separari.

Sed animæ intellectiuæ est aliqua operatio propria.

Ergo contingit animam intellectiuam separari.

Minor huius argumenti habetur ab aduersario, vt diximus. cum dicat quod ipsa, per se, & formaliter accepta operatio intellectus; fit

sine

ſine vllo concurſu corporis, ex qua confeſſione, plus habemus, quam quilibet à tam ſolerti & acuto aduerſario, ſibi optare poſſet; fatetur enim Zabarella clariſſimis verbis, ipſam operationem intellectus, per ſe, & formaliter acceptam, fieri ſine vllo concurſu corporis, ex quo ſequitur, quod quamuis intellectus dum eſt coniunctus corpori, indiget phantaſia, quæ eſt virtus corporea; tamen ipſe nullo modo dependet à corpore, neque quoad eſſe, neque quoad operari, cum intelligendo non indigeat corpore niſi valde remote, & ab extrinſeco; phantaſia, namq; ipſi ſuppeditat tantum phantaſmata, quæ intellectus non percipit, cum non adeo vileſcat, ſed in ipſis intelligit ſpecies intelligibiles.

Optime igitur ex his aduerſarij verbis, colligere poſſumus humanum intellectum eſſe immixtum, hoc eſt immortalem, vt etiam ipſe *Ariſtot.* faſſus fuit *2. de generat. animal. cap. 3.* vbi dixit: *Quorum principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt.* Ex quo poſtmodum concluſionem deduxit neceſſariam, inquiens. *Reſtat autem, vt ſola mens extrinſecus accedat, eaq; ſola diuina ſit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Neque vero alicuius momenti ſunt, quæ Zabarella in hoc commento attulit; paulo ante citata verba; aduerſus ea quæ dicimus, inquit enim; *Sed prs Auerroe dicere quiſpiam poſſet, quod licet Ariſtot. in præcedentibus non conſideranit intellectum niſi reſpectu operationis; nihil tamen prohibet quin hinc colligere aliquis poſsit de eodem ſecundum ſuum eſſe in corpore, quia ſicut ſe habet res ad eſſe, ita ſe habet ad operari, vt innuit Ariſtot. in 13. primi libri, vbi dans nobis regulam qua cognoſcamus, an anima ſit à corpore ſeparabilis necne, dicit ſi eſt aliqua operatio animæ propria, anima eſt ſeparabilis à corpore, ſi vero nulla eſt operatio propria, anima non eſt ſeparabilis; ſed hæc omnia vana ſunt; & primo regula illa, vt ſe habet res ad eſſe ita ad operari, non habet perpetuam veritatem; plurimas enim patitur inſtantias. Intellectus ſecundum ſuum eſſe eſt actu in inſante, non tamen ſequitur ergo actu operatur, quare non poſſumus argumentari ab eſſe ad operari; ſed neque ab operari ad eſſe; nam intelligentia operatur in orbe dum efficit motum; attamen ſecundum ſuum eſſe non eſt in orbe, quia non dat eſſe orbi. Interpoſitio terræ efficit in Luna eclipſim, nec tamen ſecundum ſuum eſſe eſt in Luna: quapropter illa regula vſitata, non habet veritatem, niſi tunc ſolum, cum poſito modo operandi diuerſo à modo eſſendi. ſequitur implicatio contradictionis; tunc enim ad euitandam contradictionem, neceſſe eſt ita ſe habere rem in eſſe ſicut ſe habet in operari. ſicuti videtur ea regula Ariſtot. in eo textu 13. primi libri, quia ſi habet anima aliquam operationem propriam, ideſt in qua nullus ſit corporis interuentus, & ſecundum eſſe ponatur inſeparabilis à corpore, ſit implicatio contradictionis, quia ponitur eſſe in*

corpore,

Digitized by Google

corpore, & non esse in corpore, quia dum sine vllo corporis interuentu operatur, necesse est eam esse à corpore separatam; sed quando sine vlla contradictione diuersus ponitur modus essendi à modo operandi nullum sequitur inconueniens, nec amplius licet ea regula vti.

Nullius inquam momenti sunt hæc, quæ Zabarella attulit, & prorsus vana; nam regula illa, vt res se habet ad esse ita ad operari; perpetuam habet veritatem, & conuertibilis est, si recte sumatur, vt manifestum est ex instantijs quas affert; prima enim instantia, intellectus secundum suum esse est actu in infante; non tamen secundum actum operatur; non bene accipitur, nam quamuis in infante intellectus secundum esse sit actu; tamen non est actu proximo, vt possit operari quando vult, cum non habeat adhuc bene dispositas illas facultates organicas, quæ deseruiunt intellectui in intellectione; nempe imaginatiuam, quæ in pueris adhuc confusa est, ob nimiam humiditatem, vt dicebat *Auerroes 1. phisicor. commento 5.* sed est in actu remoto, vt habitus geometrizandi in geometra dormiente; & propterea non sequitur, ergo secundum actum operatur; quemadmodum, neque sequitur è conuerso, nisi vbi intelligatur dispositio operandi, vt in catulis ante nonum diem non valet arguere. catulus non videt, ergo est cæcus, quia ante nonum diem adhuc non est aptus natus videre, sed bene post nonum diem, valet consequentia; ita & secunda instantia pariter est inanis; nam consequentia vera est, si recte accipiatur; nam si intelligentia operaretur in orbe, operatione vitali, hoc est, motu, qui est à principio intrinseco, nempe ab anima, vt ad mentem Aristot. nos demonstrauimus in nostra disputatione de anima cæli; verissima esset consequentia, ergo intelligentia, secundum suum esse est in orbe, sed quia falsum est assumptum, nempe quod intelligentia moueat orbem, tamquam principium vitale, cum intelligentia moueat orbem in genere causæ finalis, vt amatum & desideratum, veluti *Aristot.* dixit *12. metaphis. 36.* propterea falsum etiam est & consequens. Tertia vero instantia prorsus ridicula est & tanto viro indigna, nam interpositio terræ, cum facit eclipsim Lunæ, est etiam in Luna, eatenus enim interpositio terræ facit in Luna eclipsim, quatenus proijcit vmbram in Lunam, quæ peruenit vsque ad Lunam & obtenebrat Lunam.

Verissima igitur est regula, quod ita se habet res, in, esse; quemadmodum, in, operari, quæ etiam est conuertibilis; ac propterea clamabat Auerroes, operatio facit cognoscere formam, transmutatio vero materiam; perpetuum igitur est, quod quælibet res ita operetur veluti est, & aliter fieri, pugnantiam quandam naturalem semper dicit; itaque optime

Digitized by Google

optime concluſum eſt, ſi intellectus aliquam habet operationem propriam, in qua nullus ſit corporis interuentus, ipſe ſeparabilis eſt à corpore.

Sed intellectus habet operationem propriam, nempe intellectionem, in qua nullus eſt interuentus corporis, vt Zabarella nuper confeſſus eſt.

Ergo intellectus ſeparabilis eſt à corpore.

Animaduertendum autem eſt, quod hæc conſequentia non eſt ita deducenda quemadmodum illam deducit Zabarella. Intellectus habet operationem propriam, ergo intellectus eſt ſeparatus; ita enim eius contraria includeret contradictionem; eſſet enim in corpore, quia operaretur in corpore, & non eſſet in corpore, quia eſſet ſeparatus à corpore, ſed eſt hoc pacto deducenda. Intellectus habet operationem propriam, ergo ſeparabilis eſt à corpore; ita enim nullam implicat contradictionem, cum poſſit operari in corpore, ſed non cum corpore, & eſſe ſeparabilis à corpore, ſi non pendeat in eſſe à corpore; dixi autem operari in corpore, ſed non cum corpore; aliud enim eſt operari in corpore, & aliud cum corpore; operari enim cum corpore eſt in operando vti corpore tamquam organo; operari autem in corpore eſt operando eſſe præſentem corpori. bene igitur deductum eſt ex eo, quod intellectus eſt immixtus corpori, quod ſit locus ſpecierum, ſolus, & ex hoc, quod ſit ſeparabilis, & immortalis, quæ obiter nunc dicta ſint ad eam conſequentiam, quam deducit Zabarella. Noui enim doctos viros multa adhuc deſiderare poſſe, in re tam ardua à qua pendet totius diſputationis certitudo, ſed hoc fuſius infra abſoluemus, quod cognoſcens Zabarella, pene confeſſus fuit animi immortalitatem, dum dixit. *Certe admirabilis eſt animæ natura, & elata ſupra corporis conditiones, præcipue vero animæ intellectiuæ.*

Quamuis inuitus hæc pronunciauerit, ac propterea conatus fuerit à recto ſenſu deflectere, ſubiungit enim.

In anima enim vegetali, vt in 1. de generatione apud Ariſtot. legimus: videmus hoc euenire, quod in viuentis corporis augmentatione, ſubſtantia animæ extenditur ad nouam adgeneratam quantitatem, & ipſam viuificat & animat, quod indicat animam habere imperium quedam in corpus, nec ita eſſe materiæ immerſam, vt forma inanimatorum, ſed aliquantum liberam à nexu materiæ, quid igitur mirum ſi tale quidpiam in anima intellectiua inſpiciamus, quæ omnium animæ partium nobiliſsima eſt; eſt enim forma hominis qua homo eſt homo, ſed ita ſublimis, & ita corpori imperans, vt ipſa recipiat ſpecies intelligibiles corpore nihil recipiente.

Hæc

Digitized by Google

Hæc Zabarella, quibus in verbis præſtantiam animæ intellectiuæ confeſſus fuit, ſed fruſtra illam cum cæteris animabus morticinis confundere nixus eſt; ſi enim prærogatiua hæc, vt poſſit recipere ſpecies ſine corpore, intellectui competeret, tantum vt aliqua pars animæ eſt, & non potius vt differt toto genere à cæteris, quæ ſunt mortales; tunc profecto poſſet etiam competere ſenſui, cui, quia pars animæ eſt cognoſcens, & ſuperior vegetali: conceſſum quidem fuit, vt perciperet ſpecies ſenſibiles ſine materia, ſed non ſine adminiculo corporis; illas enim ſolus ſenſus non recipit, ſed cum ſenſorio, vt bene Ariſtoteles dixit, cum eius eſſentia à corpore pendeat, nec ſine corpore eſſe poſſit; Nunc videamus quid ad primam conſequentiam, quam deducit Ariſtoteles, veluti impoſsibilem, ſi intellectus immixtus non ſtatuatur: afferat Zabarella, quandoquidem examinauimus, & confutauimus ea quæ ad ſecundam, nempe ſi intellectus non eſſet immixtus, tunc ei aliquod organum eſſet, ſicut ſenſitiuo: Erat prima Ariſtotelis ſequela: ſi intellectus eſſet mixtus corpori, tunc eſſet qualis, nempe calidus, aut frigidus; ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Quod conſequens ſit falſum non probatur ab Ariſtotele, inquit aduerſarius, neque poteſt probari, niſi reſpectu habito ad operationem intelligendi, ergo non poteſt intellectus dici immixtus, niſi vt reſpicit operationem, & ita, ratione organi, non autem ſimpliciter, ex quo non infertur ſeparabilitas. Auerroem autem, qui ex hoc immortalem intellectum deducere nititur inſufficienter argumentari oſtendit; inquit enim Auerroes in expoſitione huius particulæ, quod ſi intellectus eſſet forma mixta corpori, tunc eſſet qualis, ſcilicet, aut temperamentum, aut conſequens ad temperamentum; vtrumque eſt impoſſibile, ergo, quod primum ſit impoſſibile, probat Auerroes, quia ſi anima ſenſitiua non eſt temperamentum, vt oſtendit philoſophus *2. de anima*, quanto minus anima intellectiua? ſecundum vero probatur ab Ariſtotele, quia ſi eſſet forma conſequens temperamentum, tunc illi eſſet aliquod organum, ſicut ſenſitiuo, totam hanc argumentationem refellit Zabarella, & primo, inſufficientis enumerationis redarguit Auerroem, cum inter formas cõmixtas corpori, adhuc connumerari poſſint, formæ elementorum, quæ neque temperamentum ſunt, neque formæ organice: ſed hanc calumniam ſtatim corrigit, videns Auerroem loquutum fuiſſe de formis perfectis, non autem de imperfectis, quales conſtat eſſe formas elementorum; ſecundo, explicat conſequentiam illam, intellectus fieret qualis; cum enim conſtet intellectum non poſſe proprie fieri, aut dici qualem, vt corporibus

con-

conuenit; concludit dici ipsum qualem, vt hoc potest competere formis, quatenus scilicet consequuntur certas corporis qualitates, aut in certis corporis partibus, tamquam organis illas requirunt, qua accepta distinctione, inquit, quod si accipiatur intellectum esse qualem in prima significatione, ita negatur hanc consequentiam esse falsam; primo, quia nullibi probata fuit ab Aristotele falsitas hùius consequentis; secundo, quia necesse est hoc pacto intellectum esse qualem, cum enim intellectus sit forma, quæ dat esse corpori, non potest recipi in materia, quæ non sit certis, ac proprijs qualitatibus prædita, quapropter ab Aristotele dictum fuit in principio *2. de anima*, quod omnis anima est actus corporis; quinimo in hoc sensu intellectus dicitur habere organum, quia est actus totius corporis organici. At vero si sumatur in secunda significatione; respectu scilicet operationis, siue quatenus intellectus certis indigeat qualitatibus in certa aliqua corporis parte, qua vtatur tamquam organo, ita conceditur falsitas vtriusque consequentis (intellectus esset qualis) & (intellectui esset aliquod organum) cum nulla pars conspiciatur, in corpore; quinimo, neque liceat aliquam fingere, quæ intellectui possit tribui, tamquam organum, vt *Aristot. 1. de anima partic. 92.* dixit, atque ita etiam probata est falsitas huius consequentis, scilicet, quod intellectus sit qualis, paulo ante ab Aristotele, dum dixit [*necesse est intellectum esse immixtum, vt possit omnia intelligere*,] quia si intellectus haberet aliquod organum certis qualitatibus præditum, vt sensus sua habet organa, tunc esset præditus proprijs qualitatibus, saltem tangibilibus, quæ essent illi ratio recipiendi, vt de oculo patet.

Hæc Zabarella, aduersus argumentationem Auerrois, quinimo ipsiusmet Aristotelis, sed frustra. Optime enim colligit Auerroes, si intellectus non esset immixtus corpori, tunc qualis quidam fieret, calidus, aut frigidus, & illi organum aliquod esset, vt sensitiuo. Hoc est si intellectus esset mixtus corpori, tunc esset forma mixtionis, aut consequens ad formam mixtionis; non enim datur alia forma mixta corpori exceptis formis elementorum, de quibus certum est sermonem non fieri; si autem esset forma mixtionis, aut consequens ad illam, tunc sequerentur duo falsa, & absurda, scilicet, & quod intellectus fierit qualis, nempe calidus, aut frigidus, & quod illi esset aliquod organum, sicut sensitiuo; falsitatem autem primi consequentis in vtroque sensu à Zabarella accepto; Aristot. iam probauerat. Nam si probauerat iam supra *partic. 4.* quod intellectus, vt omnia intelligat debet esse immixtus, quemadmodum de mente illa prototypa dixerat

xerat Anaxagoras; quod enim intus apparet prohibet & obstruit, iuxta quem sensum accipitur à Zabarella fuisse probatam falsitatem illius consequentis (intellectus fieret calidus, aut frigidus;) necessario etiam illam probauit iuxta eum sensum quem negat Zabarella; si enim intellectus esset mixtus, iuxta eum sensum quem ipse accipit, hoc est quatenus requirit certas qualitates à quibus pendeat in corpore quem informat, necessario sequeretur vt intelligeret cum corpore prædito talibus qualitatibus, quinimo tales qualitates essent illi ratio vt intelligeret, quod probo, ex confessione ipsiusmet aduersarij, inquit enim in hoc eodem commento, in explicatione illius particulæ (vnde); *Ideo ratio apparet, cur Aristot. dicat, vnde, quia ex dictis in textu 4. de immixtione intellectus cum intelligibilibus; nunc infert hanc conclusionem nouam, quod in sua operatione non est commixtus corpori, ideſt speciei, recipit ipse sine vlla receptione facta in corpore. Et consequentia est clara, quia quando receptio speciei fit in coniuncto, quod constat ex corpore & anima, necesse est illud esse præditum proprijs qualitatibus, saltem tangibilibus, quæ sunt ei ratio recipiendi, vt de oculo patet, est enim affectus propria & naturali temperie primarum qualitatum, per quam est aptus ad recipiendas species colorum; ideo dicitur potentia visiua esse naturaliter qualis, & secundum quid commixta, sicuti secundum quid est etiam immixta, videlicet respectu colorum.* Ex quibus verbis manifeste liquet ipsum fateri, quod si intellectus est mixtus corpori, itaut requirat certas qualitates corporis in quo sit & à quibus pendeat, in esse necessario, etiam illis vtitur, & ab illis pendet in operando, præcipue cum dicat qualitates quæ sunt in corpore cui commixta est anima, esse illi rationem recipiendi, quod est cognoscendi; hoc autem proprie est fieri calidum, aut frigidum, quod Aristot. negat, nec iuuat dicere, quod hæc à Zabarella dicuntur de mixtione animæ cum organo particulari, vt patet in exemplo adducto de oculo, non autem de mixtione animæ cum toto corpore cuius est actus; nam eadem est ratio de mixtione cum parte & cum toto, cum nulla sit maior ratio, quare si anima commiscetur cum qualitatibus alicuius partis seu organi; vtatur etiam illis qualitatibus in operando, si autem commiscetur cum toto: illis non vtatur, quinimo maxime contraria militat ratio, cum formæ quæ miscentur cum toto sint imperfectiores, quam illæ quæ miscentur cum partibus, vt manifestum est in animabus animalium insectorum, quæ cum sint mixtæ cum toto, diuisibiles sunt ad diuisionem cuiuslibet partis; animæ autem animalium perfectorum tamquam nobiliores, cum nequaquam misceantur cum toto: minime diuisibiles sunt ad diuisionem partium, sed sunt maxime vnum,

vt

vt fuse *Aristot. docuit libello de iuuentute, senectute, vita, & morte, cap. 1.* quare propositio illa Zabarellæ, quam enunciat de sensibus, quod qualitates tangibiles, quibus prædita sunt ipsorum organa sint illis ratio, vt recipiant, à me non admittitur, in ipsis sensibus, sed bene verum in vegetalibus facultatibus, cum sensus sint minus materiales, ac propterea recipiunt sensibilia sine materia, vegetales autem, tamquam magis commixtæ materiæ nonnisi materialiter afficiuntur.

Optime igitur deducta fuit, & probata, secundum vtrumque sensum falsitas illius consequentis (si intellectus esset mixtus qualis fieret calidus, aut frigidus.)

Neque valet instantia aduersarij, quod Aristoteles omnem animam appellauit actum corporis organici, hoc est formam informantem corpus organicum, quod fieri non potest, nisi pendeat à certis qualitatibus illius corporis; nam verum est hoc, de anima, at non de potentijs animæ ab Aristotele fuisse dictum; nullibi autem intellectum Aristoteles, animam, sed particulam animæ, siue potentiam appellauit; nec propterea dico, Aristotelem putasse quod intellectus, vt dicunt, assistat tantum corpori, non autem illum informet, ego enim sum in contraria sententia, cum intellectus & si absolute & simpliciter ex doctrina Aristotelis, nonnisi per alias animæ potentias cum quibus est coniunctus informet corpus organicum, tamen vt particula siue potentia animæ, etiam ipse informat, cum mediante ipso anima intelligat, vt *Aristot. 3. de anima* primo dixit: *De parte autem anima qua anima intelligit & sapit*. quinimo non solum informat, sed tamquam vltimus & perfectissimus animæ grâdus, vltimo informat & constituit hominem. & hæc de prima consequentia, & de eo quod ad ipsam sequitur absurdo dicta sint aduersus Zabarellam, reliquum est videre & expendere illa quæ affert ad secundam sequelam, nempe quomodo sit verum, quod Aristoteles assumit; intellectui nullum esse organum, quod in sequenti capite.

Exami-

Digitized by Google

Examinantur reſponſiones ad ſecundam concluſionem, quæ deducitur ex ſecundo ſyllogiſmo Hyppotetico.
Cap. XXVIII.

HVCVSQVE conſiderauimus reſponſiones, quæ afferuntur ab aduerſarijs ad primã concluſionem deductam ab Ariſtotele, ex primo ſyllogiſmo Hyppotetico, ſcilicet, ſi intellectus eſſet mixtus corpori, fieret qualis, calidus, aut frigidus, conſequens eſt falſum, ergo, & antecedens, vnde deductum fuit, quod bene dicunt aliqui, animam eſſe locum formarum, niſi quod nõ tota, ſed intellectiua. Nunc reſponſionibus ſatisfaciemus ad ſecundam concluſionem, deductã ex ſecundo ſyllogiſmo Hyppotetico, nempe, ſi intellectus eſſet mixtus corpori ei inſtrumentum aliquod eſſet, conſequens eſt falſum, quia nullum ei eſt inſtrumentum, ergo & antecedens. Ex quo, deduxit philoſophus concluſionem, quod non ſit ſimilis impaſſibilitas ſenſitiui, & intellectiui; ſenſus enim deſtruitur ab excellenti ſenſibili, cum poſt excellens non poſſit minus ſenſibile cognoſcere. Intellectus autem perficitur, cum poſt excellens intelligibile, quod minus eſt, magis cognoſcat. Et quia in deſtructione conſequentis, acceperat, conſequens, ſcilicet, intellectui aliquod eſt organum, eſſe falſum, quia eius contradictorium, intellectui nullum eſt organum eſt verum, quod tamen non probauerat, propterea de hoc, primo loco nobis dicendum erit.

Circa quod, optime dictum fuit à Zabarella, non fuiſſe ab Ariſtotele probatum, intellectui nullum eſſe organum, quia illud acceperat tamquam ſenſui manifeſtum, oculata enim fide: ex anatome compertum eſt, nullam eſſe peculiarem corporis partem, quæ ſit intellectui deſtinata; quod autem à Medicis dicitur, hanc eſſe cerebrum, facile redarguitur, cum cerebrum, pari organizatione, qua eſt in homine, ſit etiam in brutis animalibus, quibus non eſt intellectus; ſed difficultatem adhuc affert Zabarella, ab alijs etiam ante ipſum conſideratam. Quonam pacto poſſit eſſe valida Ariſtot. argumentatio, qua ex carentia organi, arguit facultatis immixtionem, cum imaginatiua facultas, quam nemo negauerit eſſe mixtam corpori; nullum euidens habere dicatur organum, in qua ſententia etiam fuiſſe Beſſarionem

Cardinalem Nicænum ſuperioribus capitulis recenſuimus; ſed miror certe viros doctiſſimos in re tam clara dubitaſſe, cum vnicuique, vel tyroni, aut vulgari medico, ne dicam philoſopho, compertum ſit organum imaginatiuæ facultatis eſſe in cerebro, ſiue ſecundum eius ſubſtantiam, ſpiritibus mixtam & temperatam, vt Galeno, & eius ſectatoribus placuit, ſiue ſecundum ventres, ac potiſſime medium, vt Arabibus, quamuis originarie ſit in corde, ſimul cum cæteris genitæ animæ facultatibus, vt bene ab Ariſtotele decretum fuit. Optime igitur ſtatutum eſt intellectum immixtum eſſe, cum nullum prorſus habeat organum, atque optime etiam hinc deductum eſt; aliam, ſeu diuerſam eſſe, impaſsibilitatem ſenſitiui, & intellectiui, cum ſenſitiua facultas, ſecundum quid, impaſsibilis ſit; quatenus enim potentia eſt, à ſibi proportionato obiecto perficitur, & ita impaſsibilis; quatenus vero in organo eſt, ab excellenti obiecto deſtruitur, & ita paſsibilis. Intellectiua autem, ſimpliciter impaſsibilis eſt, cum ab excellenti obiecto nequaquam corrumpatur; ſed magis perficiatur. Quod ſi intellectus ſimpliciter impaſsibilis eſt, ergo immortalis. probatur, quia neque per ſe, neque per accidens corrumpi poteſt, non per ſe, quia non habet contrarium, nec per accidens, quia non habet ſubiectum à quo pendeat, cum nec ſit mixtus corpori, nec vllum habeat organum; ad quorum corruptionem corrumpi poſsit. ſed quid ad argumentum *Galeni lib. 2. de locis affectis cap. vlt.* Inflammato cerebro, fit delirium, ac pariter, à melancolico, aut atrabilario humore occupato. & eodem percuſſo, aut refrigerato, fit mentis abolitio, & ſtupor.

Ad hæc facile eſt reſpondere, & nos ante fuſe reſpondimus; nunc vero contenti ſimus aduerſariorum reſponſione. Zabarella hoc loco exponens Ariſtot. verba (intellectus cum aliquid intellexerit valde intelligibile; non minus intelligit inferiora, ſed & magis) cum dixiſſet operationem alicuius facultatis lædi cum læſione potentiæ, ſubdit. *Hoc læſionis genus etiam intellectui contingere poteſt, non tamen per ſe; ſed per accidens dicetur lædi intellectus, vt Auerroes in commentario notat; cum enim operatio intellectus ſupponat operationes partium aliarum animæ, videlicet potentiarum animæ ſenſitiuæ, & nunquam fiat, niſi phantaſia actu imaginante, ſi earum operatio impediatur; potiſsimum autem, ſi lædatur phantaſia, vel eius operatio impediatur, eam læſionem neceſſario ſequitur impedimentum operationis intellectus. De hac læſione accidentali intellectus loquebatur Ariſtoteles in textu 66. primi libri, quando dicebat. Intelligere marceſcit quodam interius corrupto, ipſum autem impaſsibile eſt. De ſola enim loquitur operatione, & eam dicit per ſe non eſſe paſsibilem.*

Digitized by Google

sibilem, sed ex accidenti, videlicet ex lasione operationis imaginatiuæ, sine qua non potest esse intellectio.

Ex his autem verbis patet, quod fallacia est in argumento Galeni, vt Logici dicunt, à coniuncto ad disiunctum; arguit enim à læsione operationis intellectiuæ, quæ coniuncta est cum imaginatiua, ad læsionem potentiæ intelligentis seorsum sumptæ.

Hæc responsio validissima est; ita vt aduersarius mihi videatur dedisse manus in hac astruenda veritate, quod intellectus simpliciter impassibilis sit; passione corruptiua. Quamuis paulo ante conatus fuerit ab illa deficere, aut aduersus eam se communire, ne obtortis, vt aiunt, faucibus, ad immortalitatem intellectus traheretur. Dixerat enim. *Notandum est primo, quod multifariam potest contingere animæ lasio, aut enim laditur quoad esse, idest quoad substantiam suam, aut quoad operationem, quoad esse, laditur quælibet pars animæ quæ sit forma materialis; perit enim in corporis interitu; ideo secundum Alexandrum etiam anima intellectiua laditur hoc modo, quia corrumpitur ad interitum animalis; sicut etiam anima sensitiua, secundum alios vero; aliæ omnes partes læduntur præter intellectiuam. Hac autem lasio; non potest vllo modo contingere, in vita ipsius animantis, sed solum in morte, quia nulla pars animæ, intendi, vel remitti potest, secundum substantiam suam; ideo, quantumuis ledatur ipsum corpus animatum, ipsa animæ substantia secundum suum esse, non dicitur pati aliquam lasionem, idq; de omni anima verum est. De hac animæ lasione clarum, est, hic non loqui Aristotelem.* Sed parcat mihi vir Doctissimus, in hoc discursu, aut propositum non concludit, aut petit principium; si enim arguit, intellectus læditur, quoad esse, quia est forma materialis, cum assumat falsam propositionem, ex Aristotelis sententia; nempe intellectum esse formam materialem, ex eo quia iam Aristoteles dixit, intellectum esse immixtum corpori; non concludit propositum, quod intellectus lædatur, quoad esse. si autem arguit cum Alexandro, intellectus læditur, quia est mortalis, petit principium. Quod vero assumit, læsionem non modo intellectus, sed etiam cuiuslibet animæ, secundum substantiam, non contingere in vita, sed tantum in morte: falsum est, & impossibile. neque suffragatur argumentum quo vtitur, quod nulla animæ pars possit intendi, vel remitti; hoc enim tantum illis competit quantum ad formalitatem, vt ita dicam, hoc est, quatenus formæ sunt, siue quoad proprietatem informandi, cum formæ sint indiuisibiles, & sicut numeri; non autem simpliciter, alias, nulla substantia esset passibilis, & corruptibilis, cum nulla substantia suscipiat magis, & minus, nisi intelligatur, inesse substantiam; non autem simpliciter & absolute. Hoc vero cum multis argumentis de-

Digitized by Google

monſtrare poſſimus, vnum tantum nobis ſufficiet. Anima vegetalis, vt de animæ partibus loquamur ex *Ariſtot. ſententia primo de ortu & interitu*, ad augumentum corporis augetur, ac pariter minuitur, cum dicat, augmentationem fieri ſecundum formam; non tamen propterea intenditur, aut remittitur, cum hoc attendatur penes formalitatem, quæ nec intenditur, quia non magis eſt anima vegetalis poſt augmentum quam ante, nec remittitur, quia nec eſt minus anima poſt decrementum; ſed non penes ſubſtantiam; cui enim dubium eſt quod anima vegetalis in iuuentute ſit magis valida? quod nonniſi adaucta eius ſubſtantia fieri poteſt, in ſenectute autem, inualida, eiuſdem ſubſtantia, attrita, & diminuta, quod optime expreſſit philoſophus *1. de ortu & interitu ſumma tertia cap. vlt. de augmentatione partic. 41. & 42.* vbi inquit, quod cum nutrito apponitur aliqua ſubſtantia, quæ ſit potentia caro, & potentia quantum (ſcilicet maius) tunc fit nutritio, & augmentatio, quia fit maius quantum; fit vero ſimul nutritio, & augmentatio, quia adaugetur quantum præditum forma, vt quanta caro; Cum autem amplius facere non poſſit, hoc eſt maius; ſed, vt aqua vino ſemper amplius mixta, in fine aquoſum facit, & aquam. tunc diminutionem facit quanti; forma autem manet. Quibus poſtremis verbis dum docet philoſophus, quomodo fiat diminutio, duo ſtatuit, & quod in diminutione, minuitur quantum, ſcilicet animatum, dum plus effluit quam apponitur, & quod forma manet, hoc eſt ſaluatur quouſque poteſt aſſimilare ſibi alimentum, & nutrire. aptiſſimo exemplo vini, cui ſi modicum fuerit mixtum aquæ, vt vinum poſsit illam vertere in ſui ſaporem, fit accretio vini, quod ſi ſemper amplius fuerit mixta aqua, ſemper minuitur vinum, quouſque non amplius potens conuertere, aquoſum facit, in nutritione igitur ſi augetur corpus animatum, augetur anima ſecundum eius ſubſtantiam, ſed non quatenus ſubſtantia, aut quatenus anima; non enim magis eſt anima, aut ſubſtantia, ſed maior, ſecundum accidens tamen, quia extenditur ad extenſionem corporis, in quo eſt, ac pariter minuitur in diminutione. minuitur inquam anima, ſecundum eius ſubſtantiam ſemper, quouſque deficiat eſſe, & informare, ac ſimul cum corpore concidat & marceſcat, quod ſi hoc de vegetali anima verum eſt, neceſſarium etiam erit, & de ſenſuali, quandoquidem, ſine vegetatiuo, ſenſitiuum non poteſt eſſe, nec re inuicem diſtinguntur, ſed ratione tantum. Neque obſtat exemplum ab *Ariſtot.* petitum *1. de anima partic. 65.* de ſene, qui ſi acciperet oculum iuuenis videret vt iuuenis; loquitur enim ibi philoſophus de læſione animæ ratione organi externi, à quo pendet, tantum in operari;

Digitized by Google

rati; non autem de læsione animæ, ratione organi interni à quo pendet, in esse, & operari, & in hoc sensu, subdit, quod senium non fit, quia substinuit aliquid anima, sed id, in quo, sicut in ebrietatibus, & morbis, alias Aristotelis sententia esset falsa, quia omnis anima sensitiua esset incorruptibilis. At vero longe secus est, in intellectu, cum intellectus, nullum prorsus habeat organum, vt bene hic Aristot. dixit, neque externum, neque internum, proindeque, simpliciter, & vndequaque est impassibilis, & immortalis; Non igitur prosunt aduersario, quæ attulit in contrarium; quinimmo ex dictis validissimum, & certissimum desumimus argumentum pro immortalitate, & huic loco maxime consentaneum; si enim, vt monstrauimus, & verissimum est, caducæ animæ, & mortales marcescente, ac deficiente corpore languent & deficiunt; intellectus autem viget magis, & emicat; nemini dubium est; quod ipse idem immortalis est, vt docuimus. quod autem senescente, ac labente corpore, intellectus vires acquirat, omnibus notum est; tunc enim, vt dicebat Plato, oculus mentis acutius incipit cernere, cum oculus corporis incipit hebetari. cui etiam adstipulatur *Aristoteles* noster *2. Rhetoricorum cap. 14.* inquit enim, quod viget corpus à trigesimo anno, vsque ad trigesimum quintum; animus vero circa 49. ergo intellectus marcescente corpore non marcescit, quandoquidem ipso debilitato corpore, quod est post 35. annum, animus vires sumit, & viget magis. ob hoc autem magis circa 49. dixit vigere intellectum, quam ætate prouectiore, & prope vltimum senium, quia tunc temporis, quamuis debilitate sunt reliquæ corporis vires, tamen adhuc non est adeo debilitata imaginatiua facultas, quin possit intellectui satis commode adhuc subministrare phantasmata, in quibus intelligat, quod in vltimo senio non contingit, attritis imaginatiuæ viribus; satis autem est, ex hoc nobis significari, quod intellectus non pendet à corpore, in esse, sicut cæteræ animæ facultates; nam si ab eo dependeret, necessario debilitato corpore, & ipse ad proportionem debilitaretur; sed de hoc argumento fusius suo loco dicemus.

Constat igitur, vt eo vnde discessimus redeamus; optime hoc in loco ex eo quod intellectum simpliciter, & vndequaque impassibilem Aristoteles statuit; deduci, eundem etiam esse impassibilem & immortalem, quod diserte Aristoteles pronunciauit, cum causam reddidit prædictorum, dicens: *Sensitiuum, enim non sine corpore est, hic autem (scilicet intellectus) separabilis est.* Quod, non tantum de separabilitate, à corporeo organo, vt aduersarij calumniantur; verum etiam simpliciter à corpore intelligendum esse, supra fusius demonstrauimus. Conatus

eſt, & Pomponatius hanc impatibilitatem intellectus negare, *primo enim libro ſuæ Apologiæ cap. 5.* inquit, *Ad quartum dicitur, quod ſi intellectus vere eſſet immaterialis, nullo pacto ex intellectione langueſceret, cauſa namq; laſſitudinis, eſt materia, quare cæli numquam ſiſtunt à mouendo, at videmus intellectum noſtrum, in intelligendo maxime langueſcere; immo membra extenuantur, corpus ſeneſcit, celeriterq; ad interitum deuenit, nihilq; magis videtur corpus macerare, quam ſtudium.* Hæc Pomponatius; at ſtatim veritate magis cogente. Intellectum ſui natura, & omnino impaſsibilem eſſe confitetur. Subiungit enim; *Verum ideo dicimus intellectum, in intelligendo non langueſcere, quoniam qua intellectus eſt non langueſcit, licet qua humanus, quoniam ſic materiæ coniunctus eſt, intellectiuum namque, in, mortalibus à ſenſitiuo ſeparari impoſsibile eſt, vt clara voce 2. de anima teſtatur Ariſtot. quamquam, veluti humanus, eſt, non per ſe langueſcat, ſed quoniam ſenſui coniunctus eſt. qui ſenſus proculdubio per ſe langueſcit, cum in armonia conſiſtat.*

Quibus in verbis animaduertendum eſt, quod cum dixiſſet, conſueta ſibi diſtinctione, intellectum, quatenus intellectus eſt, non langueſcere, ſed langueſcere, quatenus eſt humanus, poſtea ſe ipſum corrigit, & inquit, *quamquam veluti humanus eſt, non per ſe langueſcat; ſed quoniam ſenſui coniunctus eſt.* Significans quod intellectus, neque quatenus eſt in corpore, & eſt forma hominis, poteſt langueſcere, affecto corpore, cum à corpore nullo pacto dependeat, quod ſi langueſcere videatur: hoc ratione ſenſus contingit, cui coniungitur. dum eſt in corpore, non autem ratione ſui. Ratione inquã ſenſus, hoc eſt phantaſiæ, quæ potentia ſenſus eſt. Sed, quomodo phantaſia lædatur, ab excellenti obiecto, videndum eſt. Zabarella cum aliquorum ſententiam recitaſſet, & confutaſſet. qui imaginatiuam non lædi ab obiecto, aſſerebant, tandem & ipſe, ſuam proferens, ipſam lædi ab obiecto, extenſiue, non autem intenſiue affirmat. Extenſiue vero, inquit, quia cum diutius ſpeculamur fit labor, & defatigatio. ex eo quod phantaſia actu imaginante: fit intellectio, & ſpeculatio. diutius, autem operante imaginatione: fit defatigatio. abſumptis ſpiritibus, & debilitato calore. At vero intenſiue, non lædi, exiſtimauit enim: vehemens imaginabile non dari, & quia à Vincentio Madio, præclaro ſuæ tempeſtatis philoſopho: dictum fuerat quod vehementia imaginabilia ſunt illa, quæ lætitiam faciunt, aut timorem incutiunt. propterea ipſum reprehendit, & inquit, *hoc aduerſari Ariſtoteli, qui in 2. de anima 154. hanc differentiam ponit inter opinionem & imaginationem, quod dum opinamur aliquod iucundum, aut terribile ſtatim compatimur, ſed quando aliqua talia imaginamur non compatimur, quia perinde eſt, ac ſi quis inſpiciat picturam rerum*

rum terribilium aut iucundarum; is enim non compatitur, neque læditur. huius, autem differentiæ rationem assignat postea in 157. dicens, quod opinionem consequitur fides, imaginationem vero, nulla fides comitatur; multa enim imaginamur quibus nullam fidem adhibemus; ideo non perturbamur, sed quando opinamur aliquod terribile, esse nobis euenturum, tunc perturbamur. Ex his patet secundum Aristotelem non fieri læsionem imaginatiua ex imaginatione, rei terribilis: immo si hæc est læsio ab obiecto est potius in intellectiua parte, quia perturbatio illa est in opinione, non in imaginatione: opinionem enim posuit Aristot. sub existimatione, qua significauit intellectum proprie sumptum. sed reuera neque intellectus, neque imaginatiua dicitur eo modo: lædi à terrificis quo Aristot. hic accepit lædi ab obiecto excellente. Hic enim loquitur de læsione peculiariter facta, in eo, quod speciem recipit; læditur enim quando patitur ab obiecto vehementer agente; ideo in sensu fit læsio, quia receptio fit in corpore, non fit læsio in intellectu, quia non fit receptio, in aliqua corporea parte, à re autẽ terrifica, non fit læsio peculiaris in organo alicuius potentiæ, quæ eius potentiæ operationem impediat, circa inferiora obiecta, sed fit affectio animi, quæ est, vel lætitia, vel metus, vel horror, lædens vniuersum corpus, vnde aliqui ex ingenti dolore mortui sunt, atque etiam ex vehementi lætitia; At læsio de qua hic Aristot. loquitur longe diuersa est; loquitur enim de læsione solius partis recipientis speciem, quæ sit læsio operationis, euenies propter læsionem temperamenti: illius partis, non propter inductionem doloris, vel lætitiæ in animum, à quibus perturbationibus animi non fit læsio imaginatiuæ, sed potius vniuersi corporis, quemadmodum dicebamus. Hæc Zabarella. In quo discursu, parcat mihi vir doctissimus, non parum à veritate deflexit. Datur enim vehemens imaginabile, & ab hoc læditur imaginatio, læso organo, & parte in qua est imaginatio, neque aliter metus, & lætitia, & horror, possunt animum afficere, cum hæc sint passiones coniuncti, vt *Aristot. 1. de anima* docuit. Norunt autem hæc optime, Medici, qui in qualibet desipientia, lædi cerebri substantiam, ac potissimum, spiritus in ea contentos experiuntur; non solum in phrenitide, excandescente cerebri substantia, ob inflammationem, tunicarum operientium; verum etiam, in malencholia, & mania, vbi, cerebro à tetris malencholicis, vel atrabilarijs vaporibus occupato, ac eiusdem spiritibus, quorum natura est vt lucidi sint, cum bene valet homo, obtenebratis, & obfuscatis: idem patitur anima, quod in tenebris solet, vt afficiatur mærore, & timore. quemadmodum enim, solent tenebræ, pueris, ac mulierculis, & alijs, qui minus obfirmato sunt animo, cuiusmodi sunt melancholici, ob frigidum eorum temperamentum: timorem ac mærorem inducere. Ita, & humores, aut vapores malencholici, nigri, & tenebricosi: substantiam cerebri occupantes, & in ea contentos spi-

ritus obtenebrantes, imaginatiuam lædunt. quæ in cerebro eſt, tamquam organo, & illi vehementius aliquod phantaſma, vel metuendũ, & triſte, ac luctuoſum, vel terribile, ac truculentum, & formidabile, vt in mania, pro humoris peccantis qualitate, ſiue ſit melancholicus, ſiue atrabilarius: adeo efficaciter repræſentant, vt illam validius ac vehementius moueant: quam quodlibet obiectum extrinſecum, vere à ſenſibus oblatum, quinimmo hoc obiectum, quamuis falſum: adeo vehementer mouet, vt reliqua obiecta, quæ vere à ſenſibus offeruntur: nonniſi ſub illius ratione percipiantur, quod enim intus apparet prohibet, & obſtruit, vt Anaxagoras dicebat; & adeo præter hoc vehementer huiuſmodi obiecta, quæ imaginationẽ lædunt ipſam eamdem afficiunt, & mouent, vt extorqueant ab opinione aſſenſum; ab ipſis enim tamquam vere repræſentatis, opinio afficitur; cum enim opinio ſit infima pars intellectiuæ potentiæ, quæ ſenſui coniungitur, & ſimul cum ſenſu operatur, facile decipitur, vbi ſenſus, cuius pediſſequa eſt decipitur, niſi potior, ac ſuperior eius pars, nempe ratio & diſcurſus: ſenſus errorem corrigat, quod in ijs qui male affecti ſunt, aut morbo, aut vitio morum, non contingit, vt manifeſtũ eſt: ſi videamus remum partim in aqua, partim extra exiſtentem; opinio enim aſſentietur viſui oſtendenti illum eſſe fractum, niſi ratio, ſenſus defectum corrigat, & emendet. Ex his autem, manifeſte conſtat, neque læſionem eſſe *in* intellectu, & parte opinatiua, cum læditur imaginatio, ab obiecto terribili, aut triſti, vt metuebat Zabarella; ſed bene verum decipi, quia ſequitur imaginatiuam, quæ læditur: læſo temperamento cerebri eius organi; cum enim opinatiua ſit pars vltima intellectiuæ, & contermina ſit ſenſui, & rationi: abſque eius vitio poteſt decipi, & non decipi; ſi enim ſequatur ſenſum, cum ſenſus poſſit decipi. ſi ſenſus decipiatur, & ipſa decipitur, ac falſa eſt; ſi autem ſequitur rationem, cum ratio, non decipiatur ac vera ſit, & ipſa pariter vera erit. ex quo efficitur, vt opinio ſit aſſenſus cum formidine; ſcientia autem cum certitudine, quod optime expreſſit Hippocrates dum dixit; ſcientia facit ſcire, opinio autem facit ignorare; quod autem ab Ariſtotele dictum fuit *2. de anima particulis 154. & 157.* quod cum imaginamur, non compatimur, & quod opinionem ſequitur fides; fidem autem perſuaſum eſſe. Imaginationem vero non ſequitur fides. totum verum eſt, vbi imaginatio bene ſe habeat, & non fuerit læſa à vehementi obiecto; ſed moueatur à proportionatis phantaſmatibus; tunc enim non repræſentat obiecta imaginata tamquam vera; ſed tamquam imaginata, nec impedit obiecta repræſentata à ſenſibus, atque ita non decipit

opinio-

Digitized by Google

opinionem; cum autem mouetur à vehementi phantaſmate; tunc extorquet, vt diximus, ab opinione aſſenſum; repræſentat enim opinioni obiectum falſum, tamquam verum; quinimmo impedit obiecta vera; & adeo vehemens eſt actio imaginatiuæ motæ à vehementi, & valido obiecto, vt admiranda efficiat, veluti apparet in vtero gerentibus, quæ imprimunt fœtibus imagines & colores rerum, quas fortiter ab imaginatione apprehenſas deſiderarunt: & non ſolum hoc, ſed etiam ecſtaſim facit, omnibus ita ad ſe raptis ſpiritibus, cognoſcenti animæ deſeruientibus, vt homo extra ſenſus ponatur, & aliquando quidem immobile corpus reddat, aliquando; vero, etiam in ſublime aliquo pacto attollat. Quamuis hoc idem ſæpe ſæpius à cauſa pluſquam naturali contigiſſe non negauerim; ſed de his hactenus. Firma igitur & inconcuſſa remanet concluſio, quam Ariſtoteles noſter ſtatuit, quod intellectus humanus eſt immixtus corpori, eſt ſimpliciter impaſſibilis, eſt locus ſpecierum; & hæc ſoli intellectui cõpetunt, non autem reliquis animæ partibus, quia intellectus ſeparabilis eſt, reliquæ autem non ſine corpore.

Affertur locus ex capite 2. tertij libri de Anima; cuius occaſione. totum caput explicatur.

Cap. XXIX.

DOCVERAT philoſophus naturam, ſiue ſubſtantiam intellectus humani, qui particula animæ eſt, eumq́; dixerat, poteſtate ſe habere ad omnia intelligibilia ſuſcipienda; nullumq́; actu eſſe intelligibilium, ac propterea eſſe impermixtum & obiecto, & corpori, ac per ſe ipſum eſſe ſuſceptiuum ſpecierum, neque organo corporeo vti, proindeq́; fieri, vt impaſſibilis eſſet, at longe diuerſo, & præſtantiori modo, quam ſenſus, cum ab excellenti obiecto perficiatur; non autem deſtruatur, vt ſenſus; hoc autem fieri dixerat, eo quod, intellectus ſeparabilis ſit à corpore; ſenſus autem nõ ſine corpore. Dicturus poſtmodum de eodem; non amplius in prima ſui notione, & ſecundum ſuæ naturæ primordia conſiderato, ſed vt excultus, atque habitibus imbutus, nequaquam poteſtate eſt, ſed actu. hæc ſubdit in calce capitis. *Cum autem ſic ſingula factus eſt, vt ſciens dicitur, qui ſecundum actum:*

hoc

hoc autem tunc accidit cum poteſt operari per ſeipſum: eſt quidem & tunc potentia quodammodo; non tamen ſimiliter, vt & erat antequam addiſceret aut inueniret. Et ipſe autem ſeipſum tunc poteſt intelligere.

Quia vero dixerat, hunc intellectum dici ſecundum actum non ſimpliciter, ſed eo modo, quo dicitur ſciens habere actum ſciendi, ſecundum habitum, non ſecundum operationem; non enim ex eo dicitur quis actu ſciens, quia actu ſpeculatur, ſemper enim dicitur ſciens, ſed non ſemper ſpeculatur. At vero ex eo dicitur ſciens, quod poteſt ſpeculari quando vult; ita & hic intellectus, tunc dicitur in actu, qui eſt habitus, cum poteſt per ſeipſum operari, hoc eſt intelligere, & tunc habet facultatem, non ſolum intelligendi alia; ſed etiam ſeipſum poteſt intelligere. propterea in ſequenti capite duo aggreditur declarare: primum ſcilicet, quonam pacto intellectus intelligat intelligibilia alia à ſeipſo; alterum vero, quomodo intelligat ſeipſum. Quamuis autem difficillimum ſit Ariſtotelis ſententiam ad litteram explicare, ob conciſam & interruptam dictionem, ex quo factum eſt, vt etiam magnis viris, & in Ariſtotele valde exercitatis negocium faceſſerit. Conabimur tamen Deo iuuante clare & genuine ipſius ſenſum, etiam iuxta ſeriem litteræ interpretari:

Aggreſſus igitur Ariſtoteles declarare, quonam pacto intellectus intelligat: primum ſtatuit de intelligibili, quo pacto, etiam in præcedente libro dicturus de ſenſu, & quonam pacto fiat ſentire. primum ſtatuit de ſenſibili, & inquit. *Quoniam autem aliud eſt magnitudo & magnitudini eſſe, & aqua, & aquæ eſſe; ſic autem & in multis alijs, ſed non in omnibus, in quibuſdam enim idem eſt eſſe carni & carnem: aut alio, aut aliter habente diſcernit: Caro enim non ſine materia eſt, ſed ſicut ſimum hoc in hoc.*

Animaduertendum autem eſt, antequam hæc verba explicemus, quod veluti ſenſibile aliud eſt per ſe, aliud vero per accidens, per ſe autem ſenſibile eſt accidens, ſiue ſit ſenſibile proprium, ſiue ſit cõmune, per accidens autem ſenſibile, eſt ſubſtantia, vt Ariſtot. præcedente libro docuit, ita & intelligibile, aliud eſt per ſe, aliud vero per accidens, ac intelligibile per ſe, eſt ſubſtãtia, ſiue eſſentia, intelligibile vero per accidẽs erit accidens, vt infra ex Ariſtot. docebimus; his ſuppoſitis dico, quod philoſophus primum docet notatis verbis; quotuplex ſit intelligibile per ſe, ac dubitationem proponit. Cum igitur intelligibile per ſe ſit eſſentia, & eſſentia ſit duplex: alia quidem in materia vt magnitudo, alia autem abſque materia, vt magnitudini eſſe, & aqua, & aquæ eſſe; hæc enim quamuis ſint ſimul re; tamen non ſunt eadem res; ac propterea ratione differunt, in quibuſdam, quamuis non in omnibus cum ſint ali-

qua

Digitized by Google

qua in quibus hæc non differunt, nec re, nec ratione ſed ſunt idem: eſſe carnem, & carni, vt ſunt illa quorum eſſentia non ſubſiſtit in materia, ſed per ſe ipſam exiſtit, ac proinde ſimplices ſubſtantiæ ſunt, his exiſtentibus diuerſis intelligibilibus, dubitat Ariſtot. & inquit, hæc inter ſe diſtincta obiecta, aut alio, hoc eſt diuerſo cognoſcendi principio, & facultate, aut eodem, ſed aliter ſe habente, diſcernit intellectus. Subnectit autem propoſito quæſito ſtatim eius ſolutionem, & quia eſſentia quæ eſt in materia ſimul cum accidentibus eſt ſubiecti cuius eſt eſſentia. propterea primum docet quomodo ipſa accidentia intellectus cognoſcit, & inquit. *Senſitiuo igitur calidum, & frigidum iudicat, & quorum ratio eſt ipſa caro.*

Quibus verbis Ariſtot. docet quomodo intellectus cognoſcit ſingularia accidentium; nulli etenim dubium eſſe debet, quod intellectus cognoſcit vtrumque ſingulare, tàm accidentis quàm ſubſtantiæ, quamuis non ignorem maximam hac de re eſſe inter peripateticos quæſtionem; quomodo enim intellectus poſſet cognoſcere vniuerſalia, niſi antea ipſi nota fuiſſent ſingularia; cum vniuerſalia in ſingularibus exiſtant; ſenſitiuo autem inquit ipſe calidum, & frigidum iudicat, & quorum rario; hoc eſt & alias qualitates ſingulares ſcilicet humidum & ſiccum, quorum ratio hoc eſt, temperamentum & craſſis eſt ipſa caro: cum ex horum temperamento ſit, & reſultet quidditas & eſſentia carnis. Animaduertendum autem eſt, quod per ſenſitiuum hic Ariſtot. intelligit ſenſus particulares ſimul cum quibus actu ſentientibus intellectus iudicat, & percipit ſenſibilia; ac propterea inquit, ſenſitiuo igitur calidum & frigidum iudicat, ſcilicet intellectus; niſi enim intellectus ſimul concurrat, non fit perceptio & animaduerſio, quamuis facta ſit ſenſibilis receptio in organo, & potentia ſentiendi, vt bene *Hippocrates* docuit *2. Aphoriſmorum* dicens. *Quicumque parte aliqua corporis dolente dolorem non ſentiunt his mens ægrotat*; hoc eſt vis percipiendi ipſius mentis eſt præpedita, quod contingit affecto cerebro, & experientia ipſa notum eſt; dum enim alio mens occupata eſt & intenta; non ſolum obuerſantia ante oculos non videmus; verumetiam neque dolorifica ipſa ſentimus. Hoc autem ita fieri neceſſarium eſt ob eam vnitatem eſſentialem qua ex anima; & corpore efficitur vnum per ſe; quamuis enim ſint plures animæ partes in homine, & illæ quidem diuerſi generis ex ſententia Ariſtotelis (falſa tamen) vt infra fuſius dicemus, vna quippe organica & mortalis, ſenſitiua ſcilicet; altera vero inorganica & immortalis, vt intellectus, quemadmodum *2. de anima partic. 22.* dixit: tamen vnicus

tus est gradus animæ, qui constituit hominem, nempe intellectus, ad quem ordinati sunt vegetalis & sensitiuus: potentia se habentes, ad illum tamquam ad vltimam perfectionem, & formam, à qua homo constituitur inesse rationalis, quod est hominis quidditas. vt fusius explicabimus in tertio libro vbi sententiam Aristotelis enarrabimus, eamq; ad veræ philosophiæ normam corrigemus. Ex hoc igitur quod vnica est in vno & indiuiduo homine, anima, ab vnico animæ gradu vltimo a quo cæteri omnes continentur, & ad quem cæteri omnes terminantur. necesse est, & vnicam esse in vno homine vitalem operationem, cognoscendi, quæ quamuis initiatiue sit à pluribus & diuersis principijs, & facultatibus cognoscendi; tamen terminatiue se habeat ad vltimum, & perfectissimum gradum animæ cognoscentis; quod inde patet, quia quicquid cognoscit potentia inferior, cognoscit etiam potentia superior, sed non è conuerso. quæ omnia optime declarauit philosophus *3. de anima cap. 5.* vbi de intellectu practico sermonem habuit, quem eumdem intellectum practicum hoc loco designat his verbis. *Sensitiuo igitur calidum, & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam ipsa caro*. veluti de speculatiuo tantum sermonem instituit, cum subdit. *Alio autem, aut separabili, aut vt circumflexa se habet ad seipsam cum extensa fuerit, carni esse discernit*.

Noui æquidem sanctum Thomam, & ante ipsum, Alexandrum, Philopono referente, aliter exposuisse hæc verba, atque ita intellexisse, vt ad totam animam cognitio referatur; dicunt enim animam, sensitiua sui parte, percipere calidum & frigidum, & quorum ratio est ipsa caro. Intellectiua autem, esse carni, quæ expositio, prorsus plana esset, & omni difficultate careret, nisi verba Aristotelis contrarium designarent. supra etenim cum philosophus accepisset duplex esse: vnum in materia, vt magnitudo; alterum vero sine materia, vt magnitudini esse, & aqua, & aquæ esse, subiungit, quod hæc, vbi scilicet distincta sunt, *aut alio, aut aliter se habente iudicat intellectus*.

Quare totam cognitionem, de qua loquitur, refert ad intellectum, non autem ad sensum, cum nullam sensus mentionem habeat, & ita profecto consentaneum erat; nam de intellectu qui se ipsum, & reliqua potest intelligere, sermo susceptus fuerat. Eius autem erroris causa, fuit mutilatus codex, qui non habet particulam illam (intellectus) quem sequuti transtulerunt. *Aut alio, aut aliter se habente iudicat*. In quo sensu certum est, quod ea quæ subsequuntur possunt referri ad animam, vt ipsi acceperunt. At vero si sequamur emendatiorem Codicem, quem sequutus fuit Philoponus, vir accuratissimus in græca lingua,

Digitized by Google

lingua; ex quo Grammatici cognomentum tulit, ita legemus. ἢ ἄλλῳ, ἢ ἄλλως ἐχοντι κρίνει ὁ νοῦς. Hoc eſt, *aut alio, aut aliter habente iudicat intellectus.*

Hoc pacto etiam legitur in græco codice; quo ego vtor, Baſileæ impreſſo, ſumma cum diligentia, Anno Domini 1539. Quamuis Argiropilus alium codicem ſequutus fuerit, ac propterea dereliquit particulam ὁ νοῦς, ſiue intellectus, ex quo etiam aliqui recentiores erraruut. Quare dicendum eſt, quod de intellectu acceperit. eum ſenſu ſiue per ſenſum, iudicare calidum, & frigidum, niſi breui verborum interſtitio, dicere velimus, varias, ac longe diſſitas iudicandi potentias acceptas fuiſſe.

Cum igitur de intellectu dixiſſet quomodo cognoſcit per accidens intelligibilia, ſcilicet ſingularia accidentium, ſimul cum ſenſu illa percipiens: docet poſtea quomodo cognoſcit per ſe intelligibilia, ſcilicet eſſentias, & quidditates, & inquit. *Alio autem, aut ſeparabili, aut vt circumflexa ſe habet ad ſeipſam, cum extenſa fuerit: carni eſſe diſcernit.*

Hæc autem verba oportet primum bene intelligere, nam ex ipſis totius huius capitis ſenſus pendet, qui obſcuriſſimus eſt, niſi ipſa prius bene intelligantur. Animaduertendum autem eſt, quod verba hæc, vt habentur in verſione latina, ſiue Argiropili, ſiue communi. nequaquam bene ſe habent, nec fideliter reſpondent græco codici ita enim ſe habet græcus codex, tàm in vetuſtis, quàm in recentioribus impreſſionibus. ἄλλῳ δὲ ἤτοι χωριστῷ ἢ ὡς ἡ κεκλασμένη ἔχει πρὸς αὐτὸν ὅταν ἐκτεθῇ. τὸ γὰρ σαρκί εἶναι, ᾧ κρίνει, quæ verba fideliter interpretata, vt manent, ſecundum ſingulas dictiones, hoc ſonant. *Alio autem, aut ſeparato, aut vt circumflexa habet ad ſeipſam cum extenſa. nam & ipſum carni eſſe diiudicat.*

Optime vero ea animaduertit Ioannes Grãmaticus, & accurate traduxit eius interpres Raſarius, ac propterea melius quam cæteri omnes, vno excepto Simplicio, mentem Ariſtotelis fuit aſſequutus. Reliqui autem, potiſſimum recentiores, cum hoc non animaduerterint in difficultates inextricabiles inciderunt. Miror autem, præcipue Zabarellam, accuratiſſimum Ariſtot. interpretem, & græcæ linguæ peritiſſimum, hoc non conſideraſſe. Valde vero differunt inter ſe huiuſmodi verſiones, nam iuxta primam verſionem videtur dicere Ariſtoteles; quod intellectus ſe habens tamquam linea reflexa ad ſeipſam cum recta fuerit, diſcernit carni eſſe, hoc eſt, quidditatem, non exiſtentem in materia; ita enim illam appellauerat ſupra ex quo innumeri oriuntur laqueĩ, quos ſibi parant, qui hunc ſenſum ſectantur,

vt

vt videre est apud Zabarellam, qui in expositione huius loci, fusissimam hac de re habuit quæstionem, si autem sequamur vltimam & fidelem versionem; nullæ erunt ambages. Nam sensus est quod intellectus, alio, scilicet principio cognoscendi, separato, ac distincto, aut eodem, sed aliter se habente, vt se habet linea circumflexa ad seipsam cum extenta fuerit; cognoscit carnem esse, hoc est quidditatem in materia.

Rationem autem affert & inquit, nam etiam & ipsum carni esse, hoc est quidditatem sine materia, diiudicat, quod ipsi competit; cum se habet vt linea recta. Intellectus enim, vt intellectus est, cognoscit formas sine materia, ad has enim sua natura fertur, cum non pendeat à corpore, neque ipso indigeat; quinimmo melius sit illi esse sine corpore, quam cum corpore, *vt 1. de anima partic. 49.* dixerat. At vero quatenus cum sensu coniungitur, & forma corporis est; eatenus formas in materia existentes, contemplatur. Phantasia enim indiget, & non sine phantasmatibus, intelligibilia percipit, & tunc quidem vt linea reflexa se habet ad se ipsam, quod vtique fieri semper, docet philosophus deinceps: in qualibet non modo practica; sed etiam speculatiua cognitione, subdit enim. *Iterum autem in ijs, quæ in abstractione sunt rectum vt simum; cum continuo enim est. ipsum autem quid erat esse, si est alterum recto esse, & rectum, alio, fit enim dualitas. Altero itaque, aut aliter se habente iudicat.*

His autem verbis clarum est significari scientias, tum mathematicas, tum phisicas, mathematicas autem scientias, appellat, in abstractione, eo quia abstrahunt à sensibili materia, quamuis vero ab ipsa abstrahant; ac propterea in abstractione dicuntur, respectu naturalium quarum consideratio est cum materia, sine tamen conditionibus singularibus materiæ. tamen illas dicit etiam considerare formas in materia; considerat enim rectum, vt simum hoc est rectitudinem, in quanto continuo, scilicet in linea, & ita in materia intelligibili, vt naturalis philosophia considerat simitatem in materia sensibili, in naso scilicet quare vbi mathematicus considerat recto esse, hoc est rationem recti tamquam aliud & diuersum ab ipso recto, quod est ratio & quidditas recti, in continuo, necesse est, vt alio, atque alio principio cognoscendi intelligat; fit enim dualitas, hoc est resultat duplex res, scilicet, & quidditas recti, & continuum, in quo est quidditas. quare, aut altero, aut aliter se habente dijudicat. Constat igitur, quod etiam intellectus speculatiuus; tamquam linea reflexa se habet; dum enim speculatur formas, non sine materia speculatur; ac propterea phantasia indiget.

Digitized by Google

diget. quod idem docebit infra *partic. 38. & 39.* dicens. *Quoniam autem, neque res vlla eſt præter magnitudines, vt videntur ſenſibilia, ſeparatum. in formis ſenſibilibus intelligibilia ſunt, & quæ in abſtractione dicuntur, & quæcumque ſenſibilium habitus, & paſsiones ſunt. Et ob hoc qui non ſentit aliquid nihil vtique addiſcet, nec intelliget & cum ſpeculatur neceſſe eſt cum phantaſmate aliqua ſpeculari.*

Idem etiam dicendum cenſeo de metaphiſica, & ſi nullam hic de ipſa mentionem habeat philoſophus; quamuis enim metaphiſica de illis ſit, quæ ab omni materia abſtrahunt; tamen phiſicam ſupponit, & propterea metataphiſica, hoc eſt poſt phiſica appellatur, quãquam alterius ac ſuperioris ordinis ſit ab ea. His dictis tandem concludit, quod ſicut res ſunt ſeparabiles à materia, ſic & quæ circa intellectum, hoc eſt, quod veluti res ſecundum ſuam naturam ſunt; ita etiam oportet vt ab intellectu conſiderentur: ſi velit intellectus verum intelligere. quare ea, quæ eſſe ſuum non poſſunt habere ſine materia, aut ſenſibili, aut intelligibili, nec poſſunt ſine ipſa intelligi, vt ſunt, & naturalia, & mathematica. Animaduertendum autem eſt, quod cum dicitur intellectum poſſe conſiderare ea quæ ſunt ſimul, & coniunctim, ſeparatim, & ſeiunctim, vnum ſine alio: ſine deceptione. hoc verum eſſe quotieſcumque vnum non eſt de eſſentia alterius, vt eſt quantitas, & albedo, quæ quamuis ſint ſimul re; nec poſſint ſeparari; tamen quia vnum non eſt de eſſentia, alterius, poſſunt ſine deceptione ſeorſum concipi ab intellectu. at vero cum vnum eſt de eſſentia alterius, vt naſus ſimitatis, & continuum recti, vel curui, & numerus paris, aut imparis; tunc, neque mente & conceptu, hæc ſeparari poſſunt. quare & neceſſe ipſa in ipſorum definitionibus ſumi, vt *1. Analiticorum* poſteriorum fuſe Ariſtot. docuit, à talibus, ſecundum modum dicendi per ſe, deſumens. Optime igitur ab Ariſtot. dictum eſt, quod. Omnino ſicut ſeparabiles ſunt res à materia, ſic & quæ circa intellectum.

Hæc poſtquam Ariſtot. docuit, duas proponit dubitationes, & illas ſoluit. Vna eſt, quonam pacto intellectus poteſt materialia intelligere, vt iam dixerat, tum in mathematicis, tum in phiſicis diſciplinis, ſi intelligere eſt pati. vt dictum ſupra *partic. 2.* pati autem & agere non poſſit eſſe, niſi inter illa, quæ communicant in ſubiecto genere, in materia ſcilicet, vt primo de ortu & interitu fuit declaratum; intellectus autem cum materialibus nihil commune habet, cum ſit immixtus, & ſimplex, & impaſſibilis, vt ſupra, authoritate Anaxagoræ dictum fuit.

Altera vero eſt, ſi intellectus eſt intelligibilis, docuerat enim in fine præcedentis capitis, quod intellectus cum ita ſingula factus eſt, vt

ſciens

Digitized by Google

sciens dicitur: qui secundum actum, tunc potest & ipse seipsum intelligere, quonam pacto est intelligibilis, vtrum quatenus intellectus vel non. si enim intelligibilis est quatenus intellectus; tunc veluti hæc conuersa est vera; intellectus, quatenus intellectus est intelligibilis. ita & eius cõuertens erit vera; intelligibile, quatenus intelligibile est intellectus; talis enim est natura eorum quæ prædicantur secundum quod ipsum, vt conuertantur. quare sequitur, quod quicquid est intelligibile, sit intellectus, & ita materialia, cum sint intelligibilia, erunt intellectus. puta lapis cum sit intelligibilis, erit intellectus. si vnum tantum specie sit intelligibile, nec multipliciter dicatur. si autem, non quatenus intellectus, est intelligibilis; tunc alicuius alterius ratione erit intelligibilis: quare erit compositus & aliquid mixtum habebit, quod ipsum facit intelligibile, sicut alia intelligibilia.

His propositis dubitationibus aggreditur eas soluere, & primo, primam facile soluit; inquiens, ipsum pati, secundum quod, dicitur intellectus ab intelligibilibus pati, cum ipsa recipit. non dici proprie, vt illud de quo dictum fuit *1. de ortu & interitu*. in quo necesse est, vt agens cum patiente communicet in eodem subiecto genere, sed dici ac sumi secundum communem & ampliorem significationem, qua comprehenditur etiam passio perfectiua, quæ competit potentijs cognoscentibus, dum recipiunt sua obiecta à quibus perficiuntur. Cuiusmodi est intellectus, quia potentia quodam modo intelligibilia; est intellectus, antequam intelligat, sed actu nullum. hoc autem volens exemplo declarare philosophus, inquit. *Oportet autem sic vt in tabula in qua nihil est scriptum actu, quod quidem accidit in ipso intellectu.*

Quæ verba sunt diligenter cõsideranda. non enim corrigenda sunt, vt existimauit *Alexander 1. de anima, cap. de intellectu practico & speculatiuo.* vbi dixit, quod potius tabellæ agrapho, hoc est inscriptionis carentiæ quam tabellæ assimilandus est intellectus; tabella enim iam in entium numero est; at vero intellectus, antequam intelligat, promptitudo tantum, & facultas est, ad formas suscipiendas. Ita enim, pura potentia esset intellectus, & qualitas, aut omnino nihil, vt bene Alexandro obiecit Auerroes: Sed summa cum ratione ab Aristotele fuisse dicta existimandum est, vt naturam intellectus antequam intelligat explicaret; dixit enim. *Oportet autem sic*, scilicet nos existimare, *quod quidem accidit in intellectu, vt in tabula in qua nihil est scriptum actu*. velut enim in hac tabula est præparatio, & potentia ad recipiendas omnes scripturas, ita & in ipso intellectu est potentia quædam & præparatio ad suscipienda omnia intelligibilia, illis autem verbis (*quod quidem accidit*

Digitized by Google

cidit in ipso intellectu) manifeste designauit contra sententiam Alexandri facultatem intellectus distinctam ab eius substantia, & hæc de prioris dubitationis solutione.

Soluens autem alteram subiungit. *Et ipse etiam intelligibilis est, sicut ipsa intelligibilia, in his enim quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur; scientia namq; speculatiua, & ipsum scibile idem est.* Quæ solutio cum satis concisa sit, & breuis, magnam inuoluit obscuritatem; vt vero melius percipiatur. oportet primum videre quonam pacto intellectus intelligit intelligibilia; ita enim innotescet quomodo & ipse sit intelligibilis. supponendum autem est, quod intellectus cum intelligit fit ipsa intelligibilia; ita enim supra dixerat de intellectu, qui iam percipit intelligibilia (cum autem sic singula factus est) quod idē clarius docuit *12. metaphis. partic. 40.* ex communi sectione. vtrumque assignans, & quomodo intellectus intelligat seipsum, & quomodo intelligibilia. his verbis. *Seipsum vero intellectus intelligit assumptione intelligibilis; intelligibile namq; fit attingens & intelligens; ita vt idem intellectus & intelligibile sit; susceptiuum enim intelligibilis, & substantiæ intellectus est; operatur autem habens*, & in hoc *3. de anima partic. 36.* dicens. *Omnino autem intellectus qui secundum actam intelligit res ipsæ est.*

Oportet vero primum declarare, quonam pacto intellectus fit res intellecta, siue ipsum intelligibile, pro qua re animaduertendum est, quod non solum de intellectu hoc dicitur ab Aristotele, verum etiam de sensu: *in 2.* etenim *lib. de anima partic. 138.* dicit quod idem est sensus actu & sensibile actu; vt sonus actu & auditus actu. Causam autem huius identitatis ibidem assignauit, necnon etiam paulo ante *partic. 121.* nempe, quia sensus susceptiuus est sensibilis sine materia. Hoc autem illi competit ob præstantiam & nobilitatem, qua cæteras formas materiæ immersas antecellit, quo enim aliqua forma nobilior est; eo spiritualius illi competit operari; quare & imaginatiua, quæ adhuc est nobilior sensibus particularibus, & communi, spiritualius recipit. Sensus enim quamuis recipiat sensibilia sine materia; tamen illa non recipit sine præsentia materiæ, in qua sensibilia sunt; at vero phantasia, & sine materia, & sine præsentia materiæ sensibilia recipit; res enim etiam absentes imaginamur. Intellectus autem qui omnium formarum præstantissimus est, & extra omnem aleam materialis conditionis: maxime omnium spiritualiter recipit; quamuis enim imaginatiua magis quam sensus abstrahit, quia non solum à materia, verum etiam à præsentia materiæ; tamen à conditionibus materiæ non abstrahit, cum singulares formas sensibilium recipiat. Intellectus vero,

& à materia, & à præsentia materiæ, & adhuc à conditionibus materiæ abstrahit, cum vniuersales formas, & conceptus intelligat. hoc autem iure merito illi competit, quia immixtus corpori est, nec intelligens, corporeo aliquo vtitur instrumento. Ex his patet non ob aliam rationem competere facultatibus cognoscentibus, vt fiant idem cum obiecto cognito, nisi ob immaterialitatem obiecti cogniti. quare quo magis aliquod obiectum immateriale est; eo magis efficitur vnum cum potentia cognoscente. ex quo bene *Auerroes* dicebat *3. de anima* in digressione *commenti 5.* quod maior fit vnio ex intellectu & intelligibili, quam ex materia & forma.

Cum vero essentia, quæ per se intelligitur ab intellectu, & est eius proprium intelligibile, duplex sit, vt mox cum Aristot. diximus, vna scilicet, quæ non concernit materiam, quæ simpliciſſima est vsia, nec diuersum habet esse ab essentia. Altera vero, quæ in materia est, & aliud habet quod quid esse ab eo quod est.

Nemini dubium, quod intellectus cum intelligit quidditatem prorsus abstractam à materia magis efficitur vnum cum intelligibili; quam cum intelligit quidditatem concernentem materiam. quinimmo cum intelligit quidditatem sine materia, omnino ac veriſſime efficitur vnum vnitate identifica & reali, quia in his quæ sunt sine materia idem est, quod intelligit, & quod intelligitur vt Aristot. dicit. cum vero intelligit quidditatem existentem in materia, non efficitur quid vnum, nisi intentionaliter tantum, vt ita dicam; non autem realiter, quod optime declarauit philosophus *3. de anima partic. 38.* his verbis: *Secatur igitur scientia, & sensus in res. qui quidem potentia est, in eas quæ sunt potentia, qui vero actu, in eas quæ sunt actu. Animæ autem sensitiuum & id quod scire potest, potentia hæc sunt; hoc quidem scibile, hoc vero sensibile. Necesse est autem aut ipsas, aut formas esse. ipsas igitur non, non enim lapis in anima est sed forma. Quare anima sicut manus est; manus enim instrumentum instrumentorum, & intellectus forma formarum, & sensus forma sensibilium.*

Præter hæc animaduertendum est, quod duplex ab Aristotele statuitur intelligibile; vnum quidem actu, quod omnino sine materia est & vere ac proprie dicitur intelligibile, & hoc formis separatis competit, alterum vero potentia, quod formarum materialium est.

Volens igitur declarare philosophus quomodo intellectus intelligibilis est, ac respondere propositæ dubitationi. Dixit, quod intellectus intelligibilis est sicut ipsa intelligibilia. Intelligibilia autem sunt, & sine materia, & cum materia; intelligibilia sine materia sunt idem quod intellectus, vt idem est scientia speculatiua, & scibile speculatiuum,

Digitized by Google

uum, quapropter ſunt intelligibilia actu. Intelligibilia autem cum materia non ſunt omnino idem cum intellectu, quia ſunt idem tantummodo intentionaliter; non autem realiter, vt dictum eſt, ac propterea non ſunt intelligibilia actu, ſed potentia.

Quod autem dictum eſt de intelligibilibus, idem pariter dicendum eſt, & de intellectu. Intellectus namq; intelligit ſe, ſicut ipſa intelligibilia; intellectus enim à matèria ſeparatus exiſtens, intelligit ſe, tamquam intelligibile actu, quapropter intelligit ſe, quatenus intellectus, nam in his quæ ſine materia ſunt, idem prorſus eſt intelligens & intellectum, quæ cum prorſus remota ſint à noſtris ſenſibus, nullo aptiori exemplo manifeſtari poterant, quam ſcientiæ ſpeculatiuæ, & ſcibilis, quorum vtrumque, prorſus vnum & idem eſt. At vero, idem intellectus in materia exiſtens; coniunctus nempe cum ſenſu, & forma corporis; non amplius ſeipſum intelligit, vt intelligibile actu, ſed vt intelligibile potentia; in materia etenim eſt, quare & neque ſeipſum intelligit, quatenus intellectus, ſed per ipſa intelligibilia, quæ habet; cuiuſmodi eſt, hic intellectus, de quo ſermonem inſtituit, qui cum ſingula factus fuerit, tunc ſeipſum poteſt intelligere. veluti enim intellectus, cum ſeparatus eſt; ſeipſum intelligit, primario, ac per ſe, quia per ſuam ipſiuſmet eſſentiam. ita & hic intellectus cum in materia & corpore eſt, ſeipſum ſecundario intelligit, & per accidens; ratione, ſcilicet formarum intelligibilium, quæ in ipſo ſunt, quæ faciunt ipſum intelligibilem ſicut alia. Totum autem hoc optime declarauit *Alexander* ille *Aphrodiſeus lib. ſuo 1. de anima, capite de intellectu, & re intelligibili ſecundum actum, & immateriali ſpecie.* his verbis. *Rerum igitur quæ compoſitæ ſunt, id quod eſt eſſe, & earum formas, intellectus intelligibilia efficit, illa diſiungens ab ijs quibus cum, habent eſſe. Si autem ſunt nonnullæ ſpecies, quæ per ſe abſque materia, & ſubiecto ſubſiſtunt. hæ proprie intelligibiles ſunt. Verum enimuero, quæ ex propria natura intelligibilia ſunt, actu quoque intelligibilia eſſe neceſſe eſt. Materialia enim illa ſunt, quæ poteſtate intelligibilia nuncupantur. Verumtamen ſi intellectui in actu idem eſt id quod intelligitur, & id quod intelligit, efficitur, vt propriæ, & ſecundum actum, immaterialis ſpecies intellectus ſit. Et qui eiuſmodi ſpeciem intelligit intellectum intelligit.*

Non quod ſpecies illa tunc intellectus fiat, cum intelligitur, velut in formis materialibus ſe habet; ſed cum iam ſit intellectum, etiam ſi, non ab intellectu intelligatur. Iam vero intelligens intellectus, intellectione eius quod intelligit, id quod intelligit fit, vt intellectus, qui in nobis eſt (hic autem eſt is, qui ſecundum habitum habetur) quoties eiuſmodi ſpecies apprehendit; toties ijſdem ſpeciebus idem efficitur. Quales enim ſpecies ſecundum ſubſtantiam fuerint, etiam ſi non in-

 telligan-

Digitized by Google

telligantur, ideſt ſimplices, tales idem cum intelligentia fiunt. Quare intellectus, qui illas intelligit, idem, tunc cùm intelligit illis efficitur. Et intellectus in ijs eſt id quod intelligitur, & id quod intelligit, & tunc vtrumque idem eſt. At vero vbi materialem quampiam ſpeciem intelligit, & id quod eſt eſſe cuiuſpiam rei materialis apprehendit. haud quaquam intellectus omnino res quæ intelligitur idem fit. quin id quod intelligitur in materia, & ſubiecto eſſentiam poſſidet, intellectus vero velut quid à materia diſiunctum apprehendit. Quapropter eiuſmodi ſpecies cum intelligitur, ipſa quoque intellectus eſt; non autem citra intellectionem id euenit. Adhæc intellectus ſpecies, abſque materia quapiam eſt; illa vero in materia id habet vt ſit.

Idem etiam Alexander, hoc ipſo libro, capite præcedenti inſcripto de intellectu ſecundum actum. declarans quomodo intellectus in habitu, qui in nobis eſt, de quo dixerat philoſophus, quod cum ita factus fuerit ſingula, vt ſciens dicitur qui ſecundum actum. ſeipſum intelligit, hæc inquit. *Quin etiam cum ſe intelligit, præcedenter, & per ſe, ſpeciem intelligibilem intelligit. per accidens autem ſeipſum, ea de cauſa, quod intellectui accidit, vt cum intelligit illud fiat, quod intellectum eſt ab ſe.*

Hæc eadem omnia ad verbum, cõfirmauit Alexander ille, qui commentaria in metaphiſicam conſcripſit (ſiue idem Aphrodiſeus, ſiue alius fuerit) in *commento 26. & 27. duodecimi libri*. Cuius verba nolui adſcribere ne volumen alienorũ verborum tranſpoſitione confarcinarem.

His ſuppoſitis, atque ita explicatis; facile Ariſtoteles in toto hoc capite, ſibi ipſi conſtabit, & vndequaque, ſibimet cõſentaneus erit. quod aliter difficillimum foret, vt cuilibet, aliorum expoſitiones legenti patebit. Ita enim & ſecundo loco propoſita difficultas ſoluitur, & alterius emergentis dilucidatio, quam philoſophus explicite non attulit, innoteſcet.

Clarum enim eſt, quod vbi intellectus intelligit ſe, tamquam intelligibile actu, idem eſt quod intelligitur, & id quod intelligit, quare & conuertitur, intellectus eſt intelligibile, & intelligibile eſt intellectus. vbi vero intellectus intelligit ſe, tamquam intelligibile potentia: cum intellectus non ſit omnino idem quod intelligibile potentia, ſed tantum intentionaliter, vt eſt ſupradictum, non conuertitur. Intellectus enim, eſt quidem intelligibile intentionaliter; quia intellectus intelligens lapidem, eſt lapis intentionaliter, at intelligibile non eſt intellectus, quia lapis intellectus, non eſt ipſe intellectus. Animaduertendum autem eſt, quòd valde errant illi, qui dicunt, quod veluti intellectus intelligens actu lapidem, eſt lapis. Ita lapis, actu intellectus; eſt ipſe intellectus. nam longe diuerſa eſt ratio, inter ipſum intellectũ & intel-

Digitized by Google

& intelligibile materiale; intellectus enim actu intelligens, intentionaliter,& formaliter est ipsum intelligibile; at vero intelligibile,est intentionaliter tantum intellectus; non autem formaliter. quod bene expressit Aristot. loco paulo ante citato, cum dixit: intellectum esse formam, formarum, & sensum esse formam sensibilium: assimilans totam animam manui; veluti enim manus est organum organorum, quia manus sibi parat, & construit instrumenta, quibus vtitur ad opificium. ita & anima, tum sensitiua, tum intellectiua effingit sibi formas, & intentiones rerum, tum sensibilium, tum etiam intelligibiliũ, quibus vtitur ad intellectionem & sensationem; non enim res materiales intelligit recipiendo res ipsas, sed intentiones siue formas ipsarum, quas ipsa sibi anima efformat, vt suo loco fusius monstrabimus; & docuit Themistius, in expositione prædictorum Aristotelis verborum. quare intellectus non solum intentionaliter est intelligibilia,cum ipsa percipiat, & cognoscat; veluti etiam sensus sensibilia,verumetiam formaliter, quia ipse, cum forma existat efficit, vt res materiales sint formæ & species intelligibiles; veluti est, ipsemet intellectus, qui habet illas recipere. Intelligibilia autem non possunt fieri intellectus, nisi intentionaliter tantum, scilicet, quatenus cognoscuntur ab intellectu; non autem formaliter, quia si possent fieri formaliter, intellectus; tũc aut fierent intellectus qui recipit & patitur, & hoc est impossibile; quia non potest idem fieri formaliter recipiens & receptum, aut intellectus qui agit, & hoc pariter est impossibile, quia intelligibile materiale,est intelligibile in potentia; vnumquodque autem eatenus agit quatenus est in actu. Bene igitur soluit Aristot. difficultatem, dicens, quod intellectus, quatenus intellectus, est intelligibilis actu, & intelligibile actu, quatenus intelligibile actu, est intellectus. At vero in intelligibili potentia, non conuertitur; nam intellectus est intelligibile. Intelligibile autem non est intellectus. Altera autem difficultas, quæ ex dictis emergit, & consideranda proponitur ab Aristotele, initium suæ solutionis etiam hinc desumit, quamuis eius solutio in sequenti capite afferatur. Ex ijs enim quæ dicta sunt, quod intellectus intelligit se, sicut intelligibilia, posset quis iure merito dubitare. cur intellectus non intelligit semper seipsum? si namq; intellectus intelligit; seipsum attingens, & intelligens intelligibilia. *vt 12. metaphis. partic. supra citata 39.* dixerat. cum seipsum semper attingat, & sibi ipsi sit semper præsens. cur seipsum non semper intelligit? sed in quibusdam immo in quamplurimis numquam. In paucis vero, & ijs quidem sapientibus perraro. Hanc dubitationem hic tantum considerandam propo-

nit; dicens. *Cur autem non semper intelligat, causa considerandа est*. sequenti autem capite soluit. vbi sermonem habens, de intellectu agente, inter reliqua eius attributa, hoc recenset, quod eius substantia, actio, siue energia existit. ex quo infra deducit, quod, non, aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit. ergo intellectus ille, cuius operatio est eius substantia, semper intelligit. talis autem intellectus, est intellectus omnino à materia abstractus; in ijs enim intellectus, & intelligibile, & intellectio, ex Aristot. sententia, sunt idem. intellectus igitur qui in nobis est, quamuis se ipsum, possit intelligere, & semper sibi ipsi sit præsens; tamen, non semper, seipsum intelligit, quia in materia est & intelligens materialia intelligibilia, seipsum intelligit; talis autem intellectio non est eius substantia; sed accidens, cum intelligibilia, quæ intelligit, non sint intelligibilia actu, sed potestate. & hæc est causa ob quam intellectus noster, quamuis & ipse intelligibilis sit sicut inteiligibilia actu; tamen non semper se intelligit. nempe, quia non semper est intellectus actu, nec intelligibile actu, sed aliquando; quia est potestate intellectus, & intelligibile potestate, vt cum est in corpore & forma corporis; & tunc non semper intelligit, sed aliquando quidem intelligit, aliquando autem, non intelligit.

Non me latet, fore, vt absurdissima videantur, potissimum hæc vltima, illis qui contrariam tuentur in Aristotele sententiam, cum talia, & præcipue, quod operatio sit essentia; De intellectu agente dixerit philosophus, quem ipsi asserunt esse Deum; sed nos, tum in sequenti capite obiter; tum in tertio libro in propria disputatione, ostendemus eumdem, realiter, nec diuersum esse, intellectum agentem, & possibilem, qui in homine est, nec inter se differre nisi habitudine, & respectu, vt linea reflexa ad seipsam habet. cum recta fuerit. & hæc de explicatione huius capitis dicta sint.

Asse-

Digitized by Google

Afferuntur argumenta ex prædictis, & Aduerſariorum reſponſiones confutantur. Caput XXX.

EX ijs quæ philoſophus capite iam explicato docuit, duo certiſſima pro immortalitate humani intellectus argumenta, depromuntur, quorum vnum ex altero dependet. primum eſt, intellectus intelligit formas omnino ſeparatas à materia, ergo intellectus eſt omnino ſeparatus à materia, ergo immortalis. Alterum eſt, intellectus eſt intelligibile actu, ergo intellectus eſt omnino immaterialis, ergo immortalis. Antecedens prioris argumẽti, probatur ex his quæ Ariſtoteles dixit. cum enim ſtatuiſſet aliud eſſe carnem, hoc eſt, formam in materia, & aliud eſſe carni, hoc eſt, formam, ſine materia & rectum, & recto eſſe, hoc eſt lineam rectam, & rectitudinem; concludit, quod alio, aut aliter ſe habente, vtrumque iudicat intellectus. ergo aliquando intellectus cognoſcit, formas abſtractas à materia. neque vero ſuſpicari poſſumus, per eſſe carnem, ſignificari formam carnis, in materia ſenſibiliter, & realiter exiſtentem, & per eſſe carnis, ſignificari formam carnis ſimul cum materia, ſed in intellectu, & intentionaliter, vt dici ſolet, cum quidditas non ſolum formam dicat, ſed formam in materia, vt Ariſtot. aduerſus Platonem demonſtrauit *7. metaphiſicorum*, ex quo, eludi poſſet, totum hoc argumentum; aperte enim contrarium apud Ariſtotelem legimus. appellat namq; talem quidditatem, formam in materia, non autem formam. quare ſi intellectus cognoſcit formam, & formam in materia, diſtincte & diuiſim; alio enim, aut aliter habente diiudicat. ergo intellectus non ſolum cognoſcit quidditatem, quæ eſt forma in materia, ſed etiam quidditatem, quæ eſt forma ſine materia, quales ſunt formæ omnino ſeparatæ. neque ſuffragatur, quod quidditas ab intellectu conſiderata, forma ſit, & ſpecies ſine materia reali; nam etiam talem quidditatem ab intellectu conſideratam Ariſtoteles, formam in materia appellat. quare in omnibus ſcientijs, non ſolum phiſicis, ſed etiam mathematicis intellectum formas conſiderare aſſerit. in materia, illis verbis. *Iterum autem in ijs quæ in abſtractione ſunt, rectum vt ſimum, cum continuo enim eſt. ipſum autem quid erat eſſe, ſi eſt alterum recto eſſe & rectum, alio, ſit enim dualitas.*

Sed aduerſus ea quæ dicta ſunt; ſatis ardua, ac difficillima inſurgit

ratio dubitandi, quam mihi hæc scribenti & meditanti obiecit D. Ferdinandus Carolus Parmensis, vir doctissimus, & germane peripateticus, ac mihi non solum studiorum affinitate; verum etiam beneuolentia coniunctissimus; Quanam ratione pro animi immortalitate assumere possumus, ab Aristotele affirmatum fuisse, quod intellectus omnino abstractas à materia formas intelligat. si infra *partic. 36.* hac de re dubitauit, & dubitationem alio loco decidendam, in posterum remisit? quod eo magis adauget difficultatem, quia disertis verbis de hoc eodem ibi Aristoteles dubitauit; de quo nunc dicimus ipsum certo pronunciasse; cum enim ibi dubium proposuisset de intellectu in corpore existente, vtrum intelligat ea quæ à materia separata sunt, nos supponimus, ipsum statuisse, de intellectu in habitu, de quo hoc loco est sermo, quod is intellectus ea quæ separata sunt à materia, intelligit, cum pariter certum sit, intellectum in habitu, esse intellectum in corpore existentem. Authoritas vero Alexandri paulo ante à nobis allata pro nostræ sententiæ confirmatione, facile infringitur; nã quamuis de intellectu in habitu, proculdubio sit. tamen, si vera sunt non solum quæ Auerroes de Alexandri sententia refert *3. de anima in digressione cõmenti 36.* verumetiam quæ Alexander ipse docuit *2. de anima cap. 22.* intellectum in habitu, esse conflatum ex intellectu, potentia, & agente; quæ ab ipso dicta sunt de intellectu in habitu, quod ea quæ omnino separata sunt à materia intelligat: ad intellectum agentem referenda erunt. ex quo, nullum potest pro immortalitate intellectus potentia, qui proprie est humanus intellectus, argumentum desumi.

Quapropter Pomponatius, non solum apud Aristotelem hoc esse satis dubium existimauit, quod intellectus in materia, siue corpore existens intelligat, vel possit intelligere separata. verumetiam pro certo habuit, ipsum fuisse in contraria sententia, ac putasse, intellectum humanum, simpliciter, & absolute, non posse separata intelligere, vt patet ex *lib. 1. suæ apologiæ cap. 6.* Quia vero Aristotelis verba *textu 36. 3. libri de anima*, ita se habent. *Vtrum autem contingat aliquid separatorum intelligere ipsum existentem non separatum à magnitudine, an non, considerandum est posterius.*

Quæ verba, ob dubitationem coarctate, & conditionaliter proposita, possunt supponere, vt supponunt, intellectum, non existentem in magnitudine, intelligere separata. propterea Pomponatius, prædicto loco, contrarium probare conatus fuit, multis argumentis, & primo authoritate Auerrois, quam referens, ita inquit; *Esto etiam, quod anima remaneat post mortem, & cognoscat, non est apertum sequi ipsam cognoscere, immate-*

materialia, veluti. Auerroes 36. commen. 3. de anima, Themistio contradicens dixit: immo verisimilius est, quod ista materialia cognosceret, cum sciamus pro statu isto, materialia cognoscere. secundo, quia non potest fingi hic status, quo intelligat separata apud Aristotelem; cum nullibi mentionem faciat de hoc modo cognoscendi. quinimmo clamet, intellectum humanum, non posse separari à sensu. Tertio, quia locus, qui affertur ab ijs qui tuentur immortalitatem, in *12. metaphis. tex. 39. & 40.* vbi videtur philosophus soluere hanc dubitationem, euidenter loquitur de operatione intellectus speculatiui, quæ est ex habitu scientiarum, & non de intellectione separatorum, quemadmodum etiam dixerat *10. Ethicorum*. Quarto, quia *2. metaphisicor. cap. 1. & 9. metaphisicor. tex. vltimo*, vbi, ex sententia S. Thomæ, hanc soluit dubitationem, non determinauit, neque asseruit, intellectum nostrum intelligere separata, sed dixit ipsa ignorare non omnina ignorantia, quæ est veluti cæcitas, ac medio modo se habere, inter scientiam, & ignorantiam, & veluti oculus nicticoracis, ad lumen solis. quare ita exponendum atque intelligendum censet eum locum: ex 36. contextu, vt dubitatio non proponatur coarctate, & conditionaliter, sed enunciatiue, hoc pacto, *vtrum autem contingat, intellectum non separatum existentem à magnitudine: separata intelligere*, hoc est intellectum, qui non est separatus à magnitudine. hoc autem Aristot. dixisse non ad differentiam sui ipsius, separati existentis, sed ad differentiam intelligentiarum, quæ separati intellectus existentes, separata intelligunt. rationem dubitationis significando. maxime enim absurdum videtur, id quod minime separatum est à materia, separata intelligere. sed ad hæc omnia, Deo iuuante respondebimus. & primo ad ea, quæ aduersus assumptæ propositionis veritatem afferuntur, deinceps vero, ad eam responsionem, quæ aduersus Alexandri authoritatem est. Ad caput vero difficultatis, dicimus, quod ex ijs quæ Aristoteles in capite nuper explicato dixit, de obiecto intellectus, & de modo quo seipsum intelligit, tota insurgit ratio dubitãdi *in dicto textu 36.* Quia enim dixerat, quod aliud est forma, & aliud forma in materia. vtrumque vero, ex his, iudicat intellectus, consequenter dubitauit; vtrum vna & eadem potentia, an vero diuersis, diuersa iudicat hæc obiecta. cũ vero determinasset, non omnino eadem, sed saltim diuerso modo se habente potentia, & principio cognoscendi. hæc iudicari, vt eadem est linea recta, & flexa; sed alio se habet modo cum flexa est; ad seipsam cum recta erat. tandem statuit, quod in omnibus speculatiuis scientijs, non solum phisicis; sed etiam mathematicis.

Intel-

Digitized by Google

Intellectus formas intelligit cum materia. de formis autem separatis à materia id quoque decreuerat, quod sint intelligibiles actu; ac propterea idem sunt quod intellectus. quod certe nonnisi de intellectu separato, non autem in materia existente dixisse poterat. quandoquidem igitur dixerat intellectum in materia siue in corpore existentem intelligere formas in materia; rectum enim vt simum intelligit; intellectum vero separatum à materia intelligere separata. reliquum erat videre, vtrum contingat intellectum non separatum existentem à magnitudine separata intelligere, quod in posterum se dicturum pollicetur. Quamuis autem occasione intellectus in habitu, hæc docuerit Aristot. vt enim declararet quomodo intellectus cum singula factus fuerit seipsum intelligit. de obiecto intellectus dicere aggressus fuit, tamen negari non potest quin de obiecto intellectus simpliciter, & de modo quo quilibet intellectus seipsum intelligit loquutus fuerit, & non de eo tantum intellectu qui est in habitu, & est in materia, quod liquido constat ex ijs quæ statuit de duplici intelligibili, in actu, & in potentia, quorum intelligibile in actu idem est, quod intellectus; hoc vero nonnisi in ijs quæ sine materia sunt fieri posse pariter asseuerauit; sed de hoc fusius infra. non igitur de eodem hic enunciauit de quo infra dubitauit; enunciauit enim hic de intellectu separato à materia, quod intelligit seipsum; cum enim dubitasset vtrum intellectus sit intelligibilis, quatenus intellectus obiecit, quia tunc omnia intelligibilia essent intellectus, pro cuius solutione decreuit non esse vnum quid specie ipsum intelligibile, sed duplex, in actu, & in potentia; ac solum de intelligibili in actu, dixit propositionem esse conuertibilem, ita vt intellectus actu sit intelligibilis, quatenus intellectus, & intelligibile actu, sit intellectus quatenus intelligibile, cum intelligibile actu, sit sine materia, in ijs autem quæ sine materia sunt, idem est intelligibile; & intellectus. quare constat, quod de intellectu non existente in materia, Aristot. hoc loco enunciauit, quod intelligit essentiam nequaquam existentem in materia, quam dixerat esse vnum ex obiectis intellectus. Infra autem *textu 36.* non de hoc dubitauit, sed de hoc intellectu in materia existente; ita enim habet, *Vtrum autem contingat aliquid separatorum intelligere ipsum existentem non separatum à magnitudine; an non, considerandum est posterius.* Constat igitur non de eodem hic Aristotelem statuisse, & inferius dubitasse.

Sed ad hæc Aduersarij, ergo propositum non habes deducendi ex hoc loco immortalitatem humani intellectus; nam de intellectu separato Aristoteles statuit, quod intelligit separata. modo humanus intel-

Digitized by Google

intellectus, nequaquam eſt ſeparatus. Ad quod dicimus, quod quamuis humanus intellectus, quatenus humanus, hoc eſt quatenus informat hominem, non eſt ſeparatus, tamen eſt ſeparabilis, quare erit aliquando ſeparatus. cum igitur dicimus non de eodem intellectu Ariſtotelem enunciaſſe, quod intelligat ſeparata, & dubitaſſe. non negamus quod ſit vnus, & idem intellectus, realiter. ita enim dubio procul, quod intendimus non aſſequeremur; ſed negamus eſſe eumdem intellectum, vno, & eodem modo conſideratum, quod optime ſignificauit & expreſſit Ariſtoteles, dicens, intellectum, aut alio principio, aut ipſomet aliter ſe habente, iudicare formam, & formam in materia; ſed non alio principio, quia idem eſt intellectus, qui vtrumque iudicat. ergo, ſeipſo aliter ſe habente, & vt linea recta, quæ vna & eadem eſt, & reflexa, ſed aliter atque alio modo ſe habens. ita vnus & idem eſt intellectus, qui nequaquam corpori copulatus, ſed in ſeipſo manẽs, ac ſeparatus, veluti linea recta ſe habens. ſeipſum intelligit, & ſubſtantias ſeparatas; coniunctus autem corpori, veluti reflexa linea ſe habet, atque ita materiales formas intelligit, ſibi à ſenſu ſubminiſtratas, vt ſupra etiam explicauimus. Noui æquidem pro huius ſententiæ firmitate, multa adhuc deſiderari. cum multas ſecum afferat difficultates, & ad decantatam illam vnitatem, peruenire videatur, aut ſaltem Simplicij ſententiam referat, qui Platonicum non autem peripateticum philoſophum in hac ſpeculatione omnino ſe præbet, ſed de his abunde ſuo loco dicemus, in ſequentibus. vbi propriã Ariſtotelis ſententiam explicabimus, quem & ab vnitate, quam ſomniauit Auerroes alienum eſſe, & ſibi vndequaque, atque ſuis principijs cõſentaneum profitemur. Nunc vero ad argumenta Pomponatij deueniamus, quibus noſtram propoſitionem conatur infringere, & primo ad primum, ex authoritate Auerrois, dicimus, quod neque verba quæ ipſe citat, neque ſenſus eorum verborum, apud Auerroem reperiuntur, neque Auerroes hac de re, ibi contradicit Themiſtio, nempe, quod Ariſtot. ſupponat intellectum poſſe intelligere ſeparata, ſed argumentum Themiſtij. tamquam inſufficiens ad hoc probandum redarguit, quinimmo ipſe in hac ſententia eſt, quod intellectus noſter cum ſuam vltimam perfectionem adeptus eſt, intelligit ſeparata, & hoc idem probare nititur.

Ad ſecundum vero, vbi inquit, nullum apud Ariſtot. locum reperiri in quo modum hunc quo intellectus intelligit ſeparata, recenſeat. Dicimus hoc falſum eſſe, nam aperte huius intellectionis meminit hoc loco, quem nunc afferimus; tum quando ſupponit vnum,

& eum-

& eumdem intellectum intelligere esse recto, hoc est formam sine materia, & esse rectum, hoc est formam in materia, quem intellectum linee recte, & reflexe assimilat, quæ vna & eadem est re, & numero, quamuis differat ratione; tum etiam hoc eodem loco, cum dixit. Intellectum intelligentem, intelligibilia actu, esse idem quod intelligibilia; & intelligibilia actu, esse idem, quod intellectus; sed de hoc fusius infra; cum alterum ex prædicto capite argumentum, pro immortalitate afferemus. præterea etiam, eodem loco, quem Pomponatius pro sua sententia affert, & in quo Aristotelem inquit, soluisse hanc quæstionem, aperte huius intellectionis meminit; ita vt, si hoc loco decisa sit huiusmodi quęstio, quemadmodũ Põponatius fatetur, nullus amplius alius relinquatur, ad quem ab aduersarijs prouocari possit. est autem is textus, vltimus noni metaphisicorũ. in quo, cum Aristoteles doceret in intellectione substantiarum separatarum non posse contingere deceptionem: quandoquidem simplicia entia sunt, & sine compositione, aut diuisione non est verum, aut falsum. Hæc subnectit verba. *Verum autem intelligere hæc. falsum vero, non est deceptio, sed ignorantia. non qualis cæcitas est, etenim cæcitas quidem sicuti si omnino non haberet aliquis intelligendi potentiam.*

Quæ verba luce meridiana clariora sunt; cum enim dixisset, quod in intellectione substantiarum separatarum non est deceptio, concludit. quod hæc cum intelliguntur, est intelligere verum; falsum vero, hoc est, cum vero non intelliguntur; id enim intelligit per falsum; in incomplexis enim cum non intelligimus rem esse vti est, dicitur falsum; non est deceptio, sed ignorantia, hoc est, priuatio cognitionis, ne quis vero existimaret, vt existimauit Pomponatius, hanc priuationem esse de genere illarum, quæ numquam admittunt habitum, vel actum, vt est cæcitas, subdit Aristot. & inquit. *Non qualis cæcitas est, etenim cæcitas quidem. sicuti si omnino non haberet aliquis intelligendi potentiam.*

Hæc autem verba, quamuis non indigeant expositore, tamen ita ab omnibus exponuntur; non solum à S. Thoma, & ab Auerroe, qui nostris aduersarijs suspecti sunt; verum etiam ab Alexandro illo, qui in metaphisicam commentaria conscripsit; Græco, atque doctissimo & antiquissimo interprete, siue sit ille Aphrodiseus, vt plerique putant, siue quis alius, ipso antiquior, vt ego existimo, ex eius phrasi. Liber autem eius verba apponere, cum non satis prolixa sint; *Sed intelligere quidem ipsa, est verum, deceptio autem ergo ipsa non est; sed ignoratio. ignoratio autem non qualis est cæcitas, vt numquam ipsa possit intelligere, sed*

qualis

Digitized by Google

qualis eſt ignoratio; cum quiſpiam de aliquo non conſiderat; nam cæcitas ſimilis eſt ignorantiæ, cum intelligendi potentia penitus abeſt. qua qui careat is intelligere numquam poſſit, vt ne is quidem videre, qui ſit luminibus orbatus.

Animaduertit etiam Pomponatius hanc veritatem, quare ibidem habet hæc verba. *Quam tamen quæſtionem ſoluit ſecundo, & nono metaphiſicorum; nam anima, neque perfectè ſcit, neque penitus ignorat, illa immaterialia; non enim eſt velati cæca, ſed veluti noctua, quare quoquo modo ſcit, & quoquo modo ignorat; hocq; rationabiliter, quandoquidem ipſa eſt media, inter pure abſtracta, & pure materialia, vnde & conuenit mediam cognitionem habere.*

Concedit itaque Pomponatius, quod intellectus noſter non omnino caret cognitione ſeparatorum, ſed aliquam quamuis obſcuram de ipſis cognitionem habet, & ita, ad illa ſe habet, vt oculus nicticoracis ad lumen ſolis, vt *Ariſtot. 2. metaphiſicorum cap. 1.* dixit, quod ſi quis dicat hanc eſſe cognitionem comparatiuam, non autem abſolutam, ad hoc dicimus, quod verum eſt, neque poterat alio modo intellectus qui cum corpore eſt, cognoſcere ſeparata; ſed tamen, hoc nobis ſufficit; vt colligamus eius naturã eſſe ſeparabilem, quãuis non ſit ſeparata; ſi enim eſſet omnino intellectus materialis, & inſeparabilis, nullo modo poſſet cognoſcere ſeparata; ſi autẽ eſſet omnino ſeparatus abſolute, & perfectè cognoſceret; cũ vero medio modo ſe habeat, dum eſt in corpore; nam & non eſt ſeparatus, & eſt ſeparabilis, neque omnino caret ipſorum notitia, neque ipſa perfectè cognoſcit, quæ omnia optime conſona ſunt, cũ ijs quæ ſupra diximus; nõ enim omnino poſſet intellectus noſter comparatiue cognoſcere immaterialia, niſi medio modo ſe haberet; nempe quod ſua natura, & ſecundum ſui eſſentiam ſeparabilis ſit, at vero ſecundum actum informandi, & quatenus intelligit in corpore, ſit minus ſeparatus à corpore, & ea intelligat quæ à ſenſibus ſibi ſubminiſtrantur in corpore; potentia enim, quæ debet ponere diſcrimen inter duo, debet vtraque cognoſcere, neque aliquo alio modo poſſibile eſt intelligere, & hoc eſt quod inquit Põponatius, nempe quod anima humana media eſt inter pure abſtracta, & pure materialia; nam inter corruptibile & incorruptibile non datur mediũ; cum dicant affirmationem & negationem, quare, vna, & eadem ſubſtantia non poteſt eſſe partim corruptibilis, & partim incorruptibilis, neque expers corruptionis, & incorruptionis, ſed neceſſario, aut corruptibilis, aut incorruptibilis, fruſtra igitur idem paulo poſt nititur negare, quod ante concedere coactus fuit. dum ſubdit: *Verum de eſſe ſeparato nihil habetur ab Ariſtotele, vt etiam ipſe concedit contradictor, quare mirum eſt quomodo fingere potuerit talem cognitionũ modum ab Ariſtotele ipſo fuiſſe præſuppo-*

ſuppoſitum; nam quamuis de eſſe ſeparato nihil habeatur ab Ariſtotele. tamen habetur de eſſe ſeparabili. & ita; velit, nolit; oportet, vt concedat ſeparatorum cognitionem ad intellectum noſtrum quadamtenus pertinere. Loco igitur ab eo citato, vbi ſoluit Ariſtoteles hanc quæſtionem, non ſolum non negat hunc modum intelligendi, verumetiam illum concedit intellectui adhuc in corpore, & magnitudine exiſtenti; quamuis ſatis obſcurum, & imperfectum, quod illi accidit ob eam coniunctionem quam habet cum corpore. ex his autem facile reſpondetur ad omnia quæ in contrarium attulit Pomponatius. Quod vero aſſerit; ex hoc loco non poſſe colligi, Ariſtotelem ſuppoſuiſſe intellectum ſeparatum intelligere ſeparata, vt colligit *S. Thomas opuſc. de vnitate intellectus*, ſed potius contrarium, eo quia Ariſtotelis verba, quæ ita ſe habent. *Vtrum autem contingat aliquid ſeparatorum intelligere ipſum non exiſtentem ſeparatum à magnitudine, vel non, poſterius conſiderandum*. hunc ſenſum habent, ſcilicet. Vtrum autem intellectus ſtante, quod non eſt ſeparatus à magnitudine, poſſit intelligere ſeparata, conſiderandum eſt poſterius. Abſurdum eſt protinus, & indignum, vt à tanto philoſopho, quãtus fuit Pomponatius afferatur; nam ſuppoſito quod intellectus ſit forma, ſiue facultas, nullo pacto à materia ſeparata, nec ſeparabilis, vt ipſe interpretatur; ſtultum profecto eſt, quærere, vtrum poſſit intelligere ſeparata; ita enim Ariſtoteles in dubium verteret, vtrum equus vel aliquod aliud brutum, poſſit intelligere Deum atque beatas mentes; ſed aliquis ad hæc reſpondebit, iuxta eam interpretationem, quam ad Alexandri authoritatem ab aduerſarijs afferri poſſe ſupra diximus; nempe intellectum humanum eſſe compoſitum ex intellectu potentia, & actu. & ita nullum eſſe abſurdum, etiam ſuppoſito quod intellectus potentia ſit inſeparabilis à materia, quærere, vtrum poſſit intelligere ſeparata; nã ob eam copulationem quam habet cum intellectu agente, ſiue in actu, qui eſt ſeparatus, nihil impedit quin poſſit intelligere ſeparata; vt etiam Alexander fatetur. ex hoc tamen non licet arguere, humani intellectus immortalitatem, cum intellectus in actu, ex Alexandro; ſit Deus, qui cum intellectu potentia coniungitur tamquam lumen, vt *Ariſtoteles* docuit *lib. 3. de anima cap. 3.*

Contra quam ſententiam pro ſpeculatione præſenti ſufficiet afferre eam inſtantiam quam affert *Auerroes in calce commenti 36. 3. libri de anima*. ſi enim inquit ipſe. *Intellectus potentia corruptibilis eſt, nullam poterimus inuenire viam ſecundum quam intellectus agens copuletur cum intellectu qui eſt in habitu, copulatione propria, ſcilicet copulatione ſimili continuationi formarum*

Digitized by Google

rum cum materijs. & cum iſta continuatio non fuerit poſita, nulla erit diuerſitas inter comparare ipſum ad hominem, & ad omnia entia, niſi per diuerſitatem ſuæ actionis in eis.

Quæ inſtantia profecto validiſſima eſt, ſi accipiamus, vt accipere neceſſe eſt, intelligere eſſe in homine operationem vitalem, quæ à principio intrinſeco, & per ſe, illi competit, nempe ab aliqua animæ facultate, non tantum, tamquam à principio paſsiuo; verumetiam tamquam à principio actiuo, ac propterea *Ariſtot. 3. de anima partic. 17.* vtrumque intellectum, tàm potentia, quàm agentem appellat differentias animæ. ſi autem intellectus potentia eſt generabilis & corruptibilis, numquam poterit cum eo copulari intellectus agens; ita vt ex vtroque fiat vnum principium vitale, vt eſſe deber intellectus in habitu. corruptibile enim, & incorruptibile, cum differant genere, non poſſunt ſimul vniri, tamquam potentia & actus; & ideo, bene deducit Auerroes, quod iuxta talem ſententiam, nulla erit diuerſitas inter copulationem intellectus agentis cum homine, & cum alijs entibus, niſi per diuerſitatem ſuæ actionis in eis. & ſecundum hunc modum, reſpectus eius ad hominem, non erit niſi reſpectus agentis ad hominem, non reſpectus formæ; cum enim talis intellectus ſit, ex aduerſariorum ſententia. prima mens, ac maxime vniuerſalis cauſa, non copulabitur cum homine, niſi eo modo quo copulatur cum alijs entibus, & nulla alia erit diuerſitas, niſi quod in vno operatur vno modo, & in alio alio modo. & ita non cauſabit in homine intellectionem, niſi concurſu quodam vniuerſali; veluti concurrit etiam cum lapide ad grauitandum. Quare neque ego exiſtimarim hanc fuiſſe Alexandri ſententiam, vt propalam circumfertur; non enim adduci poſſum vt credam Alexandrum ingentem philoſophum, peripateticorum omnium poſt Ariſtotelem longe principem, in tam abſurdam conceſsiſſe opinionem, quod etiam *Auerroes* fatetur eodem *commento 36. libri 3. de anima*, vt manifeſtum eſt diligenter legentibus ipſum. quamuis vero ſatis obſcura ſit eius phraſis, non minimam, tamen ex dictis accipiet claritatem. In hac eadem ſententia fuit Auguſtinus Eugubinus, doctrina non minus quàm eruditione clarus, qui *in lib. 9. de perenni philoſophia*, ſtatuit Alexandrum minime exiſtimaſſe, quod intellectus humanus qui dicitur potentia, ſit mortalis, ſed neque quod omnis intellectus agens ſit Deus, ſed tantum hoc Alexandrum accepiſſe de primo intellectu agente. Hanc vero Eugubini ſententiam quamuis alibi fuſius comprobabimus, tamen nunc etiam ex aliquot Alexandri locis, quæ ab Auguſtino minime afferuntur confirmabimus. vt vero

clarius

Digitized by Google

clarius Alexandri sententia nobis innotescat, supponendum est: Alexandrum statuisse in homine duplicem intellectum potentia, quorum vnus alterum recipit. hoc clare apud *Alexandrum* legitur suo *1. libro de anima cap. de intellectu potentiæ siue materiali*. vbi postquam capite præcedente constituerat duas animæ rationalis virtutes, practicam & speculatiuam. hæc habet verba. *Intellectus autem potentiæ, is est, quem tunc habemus cum generamur & in lucem edimur. & is quoque pari pacto duplex; alter alterius suscipiendi vim habens. Hunc vero materialem & vocari, & esse nemini dubium est.* Per hunc vero duplicem intellectum, Alexandrum intellexisse tum phantasiam; tum etiam intellectum proprie dictum minime est ambigendum; partim quia, alia ratione non est assignare tales duos intellectus, à prima origine nobis datos, quorum vnus alterum recipiat; partim etiam, quia consuetum est, apud peripateticos, & maxime apud Aristotelem, imaginatiuam, intellectum appellari, vt apud ipsum videre est *3. de anima partic. 20.* vbi inquit, *separatus autem est solum hoc, quod quidem est, & hoc solum immortale est & perpetuum. Non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile est, passiuus vero intellectus corruptibilis est.* Per intellectum autem passiuum, accepit imaginationem, quemadmodum etiam *2. de anima partic. 155.* Intelligere diuisit in imaginari & existimare; dicant aduersarij quicquid velint, alias ostendant qui sunt hi duo intellectus potentiæ, quorum vnus alterum recepit; statim atque geniti sumus. Hoc autem pacto; bene Alexander cum Aristotele præceptore concordat, qui *1. moralium nicomachiorum cap. vltimo*, sensitiuam animæ partem concupiscibilem; quamuis ratione carentem rationalem tamen appellat, eo quod sit apta nata obsequi, & parere rationi, etiam ipse humanam imaginationem intellectum appellans, eo quod sit apta nata suscipere intellectum, qui vere intellectus potentia dicitur; ac propterea ordinata est ad hanc vlteriorem, & postremam perfectionem suscipiendam, qua homo est homo. Animaduertendum præterea est, quod vtrumque hunc intellectum, vno materialis, siue potentiæ intellectus, nomine appellat, ita vt vtrumque sub eodem nomine confundat, vt patet ex vltimis loci citati verbis, cum inquit. *Et his quoque pari pacto duplex; alter alterius suscipiendi vim habens. Hunc vero materialem, & vocari, & esse, nemini dubium est.*

Ex quibus patet, deceptos hucusque fuisse illos omnes, qui existimarunt Alexandrum asseruisse animum humanum mortalem, quia dixit intellectum potentia esse mortalem, cum per intellectum potentia, duplicem intelligat intellectum, vt dictum est; & cum dicit illum mortalem: de illo intellectu intelligit, qui est susceptiuus vere dicti intellectus,

Digitized by Google

ctus, qui & imaginatiua rationalis est, ac propterea talem intellectum præparationem appellat, quæ omnia non ego, sed Themistius ille, dilucide iuxta sensum quem attulimus, paucis explicauit *in calce cap. 32. libri 3. de anima*, his verbis. *Hoc genus, animalibus non potest contingere, quia in his constitutio animarum, & præparatio contumax ineptaq; est, vt intellectum potentiæ possint recipere, qui ab intellectu agente perficiatur.*

Veluti autem duos intellectus potentia apud Alexandrũ dari monstrauimus. Ita duos intellectus agentes apud eumdem ostendemus; vnum quidem, primum omnium intellectum; ac primã mentem, cunctorum opificem, & authorem, qui proculdubio Deus est; alterum vero ab eo productum, veluti à sole radium; veluti enim radius non est sol, sed lux à sole producta, ita hic alius intellectus agens non est Deus, sed intellectus à Deo productus. Hoc autem clare demonstratur à *Themistio 3. de anima cap. 32* his verbis. *An primum quidem intellectum illuminantem credi vnum oportet, illuminatos vero, & subinde illuminantes multos; quemadmodum, quamquam sol est vnus; tamen lux, quæ de sole procedit, & mittitur, quasi abiungitur ab eo, & diuellitur, atque ita in multos obtutus distrahitur, distribuiturq; ; quam ob rem Aristoteles intellectum non soli, sed lumini comparauit. Plato autem soli, quia intellectum, & animum hominis Deo esse quam simillimum volebat.*

Sed valde obscure ab Alexandro, eo quod multa deficiãt in eius monumentis, quæ ad nos peruenerunt. Is autem *libro suo 2. de anima cum multis capitulis, nempe 18. 19. 20. 21. & 22.* explicasset, non solum causam, ob quam Aristoteles statuit intellectum extrinsecus aduenire; verumetiam multa alia, quæ ex eiusdem sententia ad eumdem intellectum pertinent: id potissimum docuit. quonam pacto intellectus hic immortalis, ac separabilis existens, post mortem remanere poterit, cum neque alio migrare, neque alicubi manere, ac diuersari possit. incorporeus existens, ac immaterialis. Antea vero quam hoc declararet primum statuit modum, quo hic intellectus, & est in corpore, & corpori aduenit. inquit vero, eum esse in corpore, vt substantiam in substantia, & actu semper suas actiones peragere. Corpori autem aduenire, quoties ex corpore temperato ignis genitus fuerit, aut aliquid eiusmodi, ex mixtione procreatum, vt organum possit huic intellectui suppeditare, qui est in eiusmodi mixtione (quoniam est in omni corpore, corpus autem, hoc est.) Quibus verbis partim generationem innuit vltimi gradus sensitiuæ, qui est proxima dispositio ad recipiendũ intellectum extrinsecus aduentantem. partim vero, modum quo adipiscitur intellectus, appellat autem mixtionem, ex qua resultat talis

Digitized by Google

forma, calorem, à prædominio, vt etiam *Aristot.* dixerat *lib. de iuuentute senect. morte, & vita*, quod generatio est participatio animæ sensitiuæ in calido humido; vita autem est eius mansio. gradum vero huiusmodi sensitiuæ, quem imaginatiuam esse diximus. appellat organum diuini intellectus, quem intellectum dicit esse in mixtione, ex qua resultauit forma, quæ est eius organum, nam cum hic intellectus sit in omni corpore, & mixtio huiusmodi sit corpus, necessario, & in ipsa hac mixtione erit hic intellectus, atque ita, non est necesse, ipsum moueri de loco ad locum, vt corpori adueniat; parum autem refert ad rem propositam, siue hoc organum dicamus sumi pro imaginatiua, vt paulo ante monstrauimus, siue pro eo, qui vere dicitur intellectus potentia, vt aduersarij contendent; non enim hoc probare nunc instituimus; sed vtrum vnus tantum sit intellectus agens apud Alexandrum, & is Deus, vel duplex, vt apud Themistium. cum vero hæc dixisset, & ex hoc intellectu, & intellectu potestate intellectum nostrum constare. sumens intellectum potestate, vt supra dixerat, compositum ex duplici intellectu potentia; quorum vnum, alterum recipit. tandem *cap. 23.* declarans, quomodo hic idem intellectus secernitur, siue separatur, hæc habet. *Atque is noster intellectus est. & secernitur sane, quemadmodum etiam concernitur. neque enim alio migrat, sed quoniam vbique est, manet in corpore: quod ex secretione dissolutum est, corrupto, atque abolito organo, velut artifex amissis ferramentis. agit quidem etiam tunc, non tamen materialem, atque organicum actum.*

Ex his autem verbis, nec non etiam, ex alijs, quæ habentur capite proxime præcedente. hoc pacto. *Noster enim intellectus compositus est, tum ex potestate, quæ est organum diuini intellectus, quem intellectum in potestate Aristot. nominat, tum ex illius actu, quorum altero absente, impossibile est, vt intelligamus. Vna enim cum prima seminis emissione est intellectus in actu, qui per omnia penetrauit, & actu existit. velut in alio quodam corpore quorumlibet. postquam vero, etiam per nostram potestatem agit, tunc & noster intellectus is nuncupatur, & nos intelligimus. quemadmodum si quis cogitatione complecteretur artificem, qui nunc sine ferramentis ageret ex arte; nunc cum ferramentis, cum etiam actus iuxta artem circa materiam in ipso est. Eadem quoque ratione & diuina mens semper quidem agit; quam ob rem & est actu, & per organum etiam vbi ex collatione corporum, & temperatura factum fuerit instrumentum eiusmodi. tunc enim materialem quemdam actum agit.*

Ex his inquam verbis manifeste colligitur, intellectum agentem, siue in actu, de quo loquitur Alexander non esse mentem illam primã, & Archetypam, opificem omnium, quam vere ac proprie Deum appellamus.

Digitized by Google

pellamus, ſed eſſe alium intellectum ab illo primo participatum; ac propterea diuinum cognominatum, non ſolum ab Alexandro; verumetiam ab ipſo Ariſtotele quam ſæpiſſime. quod ita probo. Mens illa prima, & nobiliſſima, quæ Deus eſt, quamuis non ſolum per potentiam, & per præſentiam; verumetiam per eſſentiam vbique, & in omnibus ſit, vt non modo Theologi; verumetiam philoſophi ſapienter aſſeruerunt, vt *Ariſtoteles* author eſt *1. de partibus, cap. 5.* & ex propria, & etiam Heracliti ſententia.

Tamen, nullus vnquam ex philoſophis, neque antiquis, neque recentibus audebit dicere, ipſam ita cuiuſque hominis caduco, & corruptibili corpori addictam eſſe, vt cum ipſo, aut cum aliqua ipſius facultate tamquam organo operetur; id enim ſatis vile, atque abiectum eſſet de ſummo, ac perfectiſsimo rerum omnium principio cogitare, quem, vel ipſi cælo coniunctum eſſe *Ariſtot. 8. phiſicor.* demonſtrauit abſurdum. At vero citatis verbis, aperte Alexander fatetur, intellectum in actu, coniungi cum intellectu poteſtate, qui eſt eius organum, ipſumq; eumdem, vna cum prima ſeminis emiſsione eſſe, ac poſtquam per noſtram poteſtatem egerit: tunc noſtrum intellectum nuncupari; & nunc per inſtrumentum corporeum agere; atque materialem actum exercere; nunc vero ſine inſtrumento, quemadmodum artifex, qui modo cum ferramentis, modo ſine ferramentis, ex arte operetur. Non eſt igitur opinandum, Alexandrum exiſtimaſſe huiuſmodi intellectum, de quo ita loquitur, eſſe Deum. ſed ipſe met ſuam ſententiam aperit, diligenter aduertentibus; non ſolum hoc loco; verum etiam *2. naturalium quæſtionum*; quamuis ſatis obſcurus ſit, & varius. credo ob multa, quæ deficiunt in codice, iniuria temporum deprauato.

Vt autem ipſam clarius percipiamus, ſupponere oportet, quæ ipſe docuit *2. libro naturalium quæſtionum, cap. 3.* vbi ſtatuit à diuino corpore, hoc eſt à cælo, comunicari inferioribus elementorum corporibus, non ſolum motus, & quietis, verumetiam animaſticum principium, quod diuinam potentiam appellat, ſequutus Ariſtotelis doctrinam *2. de generatione animalium, cap. 3.* vbi inquit, contineri in ſemine ſpiritum, & naturam, quæ proportione reſpondet elemento ſtellarum, atque omnem animæ virtutem, ſiue potentiam, corpus aliud participare, idq; magis diuinum, quam ea, quæ elementa appellantur, verum prout nobilitate, vel ignobilitate inter ſe differunt animæ, ita & naturam eius corporis differre. hoc vero corpus partim eſſe ſeparabile à corpore, vt in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ

Digitized by Google

mens appellatur. partim inſeparabile, quibus poſtremis verbis, philoſophus duplex corpus diuerſis animabus, ſiue animæ virtutibus aſſignat, vnum quidem ſeparabile, ijs animabus, quæ diuinum quid comprehendunt; mentem ſcilicet, & intellectum. alterum vero inſeparabile, ijs, quæ mente, & intellectu carent. vt nos ſupra fuſius paulo poſt initium huius libri explicauimus. Hanc eamdem ſententiam ſequutum fuiſſe Alexandrum, atque ita noſtrum intellectum diuinum appellaſſe, ex verbis à nobis allatis palam eſt. non autem proprie ac vere Deum, vt perperam aduerſarij exiſtimarunt. inquit enim loco citato *cap. 23. Atque is noſter intellectus eſt, & ſecernitur ſane; quemadmodum etiam concernitur, neque enim alio migrat, ſed quoniam vbique eſt, manet in corpore, quod ex ſecretione diſſolutum eſt. corrupto, atque abolito organo.*

Corrupto igitur corpore, remanere inquit intellectum in eo corpore, quod ex ſecretione, hoc eſt, poſt corruptionem viuentis corporis diſſolutum, hoc eſt, ſeparatum eſt; hoc autem eſt illud corpus, quod Ariſtot. dixerat eſſe ſeparabile, ratione cuius, dicit Alexander, ſecerni atque concerni intellectum, hoc eſt, corpori aduenire, atque ab eodem ſeparari, non quod ipſe intellectus per ſe alio migrare, vel aliunde aduenire dicatur, non enim capax eſt motus, cum incorporeus ſit, ſed ratione huius corporis in quo eſt, non tamquam in organo, quod viuificet, ſed tamquam in vehiculo, quo mediante, cum ſit omnino incorporeus, & immaterialis, materiæ, & corpori coniungatur, quod corpus, æthereum vehiculum; non modo cum Platone & Platonicis; verumetiam cum Ariſtotele, & Alexandro legitime appellare poſſumus, vt fuſe à nobis ante explicatum fuit, vbi hanc ipſam ſententiam, tamquam Ariſtotelicam fuiſſe à Marco Tullio recenſitam, & poſtea à Beſſarione Cardinali Nicæno, viro doctiſſimo, confirmatam, oſtendimus. Hoc corpus, quod vehiculum eſt animarum, aperte fuiſſe ab Ariſtotele poſitum, apud ipſum legere eſt *libro 3. de generatione animalium cap. 2.* his verbis. *Generantur autem in terra, humoreq; animalia, & plantæ, quoniam humor in terra, ſpiritus in humore; calor animalis in vniuerſo inest, ita vt quodam modo plena ſint animæ omnia.*

Neque hoc quod diximus de corporeo animæ, aut intellectus vehiculo, illis repugnat Ariſtotelis dogmatibus, quibus docuit *1. de anima*, animam non eſſe corpoream, neque ex aliquo tenui, & ſubtili corpore, vt ignem, aut aerem, velut exiſtimarunt antiqui; nos enim non aſſerimus animam eſſe corpus, quod impugnatum fuit ibi ab Ariſtotele; neque animam eſſe in hoc corpore tamquam in organo, quod viuificet, & cum quo operetur, quod pariter improbatum fuit, ſed

neque

Digitized by Google

neque hoc vti, vel indigere intellectum, in propria operatione, cum illi potius impedimento sit corpus ad intellectionem, & melius illi sit sine corpore esse, quàm cum corpore; vt *primo de anima* dixerat; sed ipso indigere, tamquam medio, quo vniatur corpori, tam diuersa, atque dissita à seipso natura, atque substantia prædito. Ita, de intellectu agente, qui nobis vnitur, atque in nobis est principium intelligendi, existimasse Alexandrum, ex eius dictis colligo. Alium quoque ipse innuit intellectum, in hoc eodem capite, de quo satis confuse, & obscure loquitur, ita vt, aut Deum significare velit, aut causam aliquam, longe superiorem eo intellectu, qui in nobis est agens. his verbis. *Verba præterea illa quæ in tertio de anima habentur, his accommodanda esse affirmabat. Quin etiam habitum, & lumen ad eum referri, qui vbique est. Is autem intellectus, siue solus ipse res gubernat, quæ in hoc orbe sunt, ad relationem diuinorum, & concernit ac discernit. vnde ipse intellectum in potestate creat, siue cum ordinato, certoq; cælestium motu. (ab eo enim res, huius orbis gignuntur accessione præsertim, & recessione solis.) siue ab eo procreantur, & ab intellectu nostro. Vel ab his quidem, & ab eorum motu natura ipsa proficiscitur, ipsa autem res singulares, vna cum intellectu gubernat. reclamare his tunc videbatur, vt intellectus cum diuinus existat, in vilissimis, pessimisq; versetur. id quod Stoici opinati fuerunt, & vt sit omnino in rebus, quæ in hoc orbe sunt intellectus, & præcipua ac primaria quædam prouidentia. præterea, vt intelligere in nobis non sit, neque id nostri muneris sit, sed vt nobis, vbi primum in lucem editi simus, naturaliter insit constitutio intellectus in potestate, & organici, vna cum actu per intellectum extrinsecum, qui non mutat locum eum, qui dum res intelligitur in aliquo fit. Neque enim sensilium formæ postquam ipsas perceperimus insensorys ceu locis suis fiunt. separabilis vero dicitur intellectus extrinsecus, & separatur à nobis, non tamquam aliquo migrans, locumq; commutans, sed separabilis quidem dicitur, tamquam per se existens, & non cum materia. separatur autem à nobis, quoniam non intelligitur, non quod alio demigret. Ita enim in nobis quoque gignebatur.*

Quæ verba diligenter legantur velim, & ponderentur à studioso lectore. Duos enim diuersos intellectus separatos, manifeste significant illa potissimum. *siue ab eo procreantur, & ab intellectu nostro.*

Interruptus vero verborum sensus, & in multis minime continuata, nec sibi cohærens dictorum series; suspicionem faciunt, multa deficere, quæ claram authoris sententiam redderent, si adessent. Non mirum autem est, si multa de vtroque confuse vsurpantur, quæ nonnisi alterutri ex ipsis competere possunt, cum eam inter se vterque hic intellectus apud Aristotelem, & alios peripateticos affinitatem habeant.

Digitized by Google

beant, quam habet radius ad solem. Hæc vero, quæ de Alexandri sententia à me dicta sunt, quæ non dubito paradoxa apud quamplurimos futura; ita dicta existimentur, vt si quis veriorem aliquam interpretationem afferat, me, etiam in ipsam facile concessurum putetur; sed iam plus satis à proposito digressi sumus. vt vero vnde discessimus reuertamur. Abunde ni fallor, ac luculenter eam, quam assumpsimus prioris argumenti propositionem demonstrauimus, tum ex Aristotelis, & Alexandri, tum etiam aliorum peripateticorum sententia. nempe, intellectum nostrum, separata intelligere, vel intelligere posse. ad quam necessario sequitur, & eius substantiam separatam, aut separabilem esse, & immortalem, tum quia, proportionatam esse oportet potentiam ad obiectum, tum quia in ijs, quæ separata sunt à materia, idem omnino est intelligens, & intellectum; de quo in sequenti fusius agemus; quandoquidem affluente nobis scribendi materia, in tam ardua disputatione, quam prosequuti fuimus, nimis in longum protraximus præsens caput, ita vt, argumentum alterum, quod proposuimus prosequi non licuerit.

Alterum ex eodem loco argumentum affertur, responsiones aduersariorum recensentur, & confutantur. Cap. XXXI.

NEc minus valida, ex eadem Aristotelis sententia, quam explicauimus, desumitur pro immortalitate humani intellectus argumentatio, huiusmodi. Omne immateriale est immortale, sed humanus intellectus est immaterialis, ergo humanus intellectus est immortalis, maior propositio est euidens, apud philosophos, minor autem probatur dupliciter; primo ex clara Aristotelis confessione *in calce particulæ 15.* his verbis. *Quare illis quidem non inerit intellectus, sine materia enim potentia est intellectus talium.* Secundo ex necessaria ab his, quæ Aristoteles hic docet deductione; cum enim Aristoteles dubitationem proposuisset, quomodo intellectus intelligit se, an quatenus intellectus, vel alia ratione, & alia ratione minime se ipsum intelligere dicendum sit, quia tunc ipsi aliquid inesset, ratione cuius seipsum intelligeret, cuius contrarium supra statutum fuerat cum Anaxagora,

Digitized by Google

xagora, qui illum ſimplicem & immixtum dixit. Iterum dubitauit, ſi ſeipſum intelligit, quatenus eſt intellectus. ergo quicquid eſt intelligibile eſt intellectus; cum enim propoſitio ſecundum quod ipſum ſit conuertibilis, ſequitur. Intellectus, vt intellectus, eſt intelligibilis, ergo intelligibile, vt intelligibile eſt intellectus, quod manifeſte eſt abſurdum, nam multa materialia ſunt intelligibilia, & tamen non ſunt intellectus, vt lapis eſt intelligibilis; ſed tamen non eſt intellectus.

Ad hanc vero dubitationem reſpondens, poſt aliqua interiecta verba dixit: *In habentibus autem materiam, potentia ſolum vnumquodque eſt intelligibilium. Quare illis quidem non inerit intellectus, ſine materia enim potentia eſt intellectus talium. ille autem intelligibile erit.*

Quæ verba communi omnium Doctorum conſenſu, tum illorum qui pro nobis ſtant, tum etiam illorum qui nobis aduerſantur. hunc ſenſum habent, vt philoſophus facta intelligibilium diſtinctione in ea, quæ actu ſunt intelligibilia, & ea, quæ poteſtate, ſoluat quæſtionem, dicens non omne intelligibile eſſe intellectum; ſed tantum intelligibile immateriale: rationem autem attulit, quia ſolum immaterialia ſunt intelligibilia actu, in habentibus autem materiam, potentia ſolum eſt, vnumquodque intelligibilium; quare cum intellectus ſit potentia ſine materia, illud tantum intelligibile erit intellectus, quod eſt ſine materia, quodque eſt intelligibile actu. ex quo neque lapis, neque aliquod aliud materialium, quamuis intelligibilia ſint, erit intellectus. Non conuertitur ergo ſimpliciter propoſitio, intellectus, vt intellectus eſt intelligibile. ergo intelligibile, vt intelligibile eſt intellectus, quia neque ſimpliciter eſt, ſecundum quod ipſum; nam intellectus, vt intellectus non eſt intelligibile ſimpliciter, ſed in actu, ergo non intelligibile ſimpliciter, ſed intelligibile in actu eſt intellectus. Ex qua Ariſtotelis ratiocinatione, concluditur manifeſte, intellectum humanum eſſe immaterialem, alias neque eſſet intelligibile actu, neque eſſet ſimul intelligibile, & intellectus, cum horum vtrumque ſine materia eſſe, ab Ariſtotele perhibeatur; ſed videamus, quid ad hæc aduerſarij. *Petrus Pomponatius lib. 1. ſuæ Apologiæ cap. 5. Simon Portius libello de mente humana cap. 19. Zabarella in commentarijs, ſuper 3. de anima, in expoſitione text. 15.* omnes vnanimi conſenſu reſpondent, intellectum humanum non intelligere ſe ſicut vere, & actu intelligibilia, hoc eſt ſicuti intelligentiæ ſeipſas intelligunt; non enim intellectus humanus ſeipſum per ſuam eſſentiam intelligit, ſicut intelligentiæ, ex Ariſtot. ſententia; ſed per aliorum ſpecies, & ita

Digitized by Google

minime sequi intellectum humanum esse immaterialem; sunt autem hæc Pomponatij verba, pradicto cap. paulo infra medium. *Ad quintum vero, quod adducebatur dicimus, quod ex eo quod seipsum cognoscit, & actum suum, separatq; actum ab essentia, arguimus ipsum non esse sensum, verum ex eo, quod non se primo cognoscit, neque per sui essentiam, sed per aliorum species, scimus ipsum non esse vere abstractum, quoniam vere abstracta se per se, & se primo cognoscunt, & deinde alia, vnde est naturæ mixtæ ex abstracto, & non abstracto, quamquam magis absolute teneat de non abstracto, quam de abstracto. Nam quemadmodum in humano animo non vere, idem est, quod intelligit, & quod intelligitur, ita non vere inter abstracta debet connumerari, licet aliqualiter, idem sit intelligens, & quod intelligitur, sicut & aliqualiter est abstractum; immo cum in sensu; sentiens sit ipsum sensatum, sensus & abstractus dicitur. secundo namq; de anima proprium est vnicuique sensui esse receptiuum specierum sine materia.*

Sed hæc ipsorum responsio, quamuis speciosa tatis sit prima facie, & valde plana; tamen si diligenter considerentur Aristotelis verba, absurdissima est, & illis maxime aduersatur; si enim intellectus nullo alio modo seipsum intelligit, quam intelligendo species intelligibiles, quas habet, & per quas efficitur, & est actu, frustra adducta est ab Aristot. distinctio de duplici intelligibili, actu scilicet, & immateriali, ac potentia, siue materiali, quinimmo neque soluit dubitationem propositã, neque docet quomodo in ijs, quæ carent materia, idem sit intelligens, & intelligibile; primum autem ita probo, si intellectus semper intelligit se, intelligendo species, ergo semper intelligit se, sicut intelligibilia potestate, numquam sicut intelligibilia actu, probatur sequela; quia species, quæ sunt in intellectu, sunt intelligibilia materialia, quamuis enim percipiantur immaterialiter; tamen dicunt, & repræsentant essentiam in materia, tã si sint intelligibilia phisica, quam si sint mathematica, vt hoc eodem capite docuit Aristot. necnon etiam infra capite 6. & contra hæc Aristoteles distinxit intelligibilia actu, in quibus idem est esse, & essentia; neque vero admittenda est Portij, & Zabarellæ responsio, dicentium, vocari, has species intelligibiles potentia, quia esse ipsarum sit in materia in actu; tunc vero dici intelligibiles actu; cum per abstractionem effectæ spirituales sunt in intellectu, & ita idem fiunt, quod intellectus; nam præterquam quod afferre hanc distinctionem, non esset afferre distinctionem de duplici intelligibili; sed de duplici re, vna sensibili, quæ est in materia, & extra animam, alia vero, quæ est immaterialis, & in anima; cuius contrarium Aristot. iam statuit in hoc capite, dicens, duplex esse intelligibile; vnum materiale, cuius esse diuersum est ab essentia; alterum vero immateriale, in quo esse,

Digitized by Google

esse, est idem cum essentia; Nimis stolidus fuisset Aristot. qui de intelligibili extra animam posito dubitationem attulisset. puta, vtrum lapis extra animam sit intellectus. soluens vero dubitationem, valde remote, & improprie res materiales, & concretas, intelligibiles appellasset, cum neque sensibiles esse possint, proprium namq; est vnicuique sensui percipere formas sine materia.

Præterea neque solueret propositam dubitationem; nam dum proponit dubitationem, sumit terminos in vna significatione, & dum soluit, sumit illos in alia. Proponit namq; quæstionem. vtrum intellectus sit intelligibilis, quatenus intellectus, vbi intelligibile sumitur stricte, ac proprie pro intelligibili perceptibili ab intellectu in potentia propinqua; nullus enim vnquam existimabit Aristotelem dubitasse, vtrum intellectus quatenus intellectus, sit Asinus extra animam, quamuis asinus sit intelligibilis, vt est ens quodam. cum autem soluit, sumit intelligibile communissime pro quolibet ente, etiam extra mentem existente. vnde iuxta ipsorum expositionem, ita responderet Aristot.; nempe quod non quodlibet intelligibile est intellectus; nam intelligibile materiale, quod est extra mentem, & est intelligibile potentia, non est intellectus.

Adhuc tertio, neque doceret quomodo in non habentibus materiam, idem sit intelligens, & intellectum; si enim propterea essent idem, quia intentionaliter, vt dicunt, non autem quia realiter, sequeretur, quod sensus esset potentia immaterialis, cum intentionaliter idem sit, sensus actu, quod sensibile actu, & è conuerso, vt *Aristot.* docuit *2. de anima partic. 138.* aut falsum esset, quod assumitur, in carentibus materia, idem esse cognoscens, & cognitum, cum hoc pariter esse, & in materialibus potentijs conspiciatur; neque verum vnquam esse posset, intellectum esse intelligibile, & intelligibile esse intellectum; nam quamuis intellectus cognoscens lapidem, intentionaliter fiat lapis, quia concipit formam lapidis; tamen numquam poterimus dicere, lapidem fieri intellectum, quia intellectus est substantia; lapis autem conceptus ab intellectu, est accidens. quare & vehementer miratus sum, Zabarellam in expositione huius loci, vt suam sententiam tueretur, non fuisse veritum dicere, quod lapis in anima existens, est intellectus, & intelligens, quod quantum sit absurdum, vnicuique est manifestum. Vidit Iulius Castellanus, vnus ex aduersarijs, quã aliena ab Aristot. esset huiusmodi expositio. & veritate compulsus, coactus est Portium redarguere, quamuis in cæteris eius assecla, ac imitator fuerit; is autem *lib. 3. de intellectu humano cap. 6.* exponens

Digitized by Google

nens hunc Ariſtot. locum, hæc habet verba. *Hæc ſecunda eſt difficultas, quam paulo poſt in 15. contextu, ita remouet Ariſtot. dicens, intellectum eſſe quidem intelligibilem, ſed vt ipſa intelligibilia; nimirum vt beatæ, ac ſempiternæ mentes. Etenim per hæc verba (ſicut ipſa intelligibilia) non debemus interpretari materialia, ſed immortales, ac diuinas mentes, quæ vere ſunt intelligibilia, & dicuntur, neque prorſus ridicula (quod cenſuit, neſcio qua ratione Portius) nec extra propoſitum eiuſmodi fuerit explicatio. nam ex duobus ſupra poſitis membris, alterum negat Ariſtoteles, ſcilicet intellectum eſſe intelligibilem, vt reliqua materialia, ſed eum vult eſſe intelligibilem, vt vera intelligibilia, quæ formæ dicuntur ſeparatæ, quod clariſſime oſtendit, hæc ſtatim pro ratione ſubiungens (in ijs enim, quæ ſunt ſine materia, idem eſt quod intelligit, & quod intelligitur: ſcientia namque ſpeculatiua, & ipſum ſcibile idem eſt; cur autem non ſemper intelligat cauſa conſideranda eſt, in habentibus autem materiam, potentia ſolum vnumquodque eſt intelligibilium, quare illis quidem non inerit intellectus, ſine materia enim potentia eſt intellectus talium, ipſe autem intelligibile erit). Quæ ſane omnia præter rem forent pronunciata, ſi ſtatuerimus intellectum noſtrum eſſe intelligibilem, ſicut reliqua materialia. Intellectus ergo; hæc enim eſt huiuſmodi verborum ſententia, eſt intelligibilis quatenus intellectus, atque, vt vera ſunt intelligibilia, quoniam nulla materia eſt implicatus, ſed actu intelligibile eſt, neque agente intellectu indiget, qui eum actu reddat intelligibilem, ſicut intelligibilia poſtulant materialia.* Hæc ingenue confeſſus eſt Caſtellanus, quamuis immortalitatis, & ipſe oppugnator. Confeſſi etiam ſunt, & Pomponatius, & Portius, & Zabarella. Pomponatius namq; loco citato inquit, quod intellectus ex eo, quod ſeipſum cognoſcit, & actum ſuum, ſeparatq; actum ab eſſentia: arguitur, quod non ſit ſenſus, quare & ipſum ſtatuit naturæ mixtæ ex abſtracto, & non abſtracto; quod tamen impoſſibile eſt, quia eſſe abſtractum, & non abſtractum, dicit contradictionē, vt fuſius ſuo loco dicemus. & *Portius cap. 19.* inquit, intellectū ſpeculatiuum, idem eſſe cum re intelligibili, quia nulla actio corporalis, cum actione ſpeculandi communicat, & *Zabarella in explicatione huius partic. 16.* clarius id confirmat, his verbis. *Ideo eſt in hac parte notandum, quod id, quod hic de intellectu Ariſtot. dixit, verum eſt aliquo modo etiam de ſenſu, dicit enim in contextu 121. & 138. ſecundi libri, quod ſenſus recipit ſpecies ſine materia, & addit, quod ſenſibile actu, & ſenſus actu, ſunt idem; nihil enim aliud eſt viſus in actu, quam viſio, & nihil aliud eſt viſio, quam color in oculo ſpiritualiter receptus; cum igitur color ille ſit ſpecies ſine materia, vt ibi dicit Ariſtot. & viſus fiat quodam modo res viſa; ſequitur quod modo quodam, etiam viſus in actu, eſt ſine materia; multo tamen minus, & aliter quam intellectus, quod oſtendo, tum ratione ipſius facultatis, tum ratione obiecti; nam po-*

tentia

Digitized by Google

tentia ſenſitiua eſt organica, ideo in ſua operatione eſt materialis quodam modo, quia in recipiendo vtitur corpore: eſt tamen aliquo modo immaterialis ratione iudicij, quia ſola ipſa anima iudicat, at intellectus, neque in iudicando, neque in recipiendo vtitur corpore; ideo eſt magis immaterialis, quam ſenſus, & magis vnitur cum intelligibili, quam ſenſus cum ſenſibili.

Ex hac vero ipſorum confeſſione, manifeſte habetur, intellectum eſſe vere immortalem, & ſeipſum intelligere, tamquam vere intelligibilia, & immaterialia, ſi enim ex *Ariſtot. 2. de generatione animalium cap. 3.* hæc conuertuntur non vti corpore, & eſſe ſeparabile à corpore; quorum enim actio ſine corpore eſſe poteſt, hæc à corpore ſeparabilia ſunt. proculdubio cum operatio intellectus ſpeculatiui cum actione corporis non communicet, & ipſe intellectus à corpore, & omnino à materia ſeparabilis erit, & cum ſeipſum intelligit, tamquam vere intelligibile, & à materia ſeparatum intelligit, quod ſi ita Ariſtotelem exponamus, vt etiam græci cenſuerunt, ac dicamus, intellectum ſeipſum intelligere, vt vere intelligibilia, quæ immaterialia ſunt, protinus, manifeſta erit cauſa dubitationis, quam ſubnectit, necnon etiam quare ipſam ſtatim non ſoluit, ipſam vero conſiderandam proponit.

Si enim intellectus ſua natura eſt intelligibilis, vt actu intelligibilia, cum ſemper ſibi ipſi ſit præſens; quare ſeipſum non ſemper intelligit, huius vero cauſam conſiderandam proponit; quam ſequenti capite conſiderat, inquiens, in anima intellectiua duas eſſe differentias, ſecundum quas intellectus dicatur; alius quidem patiens, alius vero agens, ita vt patiens cum ſit poteſtate, alio indigeat, à quo fiat actu, atque ita ſeipſum non poſſit intelligere niſi per ſpeciẽ, quæ in ipſo ſit actu; ac proinde ſeipſum non ſemper intelligat; Agens vero cum actus ſit, & energia, atque actu intelligibile, & intelligens, non aliquando quidem intelligit, aliquando vero non, vt Ariſtot. ſequenti capite docebit; ſed ſemper intelligit. Non ita vero Ariſtot. dicit, quemdã intellectum eſſe paſſiuũ, quemdam vero actiuũ, quaſi duo ſint intellectus, natura & ſubſtantia diſtincti, paulo enim ante determinauerat, in vna, & eadem anima has eſſe differentias, ſed vnum & eumdem intellectum, quatenus particula animæ eſt, & potentia eius animæ, quæ eſt actus, & entelechia corporis, intellectum paſſiuum dicit, & potentia, cum nonniſi ope ſenſuum ſibi obiecta miniſtrantium, in quibus intelligat, ſpeculari poſſit. Quatenus vero intellectus eſt, & nullo corporis adminiculo indiget, nec quoad eſſe, neque quoad operari: cũ melius ſit intellectui ſine corpore eſſe, quã cũ corpore, vt Ariſtot. dicebat *1. de anima partic. 49.* catenus eum agentẽ, ſiue actu intellectũ appellat, neque vllum inconueniens

ueniens eſt, vnũ, & idem diuerſa ratione eſſe actu & poteſtate, quamuis ſimpliciſſimũ ſit, veluti vna, & eadem linea curua, dicitur diuerſa ratione cõcaua, & conuexa. Ita & natura humani intellectus, quatenus gradus eſt animæ, & corpori copulatur, vt eius perfectio, & principium operandi eatenus potentia eſt, quatenus vero in ſui natura, & eſſentia conſideratur, & eſt intellectus, eatenus actus eſt, & efficiens.

Ita vt de hoc intellectu id dicere nobis liceat, quod de homine Mercurius ille Triſmegiſtus in Aſclepio docuit, ipſum medietatis loco feliciter eſſe poſitum, veluti enim homo animo immortalibus cognatus eſt, corpore vero mortalibus, ita & noſter intellectus ex Ariſtot. ſententia, quatenus coniungitur ſenſibus, paſſiuus, ac poteſtate eſt, quatenus vero in ſeipſo manet, vt verbis Simplicij vtar, efficiens eſt, & actus, ſed hæc pro tempore dicta ſint, tertio enim libro hanc quæſtionem ex præſcripto peripatetico fuſius examinabimus, vbi ea, quæ in ſequenti capite pro immortalitate intellectus ab Ariſtotele afferuntur, pariter põderabimus, quæ à nobis conſulto nunc prætermiſſa ſunt, quandoquidem adhuc minime liquet, vtrum intellectus agens, de quo Ariſtot. infra ſermonem habebit, ſit particula noſtræ animæ, & ad nos pertineat perficiendo eſſentiam, an vero ſit intellectus alius, à nobis prorſus ſeparatus, & Deus, qui tantum erga nos ſe habeat, vt lumen, & habitus, vt noſtris aduerſarijs magis placuit. Nunc vero quandoquidem prolixæ nimis ex multis locis moſtrauimus, Ariſtot. manifeſte, & diſertis, vt aiunt, verbis, non autem obſcure, & dubie, immortalitatem humani animi pronunciaſſe. Omnesq; reſponſiones, & interpretationes quas ad prædicta loca huc vſque aduerſarij attulerunt, confutauimus. Ad ſecundum librum, Deo iuuante, properabimus, in quo non amplius authoritate, ſed ratione certabitur.

Libri Primi finis.

IVLII

Digitized by Google

IVLII CAESARIS LAGALLA

DE IMMORTALITATE ANIMORVM ex Aristotelis sententia.

LIBER SECVNDVS.

Proponitur Methodus dicendorum. *Cap. I.*

PRAECEDENTE libro; in explicando eo, quod primum in quæstionem venit; opus nostrum, & labor fuit. est autem quod primo quæritur, vt Aristotelis more loquamur; An est, siue quia est, quod cum duplici pacto cognosci possit, confuse scilicet, & distincte ex eodem *Aristot. 2. Analiticorum posteriorum*. confuse vero de ipso in priore libro fuerit disputatum; nunc de eodem distincte quærendum est. Cum vero, distincte quærere ipsum an est, sit ipsius causam venari, & indagare, & supra statutum fuerit, ex Aristotelis authoritate, humanum intellectum esse immortalem, nunc immortalitatis causam, per quam humano intellectui inest, inuestigare, ac diligenter perquirere est necessarium.

Verum quia, vnumquodque quæsitum, tunc per causam demonstratur, cum per essentiam, & quidditatem subiecti, cui competit demonstratur, subiectum autem, de quo quæritur immortalitas, intellectus scilicet, est substantia simplex, de qua nullam accipere possumus cognitionem, cum sensibus non subiaceat. inde est, quod difficillimum,

Digitized by Google

limum, aut etiam impossibile fore iudicem, rationem aliquam, vel argumentum afferre, quo à priori, certissima ratione, solo tantum naturalis luminis ductu, humani intellectus immortalitas demonstretur; accedit etiam, quod si intellectus humani naturam immortalem constituerimus, nullam ipsius causam ex Aristot. principijs poterimus assignare, cum sempiternorum, tamquam immobilium nulla sit causa, vt *Aristot. 3. metaphisic. cap. 3.* docuit, neque enim efficientem habere possunt, quo namq; modo possibile est, motus principium in immobilibus esse, neque finalem, cum ipsamet sibi ipsis bonum sint, & finis, quare & immobilia sunt, sine motu autem; non adipiscimur finem; nec minus materialem, cum prorsus simplicia sint, ac omnis materiæ, & potentiæ experti; restat igitur, vt per nullum genus causæ, de immortalibus, aliquid, ac sempiternis monstrari possit. Vna itaque, reliqua est via, à posteriori scilicet, & ab effectu, nobis cogenita & vernacula, qua, ea quæ priora sunt, & sua natura magis nota elucidari nobis, atque innotescere possunt. Hac itaque duce de immortalitate humani intellectus differere aggrediemur, ab eius operatione, eius naturam, & essentiam arguentes; veluti enim ex transmutatione materiam; ita ex operatione formam cognoscere, natura nos docuit. Est autem in rebus arduis duplex argumentatio, per quam veritas cognosci, aut iam cognita, & concepta manifestari possit, vna quidē ostensiua appellata; altera vero deducens aduersarium ad impossibile; Ex his prior, veluti præstantior, ac magis certa, ita difficilior, ac minus prompta; altera vero quamuis certitudine inferior, & acriuia, expeditior, tamen magis, ac magis efficax est, ad redarguendam aduersariorum improbitatem, eorumq; perduellem contumaciam edomandam. Vtraque igitur mihi proposita, posteriorem præmittendam censui, tum vt magis facilem, tum etiam, vt omnibus magis notam, primam vero validiore milite armatam, tamquam triariorum cohortem, posteriore loco collocabo, ita vt tota hæc disputatio duabus partibus concludatur, in quarum prima, aduersariorum sententiam, in Aristotelis doctrina, & principijs, falsam, & impossibilem esse ostendemus. ex quo necessario deducitur, nostram sententiā, quæ illi contraria est, aut contradictoria, esse verā; In altera vero immortalitatem intellectus humani veram esse, & apud Aristotelem, & ex naturæ principijs, qua maxima poterimus certitudine; (humana tamen) demonstrabimus, aut saltem, illam summe probabilem, & non solum Aristotelis; verumetiam omniū hominum placitis quā maxime consentaneam ostendemus; ita vt ad eam, nihil falsum, nihil impossibile,

nihil

Digitized by Google

nihil absurdum sequi, non modo ex constituto, ac præscripto naturæ ordine; verumetiam ex Aristot. decretis, non difficile sit ostendere, quod, Deo iuuante, suis iactis fundamentis in tertio libro præstabimus.

Alexandri, & quorumdam eius sectatorum sententia, recensetur. Caput II.

PRIMVS omnium, quos ego sciam, qui Aristoteli hanc notam impegit, tamquam humanum animum generabilem, & corruptibilem existimauerit, atque pronunciauerit; fuit Alexander ille Aphrodisæus, qui Seuero, & Antonino Cæsaribus, tantam in peripatetica philosophia sibi authoritatem comparauit, vt eorumdem Imperatorum testimonio ἐξηγητής, hoc est Doctor, siue expositor, & interpres cognominatus fuerit, vt ipsemet in procœmio libelli de fato prædictis Imperatoribus nuncupato testatum posteris reliquit.

Alius enim Alexander Ægeus, qui longe ante ipsum commentaria scripsit in Aristotelis metaphisicã, quamuis falso à Sepulueda Aphrodiseo sint attributa, vt fusius præcedente libro cap. 8. monstrauimus, nequaquam ausus est, hoc Aristoteli crimen inferre, quinimmo in expositione *partic. 17. libri 12. metaphisicorum*, Aristotelem statuisse humanum animum immortalem aperte profitetur, neque Diogenes Laertius, neque Plutarchus in placitis philosophorum, quamuis hic Aristotelem animam dixisse entelechiam referat; hanc illi sententiam tribuerunt. Ab Alexandro vero non defuerunt viri grauissimi, qui ita Aristotelem censuisse serio affirmarunt, inter quos non modo vterque Gregorius Nissænus, & Nazianzenus, vnus in libro de anima & resurrectione, quamuis Aristotelem è nomine non recenseat; alter vero oratione prima de Theologia; verumetiam Iustinus philosophus & martyr, oratione parenetica ad gentes, & Galenus libro quod animi mores sequantur corporis temperaturam cap. 4. vbi Andronicum peripateticum antiquissimum Aristot. interpretem, qui Catonis Vticensis temporibus vixit. huius sententiæ assertorem commendat, quorum postremi, etiam Aphrodisæi temporibus floruerunt, quamuis ipso aliquantulum iuniores. Hos vero omnes hoc de Aristotele opinatos fuisse, censendum est, ob præiudicatam tanti philosophi authoritatem in Aristotelis dogmatibus, cuius testimoniũ grauissimum

uissimum reputari omnium consensione videbant. Accedit, quod non fuit difficile hoc religiosis, atque Christianis viris persuadere, qui adhuc superbientem Etnicorum philosophorum audaciam, obiectis eorum erroribus, & nepharijs sententijs infringere nitebantur. Cum hoc igitur strenuissimo aduersariorum Duce Alexandro, nobis initium certaminis erit. Primum vero eius sententiam non modo, vt apud ipsum varijs locis legitur; verumetiam vt apud eiusdem assecias, ac potissimum apud Portium fortissimum commilitonem communita, atque cataphracta proponitur, fideliter explicabimus.

Quamuis autem non parum difficile sit, hac in re Alexandri sententiam aperire, cum toto illo processu *secundi libri de anima à cap. 13. vsque ad cap. 24. inclusiue*, necnon etiam *1. lib. à cap. 21. vsque ad 28.* in quibus de intellectu agit: obscure satis, ac ita varie locutus fuerit, vt ex eius verbis; si quis diligentius consideraueritnon minus immortalitas humani intellectus, quam mortalitas colligi possit, vt aliquo pacto superiore libro etiam declarauimus; necnon fusius, Deo dante, suo loco monstrabimus; tamen ipsam nunc prout ab aduersarijs, necnon etiam à nostris recensetur, & apud eumdem ipsum multis locis legitur, recitabimus.

Duos apud Alexandrum legimus in homine intellectus, præter eas differentias, quæ non ab essentia, sed ab operatione desumuntur, cuiusmodi sunt, intellectus in habitu, in actu, speculatiuus, & practicus. Possibilem scilicet, siue potentia, quem, & materialem intellectum dicunt, & agentem, siue efficientem, aut actiuum, & actu intellectum, de quibus Aristoteles sermonem habuit *libro de anima tertio:* eosdemq; prædictis nominibus nuncupauit; ac de vno quidem *capite primo*, de altero vero *cap. 3.* loquutus fuit. Ex his vero intellectum potentia appellatum: esse hominis constitutiuum, quem tunc habemus, cum generamur, & in lucem edimur, vt *Alexander* inquit *1. de anima cap. 22.* quia vero huius intellectus natura nihil aliud est, nisi, quod sit possibilis, vt *Aristot. 3. de anima partic. 5.* dixerat; hinc factum est, vt Alexander existimauerit, hunc intellectum non esse aliquod ens actu, sed esse simpliciter, & absolute potentiam, & potentiam eius animæ, quæ est entelechia, susceptiuam formarum, & intellectionum; ex quo intellectus materialis nomen sortitus est; veluti enim materia, potentia se habet ad suscipiendas omnes formas sensibiles; ita hic intellectus, potentia est, ad suscipiendas omnes formas intelligibiles. quare & agrapho ipsius tabulæ ipsum similem esse dixit *Aristot. partic. 15. tertij de anima*. Ex quo iure merito factum est, vt tum Philoponus, tum alij hanc

senten-

Digitized by Google

ſententiam tribuerint Alexandro, exiſtimaſſe ſcilicet intellectum hunc eſſe puram potentiam, ſiue præparationem; non autem eſſe actum aliquem, & formam. ac propterea ab Ariſtotele impaſsibilem, & immixtum appellari, quod rei veritate ipſe teſtatur, his verbis *2. de anima cap. 14. Senſus ſane, qui per corpora fiunt, non ſunt id, quod apprehendunt, ſed aliud quid actu exiſtunt; ipſa autem poteſtas alicuius corporis eſt. quocirca patiente aliquid corpore ſenſuum apprehenſio fit, & propterea non omnium rerum quilibet ſenſus apprehenſiuus eſt, eſt enim quidam ipſe iam actus. Intellectus autem, qui nec per corpus res apprehendit, nec corporis poteſtate eſt, neque patitur, neque demum eſt aliquod ens actu, hoc aliquid fieri non poteſt; ſed eſt ſimpliciter poteſtas quædam eiuſmodi entelechiæ, & animæ. formarum & intellectionum ſuſceptiua. Is igitur intellectus materialis exiſtens, in omnibus ijs eſt, quæ perfectam animam obtinent, hoc eſt in hominibus.*

Hunc intellectum, & generabilem, & corruptibilem eſſe ait, atque nobiſcum connaſci, & pariter commori; connaſci autem tamquam potentiam, & organum alterius intellectus, qui agens dicitur & actu, quique noſtram ſubſtantiam non perficit, ſed diuinus cum ſit ſeparatus eſt, & immortalis, itaut ipſius ope, atque coniunctione intellectus potentia intelligibilia ipſa percipiat, & fiat actu. Modum autem, quo & hic intellectus ingeneratur nobis, & cum diuino intellectu coniungitur, ita vt, cum opportunum fuerit intelligat, Alexander paucis explicat *libro 2. de anima cap. 22.* his verbis. *Quoties itaque ex corpore temperato, ignis genitus fuerit, aut aliquid eiuſmodi ex miſtione procreatum fuerit, vt & organum poſsit huic intellectui ſuppeditare, qui eſt in eiuſmodi miſtione (quoniam eſt in omni corpore; corpus autem etiam hoc eſt) id organum intellectus, poteſtas, dicitur, apta ſcilicet quædam poteſtas ad excipiendum intellectum, qui in actu eſt. quoties igitur conſequutus fuerit hoc organum; tunc & tamquam per organum, & tamquam circa materiam, & tamquam per materiam agit, & tunc nos dicimur intelligere.*

Quibus verbis clare docet Alexander intellectum humanum, nihil aliud eſſe, quam potentiam quandam, quæ formam conſequentem temperiem elementorum conſequitur, quam in igne conſiſtere inquit, aut in aliquo alio eiuſmodi, hoc eſt in calore animali, qui nequaquam igneus eſt, ſed proportione reſpondet cœlo; hanc vero potentiam nihil aliud eſſe, quam aptitudinem quandam, ſuſcipiendi intellectum agentem, qui extrinſecus aduenit, & omnibus præſto eſt. Videtur autem Alexander hanc ſententiam ab Andronico peripatetico mutuatus, qui vt refert Galenus loco paulo ante citato, exiſtimauit animam, aut eſſe temperaturam, aut facultatem ex tempe-

Digitized by Google

ratura consequentem. Hanc Alexàndri opinionem conatus est Portius multis argumentis communire, & potissimum *Aristot.* authoritate *sectione 30. problematum problemate 5.* vbi quærens, cur seniores amplius mente valeamus; iuniores ocius discamus, hæc subdit: *Quia natura parens, & author omnium, instrumenta duo nobis inseruit, quorum opera instrumentis extraneis vti valeremus. Manum inquam corpori dedit, animo mentem, est enim mens quoque rebus à natura nobis impertitis adnumeranda, vicem sane gerens instrumenti. Cæteræ omnes scientiæ, artesq; nostra opera sunt, mentem ipsam, opus esse naturæ fatendum est. Vt igitur manu, non iam inde ab ortu naturæ vti possumus; sed cum eam natura absoluit, perfectiq; (procedente namq; ætate, minus suum opus maxime effi. ere potest); ita etiam mens quæ res naturalis est, non protinus, sed in senectute maxime nobis contingit, atque tunc potissimum consumatur, atque absoluitur, nisi detrimento aliquo lacera, læsaq; sit, quemadmodum cætera quoque opera naturæ.*

Mens vero posterior, quam manuum facultas accedit, quoniam etiam instrumenta mentis posteriora sunt, quam manuum instrumenta; est enim mentis instrumentum scientia; menti namq; vtilis scientia est, vt tibicini tibia. Manuum instrumenta res pleraque naturales sunt; Natura autem ipsa, eiusq; res omnes priores sunt quam scientia. quorum autem instrumenta priora sunt, facultates quoque eorundem prius contingere congruum est. His enim crebro vtentes conficere habitum solemus, & ista sic reciprocantur, vt quam vicem hæc inter se gerunt, quorum instrumenta sunt, eandem instrumenta quoque ipsa inter se habeant: viciſsimque, quam instrumenta inter se, eandem illa quorum sunt instrumenta. Mens igitur ea de causa nobis senioribus contingit. Discimus autem ocius iuniores, quia rem ferme nullam tenemus; tum enim res pleraſque scimus, non æque præterea capere alias possumus. Quomodo etiam meminisse melius ea valemus, quæ mane primum percipimus: deinde procedente die memoria hebetatur, quoniam multa iam perpetrauimus.

Ex his autem plura colligit pro sententia Alexandri, quam & ipse tuetur. primum, quod hic intellectus sit à natura inditus, & non extrinsecus adueniat. secundum, quod sit instrumentum animæ, inquit ipse, nos vero exponimus, quod sit instrumentum intellectus agentis, vt supra Alexander dixerat. tertium vero, quod læditur vt cæteræ animæ facultates, quæ caducæ, & à natura sunt. quartum, quod à principio non inest nobis perfectus, sed imperfectus, ita vt eius vsus procedente tempore aduenias, & eius perfectio exiguo tempore perduret, vt idem *Aristot. 12. metaphisicor.* confessus est. Non solum vero hæc Portius pro huius sententiæ confirmatione attulit, quantum pertinet ad eius naturam generabilem, & corruptibilem, verumetiam ita

ipsum

Digitized by Google

ipſum eſſe potentiam, & facultatem aſſeuerauit, vt eundem eſſe ſubſtantiam omnino neget, hoc eodem *cap. 7. ſui libelli de mente humana*, vbi prædicta attulit, hæc autem ſunt eius verba. *Etenim nullibi intellectum potentia 3. de anima (in quo omnem rationem intellectus potentia explicauit) eſſe ſubſtantiam affirmauit; ſed ſolum de eo hæc prædicata protulit. ipſum eſſe potentia, impaßibilem, ſimplicem, ſeparabilem ab organo, & immixtum, quæ omnia conueniunt intellectui, vt facultas eſt cognoſcendi; tamen numquam dixit illum eſſe ſubſtantiam, quod quidem ſumme neceſſarium erat ad rationem intellectus explicandam.*

Hinc intellectum ſtatuit Portius, neceſſario inſeparabilem eſſe, ſi enim, inquit ipſe, ſeparabilis eſſet, tunc eſſet aliquid actu, quod contradictionem implicaret, cum enim Ariſtot. dicat, huius intellectus naturam eſſe potentia, maxima foret contradictio, ſi id quod natura ſua eſt potentia, idem eſſet actu, quod æque eſſet, ac dicere non eſſe potentia, quo eodém argumento Auerroem ait vrgere illos, qui materiam per ſe ſubſiſtere aſſerunt.

Hinc intellectum eſſe in corde deducit, quia animæ ſubſtantia, cuius intellectus facultas eſt, & inſtrumentum, in corde eſt.

Hinc Ariſtotelem *libello de longitudine, & breuitate vitæ, cap. 2.* dixiſſe corrupto animali corrumpi ſcientiam, ergo & animam, ſiue intellectum, cum ſit ſubiectum ſcientiæ.

Hinc genito homine, generari vnum per ſe, & corrupto, aliquam corrumpi ſubſtantiam, quod nequaquam fieret, ſi intellectus, qui eſt vltima hominis forma, non gigneretur genito homine, aut eodem corrupto non corruperetur; tunc enim intellectus tamquam ſubſtantia quædam per ſe ſubſiſtens, non ſolum corpori adueniret, & ab eodem ſepararetur, verumetiam in corpore eſſet, non tamquam forma, quinimmo ſeipſum intelligeret, & intelligibilia per ſe, vt reliquis ſeparatis ſubſtantijs cõpetit, atque ita nõ eſſet in pueris, & infantibus intellectus potentia, ſed actu, neque *ἀγράφῳ* adſimilis dici poſſet, ſed *γραμματεῖῳ*, in quo *γράμματα*, hoc eſt, litteræ deſcriptæ ſunt. Hæc de intellectu potentia, ſeu poteſtate, quem proprie intellectum humanum exiſtimãt. Tum Alexander, tum Alexandrei ſtatuerunt, quamuis non in omnibus omnes conueniant; ſolus enim Portius quantum ego cognoui, cum Alexandri opinata ſententia ſtatuit, intellectum eſſe puram potentiam, & præparationem; quinimmo nõ eſſe ſubſtantiam, cum cæteri reclament, Pomponatius enim, Zabarella, & Iulius Caſtellanus ipſum eſſe formam informantem profitentur, quinimmo Caſtellanus præciſe in hoc Portium damnat, Pomponatius vero propria quadam, ac peculiari via

Digitized by Google

longe diuersa ab hac, quam recitauimus ex Alexandro, mortalitatem humani animi inuehere, atque tutari conatus est, de qua peculiariter infra loquemur.

Alterum vero intellectum, quem non tamquam humanum, aut substantiã hominis constituentem, in homine esse dicunt, sed veluti intelligentiã quandam, seu potius Numen, quod omnibus præsto sit humano intellectui iungi, vt lumen & habitus, quo intelligibilia illustrentur, vt actu ab intellectu percipi, & comprehendi possint, materiali ipsorum conditione purgata, quæ veluti, densis tenebris, intellectus aciem antea retardabat; Diuinum prorsus esse, & Deum asseuerarunt, qui solus non tantum separabilis, sed separatus est, perpetuus, & immortalis, substantia, actus existens, & energia, ac propterea non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non, sed semper intelligit, quæ omnia, & *Aristot.* docuit *3. de anima cap. 3.* & *Alexander* fuse explicauit *2. suo lib. de anima cap. 19.* Quod vero hunc intellectum existimauerit Alexander esse Deum, manifeste colligitur ex *cap. 24. prædicti libri*, & potissimum ex illis verbis, quibus inquit.

Verba præterea illa, quæ in tertio de anima habentur, his accommodanda esse affirmabat. Quin etiam habitum, & lumen ad eum referri, qui vbique est. Is autem intellectus, siue solus ipse res gubernat, quæ in hoc orbe sunt, ad relationem diuinorum, & concernit, ac discernit, vnde ipse intellectum in potestate creat, siue cum ordinato, certoq; cælestium motu; ab eo enim res huius orbis gignuntur; accessione, præsertim, & recessione solis, siue ab eo procreantur, & ab intellectu nostro. Vel ab his quidem, & ab eorum motu natura ipsa proficiscitur, ipsa autem res singulares, vna cum intellectu gubernat. & catera.

Quæ dicta quamuis non mediocrem inuoluant obscuritatem, tamen aperte tribuunt, huic intellectui multa munia, quæ Dei sunt, vt vniuersum gubernare, aut solum, aut cum cælestibus orbibus. & infra clarius idem significat, cum difficultatem de eodem intellectu proponit aduersus Stoicos; vtrum intellectus hic, cum diuinus sit, in vilissimis, pessimisq; versetur, vt Stoici existimarunt; & vtrum in rebus, quæ in hoc orbe sunt, sit intellectus, cum hæc inferiora contingentia sint, & varietati subiecta, à qua perpetua, ac necessaria penitus abhorrent. ita intellectum humanum ex vtroque componi *Alexander* docuit *2. de anima cap. 23.* his verbis. *Noster enim intellectus compositus est, tum ex potestate, quæ est organum Diuini intellectus, quem intellectum in potestate Aristot. nominat, tum ex illius actu, quorum altero absente impossibile est vt intelligamus; vna enim cum prima seminis emissione est intellectus in actu, qui per omnia penetrauit, & actu existit. velut in alio quodam corpore quorumlibet.*

Digitized by Google

bet. Postquam vero etiam per nostram potestatem agit; tunc & noster intellectus is nuncupatur: & nos intelligimus. Quemadmodum si quis cogitatione complecteretur artificem, qui nunc sine ferramentis ageret ex arte; nunc cum ferramentis, cum etiam actus iuxta artem circa materiam in ipso est. Eadem quoque ratione diuina mens semper quidem agit; quamobrem & est actu, & per organum etiam, vbi ex collatione corporum, & temperatura factum fuerit instrumentum eiusmodi; tunc enim materialem quemdam actum agit.

Quæ adeo clara, & manifesta sunt, vt nullo indigeant paraphraste, nec metaphraste. Docent etenim intellectum humanum, partim esse aptitudinem illam, ac potentiam, siue præparationem, vt Alexandri verbis vtar, quæ ad animam, quæ ex temperie humani corporis est, consequitur, quæve diuini intellectus est instrumentum, vt eius actionem congruo tempore suscipiat, & hunc proprie intellectum humanum dicunt, quo homo in specie propria constituitur; quamuis enim reliquorum brutorum animæ è gremio, & potestate materiæ eductæ sint, & ad propriam quæque corporis consequatur temperiem; tamen nulla ex ipsis hanc potestatem, & præparationem habet, vt diuino intellectui coniungi possit, & eius luminis, ac operationis sit susceptiua, & in hoc, specie ab homine reliqua differunt animalia; partim vero esse diuinum intellectum, qui etsi omnibus rebus inest tamquam omnibus præsens, & suæ bonitatis per omnia diffusiuus; tamen intellectui humano peculiariter adest, veluti lumen diaphano, vt eius tenebras submoueat, quibus ad intelligenda hæc sensibilia impeditur; cum enim phantasia intellectui ea subministret spectra, quæ à sensu in actu effecta sunt: hæc vero in organis recepta singularibus, singularia sint; minime intellectio sequi potest; nisi aliquid immateriale, atque sublimius adsit, cuius ope rerum essentiæ, prout sunt absque materiæ conditionibus ab intellectu percipi possint. Hac ratione, vera esse affirmant ea, quæ de intellectu potentia, *Aristot. 3. de anima* testata reliquit, nempe ipsum esse immixtum corpori, & impatibilem, & inorganicum, & separabilem, quia scilicet potentia animæ est, non anima, atque ita animam quidem dicunt esse corpori mixtam, quia corporis est actus; non autem intellectum, cuius natura potentia est; ac proinde etiam inorganicus, & impatibilis dicitur intellectus; id enim, in quo est potentia, organicum dicitur, & patibile, cum id sit forma, quæ ad certam totius, aut partis temperaturam sequitur, & ab incommensurato obiecto destruitur destructa temperiei ratione, ac armonia. hac inquam ratione, prædicta attributa de intellectu posse dici affirmant, non autem quia ingenitus sit, & immortalis. hæc

apud Alexandrum legere eſt, potiſſimum *lib. 2. de anima cap. 14.* & fuſius apud *Portium* ſuo *libello de mente humana cap. 7.* Hanc Alexandri ſententiam, non ſolum ex ipſius met ſcriptis, & eius ſectatorum collectam; verumetiam antiquorum Ariſtotelis interpretum, Philoponi, Auerrois teſtimonio, vt comprobatam accepimus, ita etiam & tradidimus.

Prædictæ ſententiæ confutatio. Cap. III.

HANC ſententiam Alexandri, & Portij ex eo potiſſimum capite confutabimus, quo Galenus libro ſupra citato, quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, *cap. 4.* Andronici peripatetici ſententiam caſtigauit; cum enim laudaſſet Galenus, Andronicum aſſerentem animam eſſe temperaturam, in alio eumdem damnauit, dixerat namq; animam, aut eſſe temperaturam, aut facultatem, quæ ſequitur ad temperaturam, quare in hoc ſecundo capite eum reprehendit his verbis.

Quod addidit facultatem reprehendo, ſiquidem anima facultates multas habet, quippeq; eſſentia quædam ſit, id quod eſt ab Ariſtotele recte conſcriptum, rectęq; prius, eſt homonimia diſtincta, nam cum materia & forma, & quod eſt ex vtraque cõiunctum, ſubſtantiæ vocabulo gaudeant, eam ſubſtantiam, quæ ex forma eſt, eſſe animam enunciauit, cum nihil aliud præter temperaturam, vt paulo ante oſtenſum eſt, dici poſſe videatur.

Ex quo ita arguo; pars ſubſtantiæ eſt ſubſtantia, ſed anima eſt ſubſtantia, ergo pars animæ eſt ſubſtantia, intellectus eſt pars animæ, vt dixit philoſophus *3. de anima partic. 1.* ergo intellectus eſt ſubſtantia, ergo non eſt pura potentia, vt exiſtimauit Alexander, neque eſt accidens, vt dixit Portius.

Hoc argumento vſus fuit Iulius Caſtellanus, quamuis noſter aduerſarius contra dictam ſententiam *lib. 2. de humano intellectu cap. 6.* Nec minus contra eandem validiſſimis rationibus inuehitur *Zabarella, quæſtione de mente humana cap. 14.* etiam ipſe pugnaciſſimus immortalitatis hoſtis. & primo, quia intellectus humanus recipit intelligibilia, at potentia non recipit, ſed eſt ratio recipiendi, ergo intellectus humanus non eſt potentia. maior propoſitio eſt *Ariſtot. 3. de anima text. 2.* vbi inquit, intelligere eſſe pati aliquid, ſicut ſentire, minor eſt euidens in materia

Digitized by Google

teria prima, materia etenim prima, quæ eſt ſubſtantia, recipit formas ſenſibiles, non autem eius potentia, quæ eſt ratio recipiendi, ergo pariter in intellectu. potentia non recipit formas intelligibiles; ſed eſt ratio recipiendi eas; ac veluti materia non eſt ſimpliciter potentia; ſed eſt ſubſtantia potens, ita intellectus non eſt ſimpliciter potentia, ſed ſubſtantia potens. ſecundo, quia in *textu 5. tertij de anima*, vbi naturam intellectus humani deſcribit, ipſum intellectum dicit δυνατὸν; non autem δύναμιν; hoc eſt potentem, ſiue poſſibilem; non autem potentiam. tertio, quia *ſequenti textu 6.* aperte inquit, animam, non autem facultatem, eſſe locum ſpecierum intelligibilium. ex quo ita arguit, quod recipit ſpecies intelligibiles eſt intellectus; ſed anima recipit ſpecies intelligibiles, ergo anima eſt intellectus. ergo non potentia & facultas, ſiue accidens animæ. quarto, quia *Ariſtot. textu 8. & 18.* inquit, intellectum intelligendo fieri omnia. at vero ſubiectum quod recipit dicitur fieri illa, quæ recipit; non autem aptitudo, ſiue potentia recipiendi, cum omnia accidentia recipiantur in ſubſtantia.

Quinto, quia quod *textu 8. & 18.* dixerat de intellectu, quod intelligendo fit omnia, idem *textu 37. & 38. eiuſdem tertij de anima* declarauit: dicens animam eſſe quodam modo entia omnia, quia intellectus eſt omnia intelligibilia; ſenſus autem omnia ſenſibilia. ergo intellectum dixit idem quod animam intelligentem; non autem facultatem intelligendi; quemadmodum ſenſum, idem quod animam ſentientem.

Sexto, hoc idem colligit ex *Ariſtot. eodem libro textu 38.* vbi aſſerens intellectum eſſe formam formarum, ſenſum vero eſſe formam ſenſibilium. decernit intellectū contra aduerſarios eſſe formam, & actum; non autem puram poteſtatem. ſubdit vero idem Zabarella deceptos fuiſſe prioris ſententiæ authores, ex eo quia non conſiderarunt, quod vbi Ariſtot. dicit intellectus naturam nihil aliud eſſe, quam vt ſit poſſibilis, & nihil eſſe actu eorum, quæ intelligit, & eſſe ſicut agraphum: hæc omnia dixit de intellectu reſpectu operationis, & obiecti, non autem reſpectu eſſentiæ; non enim intellectus reſpectu propriæ eſſentiæ eſt potentia, & facultas; ita enim eſſet accidens, quod impoſsibile eſt, cum ſit anima; ſed reſpectu obiecti, cum neceſſe ſit eſſe denudatum ab omni eo, quod intelligit, vt poſsit ea percipere; veluti neceſſe eſt organum videndi, ſiue humorem criſtallinum eſſe diaphanum, & denudatum ab omni colore, vt poſsit illos videre, & veluti materia prima quamuis ſit potentia ad omnes formas ſenſibiles ſuſcipiendas; tamen aliquid, & ipſa eſt, quo materia eſt: ita & hic intellectus; quamuis reſpectu intelligibilium potentia eſt; tamen aliquid eſt, quo eſt

Digitized by Google

intellectus, ſiue forma & actus. Conſentiunt igitur etiam aduerſarij, & validiſsima afferunt argumenta, contra falſum,& impoſsibile Alexandri Aphrodiſæi, & Simonis Portij fundamentum,cui innixi humanum animum ex Ariſtotelis ſententia genitum, & mortalem affirmare non dubitarunt, quare & ipſorum ſententia omnium peripateticorum iudicio, tàm noſtrorum quàm aduerſantium, tamquam falſa & impoſsibilis, tum ex Ariſtot. doctrina, tum etiam ex vera philoſophia eſt explodenda; ſed accedamus & nos ad hanc ſententiam expugnandam alio ſumpto principio. Aut animæ potentiæ ſunt idem re quod anima, & non diſtinguuntur niſi ratione, vt paſsim docuit *Portius*, ac potiſsimum *cap. 3. citati ſæpius libelli*, aut differunt re, & ratione. ſi non differunt re, ergo intellectus poteſtate,qui animæ eſt potentia, re non differt ab anima, & ita eſt ſubſtantia non accidens; nam re ipſa nihil aliud eſt potentia intellectiua, quam intellectus potens intelligere; intellectus autem eſt anima, cum ipſi competat diffinitio animæ ab Ariſtotele tradita *2. lib. partic. 24.* vbi inquit animam eſſe id quo viuimus. & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primo. Intellectus autem eſt principium quo intelligimus,ergo,& quo viuimus, & ſentimus, & mouemur; cum ea, quæ deinceps ſunt, ſemper contineant potentia ea, quæ prius ſunt; vt in figuris, ita & in animatis ex *Ariſtot. 2. de anima partic. 31.* Aut non ſunt idem re, ſed differunt ſicuti etiam ratione, ita vt potentiæ animæ ſint accidentia, vt eſt in ſententia Alexandri,& aperte confeſſus eſt Portius. & hoc pacto homo conſtituetur in eſſe ſuo ſpecifico, non ſolum per aliquod accidens; verumetiam per aliquod, quod eſt pura potentia, & nihil eſt actu; hanc enim ipſi ſtatuunt eſſe naturam huiuſmodi intellectus. quod quantopere ſit abſurdum, quinimmo impoſsibile adeo omnibus notum eſt, vt non ſit operæpretium recenſere. Quinimmo ipſe met *Portius capite 3. ſui libelli:* aduerſus Philoponum opinatem, corpus anima ſenſitiua iam præditum rationalis ſuſceptiuum, grauiſſime ex hoc inuehitur; quia ſequeretur animam rationalem, eſſe accidens, nec homo ab anima rationali eſſet animal, igitur nec homo; in hæc tamen abſurda poſtea turpiter incidit; cum enim homo ſit homo per intellectum; intellectu enim anima hominis intelligit, & ſapit, vt *Ariſtot. 3. de anima partic. 1.* aut hominem ab aliquo accidente conſtitui neceſſe erit, aut ab eadem anima non eſſe hominem. Quare & iterum contra eãdem ſententiam inſurgens dico. Aut homo conſtituitur ab intellectu tamquam potentia,& facultate tantum, aut conſtituitur ab intellectu, vt eſt forma, & anima; intellectus enim dupliciter apud Aduerſarios ſumitur,

Digitized by Google

mitur, vel enim pro potentia, & facultate, quæ conſequitur ad animã, quæ eſt entelechia, & actus corporis, vel prout connotat ipſam animam, quæ eſt forma; valde autem inter ſe differunt hæc, nam intellectus; vt potentia, neque eſt mixtus corpori, nec eſt eius actus, nec eſt organicus; ac proinde etiam eſt impatibilis, vt ſupra pariter dictũ eſt, at vero anima, cuius potentia eſt intellectus, prædicta omnia ſibi vindicat: intellectus etiam accidens eſt, anima vero ſubſtantia. ſi homo cõſtituitur ab intellectu tamquam potentia, proculdubio conſtituitur ab accidente. ſi autem conſtituitur ab anima, cuius potentia eſt intellectus, tunc homo conſtituitur per animam ſenſitiuam, non autem per intellectum; aut animam rationalem, quod eſt contra omnium hominum conſenſum, nõ contra Ariſtot. tantũ; probatur autem hæc ſequela; nam ipſi ſtatuunt animam eſſe formam, non autem intellectum, ergo homo conſtituitur ab anima, non ab intellectu, ergo homo eſt homo per ſenſitiuam; nempe per imaginatiuam, non per intellectum, nec per animam rationalem, & ita non differret à brutis, probatur ſequela minor, multis modis. primo, quia ex anima & corpore fit vnum per ſe, tamquam ex actu, & potentia, ergo prius eſt eſſe hominem ex anima humana, & corpore, quam eſſe intellectiuum ex corpore, & potentia intelligendi, quæ ad animam conſequitur, ergo homo non conſtituitur per intellectum; quinimmo intellectus aduenire homini iam ineſſe ſuo ſpecifico conſtituto, quod ſupra contra Philoponum impugnaſſe Portium diximus. ſecundo, quia talis anima non eſſet rationalis, & intellectiua per talem aptitudinem, & potentiã intelligendi; ſed adhuc eſſet irrationalis & bruta; ergo homo non conſtitueretur per animam rationalem & intellectiuam. aſſumptum vero argumenti dupliciter probo; primum ratione, deinceps Ariſtot. authoritate. ratione, quia anima intellectiua eſt principium quo intelligimus; his enim determinari animam *2. libro Ariſtot.* dixerat *partic. 18. & 24.* & hoc eſſe animam, nempe id quo viuimus, & ſentimus, & mouemur, & intelligimus primo, ex quo deduxit etiam animam eſſe rationem quandam, & formam, & non vt materiam & ſubiectum, & *3. de anima partic. 1.* intellectum dixit eſſe particulam animæ, qua anima intelligit, & ſapit, ex quibus ita arguo. Intellectus, qui eſt pura potentia, non eſt principium, quo anima, aut homo per animam intelligat, & ſapiat, ergo neque anima per hunc intellectum poteſt eſſe rationalis, vel intellectiua, nec homo conſtitui in eſſe hominis rationali, atque intellectiuo. probatur antecedens, quia pura potentia non poteſt eſſe niſi principium patiendi, ergo non poteſt eſſe principium alicuius

actio-

actionis vitalis, cuiuſmodi eſt intelligere, præterea ſi hic intellectus eſſet pura potentia, tunc anima, quæ eſt ipſa prædita; nequaquam ſe haberet, vt ratio & forma, ſed potius vt materia, & ſubiectum; cuius contrarium loco nuper citato Ariſtot. dixerat. Nec obſtat, quod *Ariſtot. 3. lib. partic. 2.* ſtatuit, intelligere eſſe pati; nam quamuis ſit pati quatenus eſt recipere intelligibilia obiecta, tamen negari non poteſt quin ſit etiam agere quoad iudicium, & cognitionem, quinimmo intellectio præcipue eſt iudiciatio, vt inter aduerſarios *Zabarella* fuſe docuit *in opuſculo de mente agente cap. 6. 7.* ſecundo etiam probatur Ariſtot. authoritate, hanc animam, qua conſtituunt hominem, brutam eſſe, & irrationalem, *Ariſtot.* namq; *1. Moralium nicomachiorum cap. vltimo*. Diuidens irrationalem animam. vnam inquit eſſe prorſus rationis expertem; cum ipſius nullo modo ſit capax; cuiuſmodi eſt vegetalis, alteram vero eſſe quodam modo rationis participem; non quia ratione prædita ſit, ſed quia rationi aliquando obedit, imperioq; eius obtemperat, vt filios parentibus obſequentes videmus. talis autem eſt concupiſcibilis, ſiue appetitiua. Hoc ſuppoſito, arguo tali pacto, concupiſcibilis, quamuis ſit apta nata copulari cum ratione & intellectu, vt fit, cum ipſis obſequitur; tamen non propterea dicitur rationalis, ſed irrationalis, niſi improprie & tranſlatiue, ergo pariter humana anima, quamuis habeat facultatem, vt vniatur cum intellectu agente, non tamen propterea dicetur rationalis, aut intellectiua niſi improprie, ſed potius irrationalis, quod aperte in eodem capite Ariſtot. docuit circa finem, vbi duplicem ſtatuens animæ rationalis ſignificationem inquit, vnam eſſe rationalem, quæ proprie, & in ſeipſa rationem habet; alteram vero, quæ ita illam participat, vt is qui dicto patris audiens eſt, ergo non illa dicitur rationalis & intellectiua, quæ eſt apta nata ſuſcipere rationem & intellectum, vt Alexander inquit, & Alexandrei, ſed illa, quæ proprie, & in ſeipſa habet rationem tamquam rem, & non tamquam aptitudinem, de ipſa enim tamquam de re poterat oriri quæſtio, quam prætermittendam cenſuit; vtrum differat re, & ratione, ab altera animæ parte, quæ eſt rationis expers, eaq; diuidantur ſubiecto, an ratione tantum, vt concauum & conuexum; non autem tamquam de aptitudine; cum certum ſit aptitudinem non poſſe ſeparari re, ab eo cuius eſt aptitudo, quam eamdem quæſtionem pariter *2. de anima partic. 21.* propoſuit, & *libro 3.* vt ſupra monſtrauimus, determinauit. Si ergo anima humana nihil aliud eſt quam forma educta de temperamento corporis, quemadmodum eſt ſenſitiua, & nihil aliud ob animam brutorum differt, niſi quod hæc ani-

ma

ma habet aptitudinem ſuſcipiendi intellectum diuinum, anima autem brutorum illam non habet, & penes hoc vna dicitur irrationabilis, altera vero rationalis, humana anima nihil aliud erit quam perfectiſſimus gradus ſenſitiuæ; nempe ſublimis ac nobilis imaginatiua longe præſtantior illa, quæ in brutis eſt, ac tanto illa præſtantior, quanto multorum brutorum imaginatiuam, vt ſimiarum, cercopiteci, elephantorum, & aliorum ſimilium, quæ prudentiam participare videntur, quorumdam, quæ ſtupida ſunt, imaginatiue anteferri conſpicimus. Quæ omnia aperte contra mentem *Ariſtotelis* ſunt, qui *2. de anima*, iuxta vulgatam partitionem, *cap. penult. & vlt.*, multis argumentis monſtrauit, intellectum, ac rationem, neque eſſe ſenſum, neque imaginationem. Quamuis autem multis minime viſa fuerit abſurda hæc ſententia, quod intellectus, aut ratio humana nihil aliud ſit, quam gradus quidam perfectiſſimæ imaginatiuæ, quemadmodum & imaginatiua quorumdam brutorum, qualia ſunt ſupra commemorata; gradus quidam inferior, & imperfectior rationis, qui proinde exiſtimarunt etiam brutis rationem ineſſe. Inter quos fuit Plutarchus Cheroneus in Dialogo, qui inſcribitur Grillus, & author libelli hortatorij ad bonas artes Galeno adſcripti, & inter recentiores fortaſſe etiam Ioannes Huartes Hiſpanus in examine ingeniorum; tamen nulli bono peripatetico videri vmquam poterit, niſi abſurdiſſima; nõ ſolum quia *Ariſtot. loco citato*, conſulto ipſam impugnat; verum etiam quia homo numquam poſſet intelligere vniuerſale, cum imaginatiua ſit virtus ſingularis, vtpote corporea & organica, & ita incapax eſſet ſcientiarum, vt multa alia prætermittam incongrua. Manifeſte etiam hanc ſententiam redarguunt *Ariſtot.* verba *4. de partibus cap. 10.* vbi inquit, de homine ſermonem habens. *Solus enim animalium omnium erectus eſt; quoniam eius natura, atque ſubſtantia diuina eſt, officium autem diuini, eſt intelligere atque ſapere.*

Intellectum igitur ſubſtantiam eſſe inquit, non potentiam, & accidens, vt aduerſarij falſo Ariſtoteli tribuerunt; ſed iam ſatis ſuperq; Alexander, quantum pertinet ad opinionem, quam habuit de intellectu humano, qui potentia appellatur, eſt confutatus. Nunc ad ea oppugnanda, quæ de intellectu agente docuit, deueniendum eſſet; verum quia de ipſo, vtrum ſit differentia animæ noſtræ, vel potius ſubſtantia aliqua ſeparata, intelligentia ſcilicet, aut etiam Deuſmet, diſputationem infra habituri ſumus: propterea ne repetito de eadem re agere cogamur, conſulto id prætermiſimus.

Petri

Petri Pomponatij, Iacobi Zabarellæ, & Iulij Caſtellani ſententia recitatur. Cap. IIII.

PETRVS Pomponatius celeberrimi nominis, peripateticus, magnum, & ipſe poſt Alexandrum, prædictæ ſententiæ momentum attulit, edito ad aſtruendam ex Ariſtot. opinione mortalitatem libello, quem de immortalitate animæ nuncupauit; alijsq; duobus opuſculis; quorum vnum Apologiam, alterum vero defenſorium inſcripſit, in quibus multis congeſtis argumentis primo intuitu validiſſimis, ac ferme inexpugnabilibus, totam philoſophantium ſcholam conturbauit, multosq; etiam clari nominis in ſuam ſententiam pertraxit. Is inquam *libello de immortalitate animæ cap. 9.* cum ante multis rationibus oſtendiſſet, vnam eſſe cuiuslibet hominis animam eiuſdem generis, & ſubſtantiæ, & neque multiplicem, ac diuerſi generis, vnam ſcilicet corruptibilem, alteram vero incorruptibilem, & ingenitam, vt non ſolum Platoni, atque eius ſectatoribus; verumetiam multis ex peripateticis, & ijs quidem præcipuis, Simplicio, Themiſtio, & Auerroi viſum fuit. Cumque pariter ſtatuiſſet *2. capite*, de vna hac, atque eadem anima ex ſufficienti combinationum enumeratione, immortalitatem, atque mortalitatem quatuor modis enunciari poſſe; aut enim vna, & eadem humana anima ſimpliciter dicitur mortalis, & immortalis, aut ſecundum quid mortalis, & immortalis, aut ſimpliciter immortalis, & ſecundum quid mortalis, aut ſimpliciter mortalis, & ſecundum quid immortalis, & ex omnibus his modis conſtet primum; & ſecundum eſſe impoſſibiles, cum duo contraria eidem ſimul, & ſecundum idem competere non poſſint; tandem duobus reliquis poſſibilibus examinatis, vnoq; reiecto, ſcilicet quod ſit ſimpliciter immortalis, & ſecundum quid mortalis; vltimum accepit, in quo habet humanam animam eſſe ſimpliciter mortalem, & ſecundum quid immortalem. Hoc vero his iactis fundamentis; primo, quod omnis cognitio fit ſine materia, vt patet de ſenſitiua, cum ſit vniuſcuiuſque ſenſus, ſenſibile recipere ſine materia, vt dixit philoſophus *2. de anima*; ergo quælibet potentia cognoſcens eſt quodam modo immaterialis; ſecundo, quod iuxta tres varios modos ſeparationis, ſiue abſtractionis à materia, tres modi in vniuerſum reperiuntur cognitionis; vnus autem

eſt,

eſt, ſecundum quem aliqua omnino ſeparata à materia, corpore nullo pacto indigent, neque tamquam ſubiecto, neque tamquam obiecto, hoc eſt, obiectum ſubminiſtrante, cum harum ſubſtantiarum cognitio non recipiatur in ſubiecto, quia ipſæ non ſunt in corpore, neque inchoetur à corpore, quia mouentia ſunt non mota. talia autem ſunt puræ mentes, ſiue intellectus, & intelligentiæ nuncupatæ; alter vero eſt, ſecundum quem aliquæ formæ, cum materiales ſint, ita corpore indigent, vt non ſolum in ipſo ſint tamquam in ſubiecto; verumetiam eodem indigeant, & tamquam obiectum ſubminiſtrante, & tamquam organo, quo operantur; quamuis obiecta non materialia recipiant, ſed intentionalia; tales autem ſunt omnes ſenſitiuæ animæ gradus, quamuis aliqui ex ipſis magis ſpirituales, aliqui vero minus exiſtant. Tertius autem eſt, inter vtrumque medius, pænes quem aliqua forma, extrema ambo participans, neque omnino materialis, neque omnino immaterialis exiſtens, corpore non indiget tamquam ſubiecto, ipſo tamen eodem indiget tamquam obiecto. & hic eſt intellectus humanus, ſiue anima humana, media quædam forma in confinio mortalium, & immortalium conſtituta.

Hanc vero ſuam concluſionem ex eo potiſſimum confirmat, quia oppoſitum membrum diſtinctionis, in quo aſſerebatur animum humanum eſſe ſimpliciter immortalem, ſecundum quid vero mortalem, eſt valde ambiguum, nec conuenire videtur Ariſtoteli, quod præcedente capite his rationibus demonſtrauit, quia ſcilicet anima hæc materialiter operatur, vt patet in vegetatiua, non omnes formas recipit, vt notum eſt in ſenſitiua, organo vtitur corpore, quod omni animæ eſt commune, caduca, & mortalia affectat, & ſequitur, iuxta id quod ſatiricus cecinit.

O curue in terris animæ, & cæleſtium inanes.

Quia plures operationes ipſius mortalitatem atteſtantur, quemadmodum plures eius potentiæ ſunt mortales; ex tribus enim, duæ mortales ſunt vegetatiua, & ſenſitiua, vna autem videtur ſola immortalis intellectiua, quemadmodum & maior hominum pars ex mortali, & caduca animæ parte viuit, nempe vegetali, & ſenſitiua, pauciſſimi autem, & vt Poëta idem, dixit *(vel duo vel nemo)* ex immortali, & intellectiua, & qui ex illa viuunt fatui, & omnium abiectiſſimi vulgo reputantur. Quia ex hominibus varias terræ plagas inhabitantibus quamplurimi ſunt, qui ferinam, & beſtialem vitam viuunt, ita vt comparatione cæterorum hominum potius irrationales, quam rationales dici poſſint. Quia exiguo tempore intellectioni vacamus, & ſecundum intel-

intellectum viuimus. Quia adeo tenuem,& obscuram de rebus vere intelligibilibus notitiam habemus, scilicet de Deo,atque alijs mentibus, quinimmo de ipsismet naturalibus, ac sensibilibus, vt verius vtraque, ignorantia negationis, & dispositionis vocanda sit quam cognitio, Quia non est per se notum animã esse immortalem, ac demum Quia *Aristot. 1. de anima 12.* decreuit, quod si intellectus, aut est imaginatiua, aut non sine imaginatiua, à corpore inseparabilis est, quæ omnia ideo humanæ animæ competere asserit, quia simpliciter, & sua natura est mortalis, secundum quid vero,hoc est,quatenus intelligit, est immortalis, quia enim intellectus in sua operatione corpore non vtitur tamquam organo, inde est, quod ratione intellectionis anima immortalitatem participat, quamuis vere immortalis non sit. Nullum vero ipse censuit esse absurdum, mortale aliquod immortalitatem participare, quemadmodum neque immortale, mortalitatis conditiones; quorum primum Aristotelis authoritate confirmat *2. de anima particulis 34. & 35.* vbi inquit, quod omne sui similis productiuum immortalitatis est particeps; alterum vero *Auerrois 2. de cælo, comm. 49.* vbi asserit ex testimonio *Aristot. libris de animalibus*. Lunam esse naturæ terræ.

Hæc Pomponatius *de natura humanæ animæ*, ex Aristotelis principijs existimanda censuit, quæ non modo prædictis argumentis, verum etiam multis alijs;quibus immortalitatem oppugnat, à nobis consulto nunc prætermissis, & in eam disputationis partem repositis, in qua tum ipsius, tum cæterorum rationibus responsuri sumus, tum in hoc libro, tum etiam duobus alijs confirmare, & communire conatus est. Hanc eãdem sententiam sequutum fuisse Zabarellam, multis in locis constat, tum in *libello de mente humana*; tum in *commentarijs in libros de anima*. Cum enim ipse in Aristotelis doctrina humanum animum mortalem statueret; neque Alexandri sententiam probaret, qui ipsum puram potentiam asserebat, quin potius actum, & formam informantem esse constanter affirmaret, nulli dubium, quod eãdem cũ Pomponatio sententiam tuetur, sed clare atque disertis verbis ipsam professus est, *prædicto libello cap. 9.* in responsione ad authoritatem *Aristotelis 10. Ethicor. cap.7. & 4. de partibus.cap. 10.* vbi iisdem verbis,quibus Pomponatius vsus, hominem dicit esse naturæ mediæ, quamuis non per veram extremorum participationem, sed solum per eorum similitudinem, ac proinde posse appellari animum hominis diuinũ,& sic immortalis existat,vt ab Aristot. locis citatis appellatus fuit, cum & reliquæ omnes formæ non solum generabiles, & corruptibiles, sed etiam infimi ordinis ab Aristot. diuinæ appellatæ fuerint, *1. phisicor. text. 81. & 2. de generatione*

anima-

Digitized by Google

animalium cap. 3. omnem animam diuino quodam corpore, præter ea quæ elementa appellantur participare dixit, necnon etiam *1. de partibus, cap. 5.* omnibus rebus Diuinum numen adesse. Huius autem rei, etiam rationem reddit cũ *Aristot. 1. de cælo, textu 100.* dicente, rebus omnibus à Deo communicari esse, & viuere, his quidem clarius, his autem obscurius, & quia esse cuilibet rei tribuitur à forma, iure merito forma quælibet Diuina dicitur, quatenus est imago alicuius gradus Diuinæ perfectionis.

Hæc Zabarella, at vero Iulius Castellanus, & ipse mortalitatis assertor, vt sæpius dictum est; cum Portij, & Alexandri sententiam damnasset, neque Pomponatij, & Zabarellæ opinioni acquieuit, quippe qui intellectum humanum, neque actum, neque habentem actum ausus est dicere; sed imperfectis entibus adnumerauit, ac proinde potentiam esse existimauit; non autem potentiam puram, & præparationem, de genere accidentium, vt Alexandro tribuitur, & censuit Portius, sed potentiam de genere substantiæ; veluti etenim materiam primam in rebus sensibilibus, substantiam potentia, esse statuimus; ita in rebus intelligibilibus, vel potius in genere intellectuum, hunc intellectum substantiam potentia, pariter statuendum censuit; cum nihil sit eorum, quæ intelligit, antequam intelligat, neque vlla alia sit ipsius natura, quam potentia, vt Aristot. dicebat. Id vero totum eo argumento, vel potius coniectura confirmauit, vt apud ipsum videre est *lib. 2. de humano intellectu cap. 6.* quia in genere, siue ordine intellectuum, veluti datur vnus intellectus simplicissimus, qui purus est actus, & hic est Deus Optimus Maximus: ita dari oportet alium intellectum pariter simplicissimum, qui sit pura potentia, & hic est humanus intellectus, reliqui autem inter hos medij, ex actu, & potentia componuntur, propterea quod, cæteris omnibus natura intellectus possibilis magis, & minus admiscetur, propter quam in intelligentijs reperitur multitudo, & maioris, minorisq; distantia nobilitatis, quod nisi hoc potentiæ genus in illis existeret, omnes essent purissimi actus, & æquali omnes præditæ perfectione, atque ita proprio quodam inuento, & à nemine hucusque, meo iudicio, excogitato: Aristotelis de humana mente, aut potius de humano animo sententiam Castellanus exposuit.

Quid

Quid de prædictis Philosophis Author sentiat, exponitur.
Caput V.

NVMQVAM certe in eam sententiam adduci potui, vt putarem virũ aliquem philosophũ, hoc est, sapientiæ, & veritatis amatorem, & quod his maius est Christianum, eo nequitiæ, ac prauitatis vmquam deuenire posse, vt consulto, nec solum consulto, verum etiam temere, velit, & seipsum decipere, & alios quamplures seducere, & in suos errores trahere, nisi iusto Dei iudicio ob grauia perpetrata scelera in eum impietatis, atque nequitiæ baratrum deciderit, vt agnitam veritatem impugnare non vereatur, quod non solum de Ethnicis, atque Gentilibus philosophis *Apostolus Paulus 1. ad Romanos* testatur. Dicens, eos propter superbiam, & impietatem, eo quod, cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis; & obscuratum est insipiens cor eorum, traditos fuisse à Deo in reprobum sensum, & in desiderijs cordium suorum, in immunditiam, & in passiones ignominiæ, vt facerent ea, quæ non conueniunt, & omnia illa perpetrarent, quæ summo cum ipsorum dedecore recenset Beatissimus Paulus. Verum etiam de malis quibusdam, ac peruersis pseudochristianis, hæreticis, & Catholicæ Religionis hostibus quotidie experimur. Talem autem numquã existimauerim quemquam ex ijs, quos præcedente capite recensuimus, opinatos fuisse ex Aristot. sententia, humanum animum esse mortalem, & quamuis me non lateat, nihil ad Christianum pertinere, quid Aristoteles, aut Plato senserit, aut quilibet alius philosophus, cum satis sit ad salutem ea, quæ Seruator noster IESVS CHRISTVS, & eius Sancti Apostoli docuerunt; necnon ea, quæ Sancta Romana Catholica Ecclesia tradit, & tradidit profiteri; quinimmo hoc maiorem Christianæ Religionis testatur perfectionem, ac maius beneficium, quo nos insignire voluit Deus Optimus Maximus, quia hæc abscondit sapientibus, & prudentibus; reuelauit autem paruulis; tamen quia non desunt obtrectatores, qui non solum prædictos; verum etiam cæteros philosophos impietatis accusant, vbi eos viderint aliquam Aristotelis opinionem à nostris sacris dogmatibus dissentientem ita germane, ac sincere, vt

apud

Digitized by Google

apud Aristotelem est recitari, quod ipsis, à legibus & decretis summorum Pontificum, & Conciliorum minime prohibetur; dummodo enarratam opinionem, atque huiusmodi omnes, quæ veritati illuminatæ fidei contradicunt, falsas esse, & erroneas, aperte doceant, & profiteantur; cum verum, vero non aduersetur, necnon etiam, allatas pro dictis falsis sententijs, rationes, & argumenta, pro viribus soluant, vt sancte decretum fuit à *Concilio Lateranensi vltimo sub Leone, sessione octaua*. Talem inquam, nullum existimauerim ex ijs, quos recensuimus; nam vt omittam Iulium Castellanum, qui sub Gregorio XIII. Pont. Max. absque vlla labis suspicione, Romæ in publico Gymnasio philosophiam edocuit.

Zabarella, vir non solum doctrina, verumetiam nobilitate generis, vitæ innocentia, morum integritate; ac potissimum erga Deum pietate clarissimus, nostra tempestate, in Patauino Gymnasio, summa cum celebritate professus fuit. hanc vero disputationem de mente humana, vna cum multis alijs ad naturalem philosophiam spectantibus, Sixto V. Pont. Max. nuncupatam, viuens, in lucem edidit.

At vero, Simon Portius, è cuius schola, me etiam prodijsse fateor; cum Ioannis Bernardini Longi, viri celebertimi, auditor fuerim: quem Portius adhuc viuens, in frequentissimo Neapolitano Gymnasio sibi successorem delegerat.

Post longam exactam ætatem in exponendo Aristot. summa cum laude. tandem à Magno Etruriæ Duce Cosmo Medices huius nominis primo, Principe, incomparabilis prudentiæ, ac pietatis honorificentissime accitus; constituto annuo mille & quingentorum aureorum stipendio, vt in florentissimo Pisarum Gymnasio, philosophiã Aristot. explicaret. summo in honore habitus est apud eumdem, ita vt, quam sæpissime, non solum familiaribus colloquijs, verumetiam mensæ illum adhiberet, quod non mediocrem laudem censeo, vt Oratius dixit, *principibus placuisse viris, haud vltima laus est*, sed maximam; tale enim fuit sapientissimi huius principis iudicium, vt in omnibus, grauissimum haberetur. in extimandis vero litteris, ac bonis artibus, hæreditario familiæ iure, etiam cæteris præferretur. sub tali principe non est credere; impium philosophum stipendia meruisse.

Pontifice potissimum Pio V. viro sanctissimo & accerimo, ac vigilantissimo impietatis hoste. fuit vero Simoni Portio filius Antonius Portius, Episcopus Monopolitanus, Præsul, doctrina, ac sanctitate vitæ nostra ætate nemini secundus, quem honoris causa recenso; quandoquidem, saluberrimis eius monitis, cum adhuc adolescentulus Roma-

Digitized by Google

nam aulam ingressus essem, maximopere adiutus, ac recreatus fui. ab impio autem parente, pium, ac religiosum filium ortum fuisse, minime est credendum.

Sed quid de Pomponatio dicemus, quem fere omnes, impietatis reum faciunt; ita vt, eius sepulturæ inscriptum fuerit, vt refert Iouius, hoc tetrasticon,

En animarum ingens globus, en legio vnde vagantum
Quas tu perpetua luce, carere negas,
Mortuus vt credas, aternam has viuere vitam,
Ad cineres vlulant, Pomponiate tuos.

Hic rei veritate, nimium sensibus, nimium Aristoteli addictus fuit, ita vt, cum mortalem se agnosceret, nonnisi mortalia cogitaret, atque intemperanter, vt ita dicam, philosophatus fuit, immemor illius dicti, *philosophandum est; sed paucis*, quare aliquos ipsius libros numquam probaui, quinimmo vehementer improbo, cum à vera philosophia, & à sana doctrina recedant; cuiusmodi sunt, libri quos de incantationibus, aduersus incantationes inscripsit, necnon, libri de fato & libero arbitrio, & multa, quæ in hoc libello de anima, & alijs duobus opusculis conscripsit. Tamen negari non potest, quin magnus philosophus fuerit, & acerrimo præditus ingenio. In hac verò disputatione, quamuis nimium audax extiterit, ac nimis licentiosè, vt ita dicam, & imprudenter contra veritatem loquatur, ab impietate tamen se alienum profitetur; ac pium & catholicum Christianum se præbet, vt videre est in *vltimo capite libelli de immortalitate, in peroratione operis*, & in *defensorio cap. 20 & cap. vltimo*. Maximum vero atque honorificentissimum testimonium est, quod de illo perhibet admodum Reuerendus Pater Chrisostomus Casalensis, Ordinis prædicatorum, & Regens in Conuentu Bononiæ, vir doctissimus & pientissimus, in tractatu quem edidit de solutionibus rationum Petri Pomponatij, in epistola monitoria, quam ad ipsum transmisit, iussu D Laurentij de Flisco Vicelegati Bononiensis, & Reuer. Patris Ioannis de Bononia Vicarij Reuer. Inquisitoris, in cuius calce hæc habet verba. *Sed antequam solutiones formarem putaui non inutile fore, vnum promittere in tui fauorem, & est, quod fidelium nullus, doctus, aut imperitus de te sinistre opinari habet, eo quod huiusmodi tractatum composuerus. Noui enim te naturaliter simulationis & mendacij inimicum, nec vnum corde detines, alterum vero ore depromis. Testis enim sum quanta benignitate, & humanitate correctionem per nos factam in libro tuo susceperis, postulauerisq; solutiones rationum tuarum, eas catholice approbaturus, sicut opere declarasti. Insuper si quid inconsiderate, aut quadã licentia dicendi, in his tuis tra-*

ctatibus

latibus inuenero, quo vererer infirmorum pias aures offendi, tibi complacuit, vt totum huiusmodi, extraherem; ac seorsum in calce libri imprimeretur, cum decenti, ac catholica interpretatione. Hortor igitur, & obsecro omnes Christifideles, ne temere de te iudicent, qui post habitus omnium philosophorum deceptionibus, vnicã, veram, & inuiolabilem fidem profiteris. aduertant, quod cordium scrutator est solus Deus.

Quæ verba vltimo appoſita, Religioſo, & tali Religioſo digna ſunt. Dominicanæ etenim Regulæ profeſſores, tales ſunt intus, quales ſe foris gerunt. intus candidi, mites, atque humaniores, & ita ex ſui animi candore, cæteros iudicantes, quamuis extra, ſeueriore diſciplina, tetrici appareant, & atrati; ita veſtiri decebat Chriſti anæ Religionis vindices, & impietatis vltores, Religioſo inquam homine verba talia digna ſunt; nam non deſunt, qui maligne de philoſophis ſentientes dicant, illos, dum Ethnicorum ſententias recitant, & eorum argumenta recenſent, ſuam ipſorum ſententiam, quam corde retinent, & pœnarum timore præmunt, exponere, & confirmare. Serpentinum certe commentum, quandoquidem, ſolus Deus ſcrutator eſt cordium, & homo iudicat in facie, Deus autem in corde. ſed certa eſt Seruatoris noſtri regula, vt diſtinguamus Hyppocritas à veris Chriſtianis; *à fructibus* inquit *eorum cognoſcetis eos*. Veri & Chriſtiani philoſophi, diuitias non curant. (niſi hæc perijſſent, profecto ego periſſem, dixit Crates,) honores fugiunt, mendacium abhorrent, cum omne ipſorum ſtudium ſit circa veritatem, impoſturas non norunt, ac magis decipi, quàm decipere eligunt, laceſſiti non rependunt vicem. hæ ſunt philoſophorum, qui vere philoſophantur artes, quales aliquos mea tempeſtate cognoui, qui nunc ſuarum virtutum, in alia vita fructum accipiunt, quos è nomine non recenſeo, ne illis iniuriam faciam; ac propterea philoſophi, viles habentur & fatui, politice, & œconomice inepti, & vulgo, omnibus ſunt ludibrio. vnum vero præ cæteris illis obeſt, quod veritatem amant, & illud comici paruipendunt; *obſequium amicos, veritas odium parit*; hinc illis paratur & exprobratur ægeſtas, quæ minimum illis eſt malum; crimen, vt inquit Apuleius in apologia, philoſophis acceptum, & vltro profitendum. cum diu ſit, ex quo paupertas philoſophiæ vernacula eſt. bona virtutum cuſtos, & promiconda. hinc tot turbæ, & in illos iurgia. ſi negotia fugiunt, inertes ſunt, genio indulgentes, & pigri, ignauum pecus, quod tecto gaudet, & vmbra, ſponſi penelopes, & fruges conſumere nati. Si aulas non frequentant, & mane non ſalutant, neque cum ante ambulonibus videntur. Superbia & tumore, aut liuore & odio alienæ

Digitized by Google

potentiæ, & honoris, id facere censentur, si loquuntur, suspecti sunt, tamquam sussurrones, maledici, & in aliorum mores dicere parati. si tacent, malignum aliquid meditari censentur, aut ineptum & stultum, vt Persius tetigit, inquiens.

Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat, quod satis est sapio mihi, non ego curo
Esse quod Archesilas, aerumnosiq; Solones
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello
Aegroti veteris meditantes somnia, gigni,
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.

Atque ita, miseri & infelices philosophi, non solum ludibrio habentur, sed etiam ab omnibus lacerantur, sed iam, satis superq; digressi sumus, ac præter intentionem; non enim propositum mihi fuit scribere pro philosophis apologiam. nunc eo, vnde discessit, nostra reuertatur oratio.

Non equidem existimarim aliquem ex prædictis philosophis, dolo malo, aut quod ita ipsi sentirent, hanc Aristoteli tribuisse opinionem; sed ob validam aliquam rationem, à qua decepti fuerint, quam hoc capite afferre, & confutationem aggredi designaueram; verum quia nimis prolixus esset sermo, & legentes tædio afficeret. propterea, id in sequenti capite exequemur.

Causa erroris affertur, & sententia impugnatur.
Caput VI.

CAVSAM autem deceptionis primariam, ego existimo, fuisse maximam opinionem, quam de Aristotele cōceperunt; putarunt enim, eum veluti extra aleam cæterorum hominum positum, in omnibus recte sensisse, ac propterea etiam in re tam obscura, & difficili, qualis est humani animi natura, doctrinæ acriuiam ab ipso expetiuerunt, quam neque requirere, neque expectare poterant, quandoquidem, de quibusdam, quæ naturalis cognitionis vires excedunt, inter quæ & animus humanus, & ea, quæ ad ipsum pertinent, connumerantur, exacte, & secundum omnem veritatem dicere, nullius hominis est, nisi

Digitized by Google

niſi ſuperioris numinis ſpiritu afflati, & lumine illuſtrati, iuxta illud Pſalmi (*in lumine tuo videbimus lumen*) putarunt igitur Aduerſarij Ariſtotelem ſtatuiſſe, vnam numero in vnoquoque numerato homine eſſe animam: eiuſdem generis, & naturæ, quæ multis prædita eſſet potentijs, ac facultatibus; potiſſimum autem vegetali, ſentiente, atque intelligente ſeu Principe, quod rei veritate veriſſimum eſt, at vero Ariſtoteli ignotum fuit, putauit enim, ſicut & Plato ſuus præceptor, humanum animum ex duplici ſubſtantia conſtare, diuerſi generis, vna ſcilicet organica, corpori mixta, atque materiali, genita, & corruptibili, qualis eſt, vegetalis & ſenſitiua, altera vero inorganica, immixta, & immateriali, prorſus ingenita, & incorruptibili, qualis eſt intellectus, alterius omnino generis à priori, vt aperte *Ariſtoteles* multis locis docuit, ſed potiſſimum *lib. 2. de generat. animal. cap. 3.* Noluit enim Ariſtoteles diſcedere ab ea, quam veluti certiſſimã, ſibi propoſuit, regula, vt ille animæ partes, ſeu facultates, quæ in ſui operatione corpore neceſſario indigerent, à corpore inſeparabiles eſſent, vt ſi ambulare neceſſario requirit pedes, ergo ambulandi facultas inſeparabilis eſt à pedibus, quæ autem corporis miniſterio nõ habent opus, à corpore ſeparabiles ſunt. Quare, & vegetalis, & ſenſitiua, quæ neceſſario corporeis organis indigent, inſeparabiles à corpore iudicantur; intellectus autem, cum nullo corporis vtatur organo, neque cum eius actione communicet actio corporalis, tamquam aliud animæ genus, ſeparari atque diſtingui à ſenſitiua & vegetali, vt perpetuum à corruptibili, reputabitur, vt clare docuit, non ſolum loco nuper allegato *2. de gener. animal.* verumetiam *2. de anima partic. 21.* Non me latet, Sanctum Thomam, grauiſſimum philoſophum, necnon alios ex ipſius ſchola, viros doctiſſimos, ex Ariſtotele aliter ſentire, & validiſſima cum ratione, non ſolum ex rei natura, quæ & veriſſima eſt, ſed etiam ex authoritate eiuſdem *Ariſtot. 2. de anima tex. 31. & 32.* tamen ego non ſolum cum Auerroe, verumetiam cum alijs multis, doctis, & peripateticis philoſophis, exiſtimo, Ariſtotelem fuiſſe in prædicta ſententia, vt exiſtimarit ſcilicet, duas animæ partes, diuerſi generis, ineſſe homini; vnam corruptibilem; alteram vero incorruptibilem. Locum vero citatum *2. de anima tex. 31. & 32.* indigere diligenti diſquiſitione, vt infra, Deo iuuante fuſius declarabimus, cum diſputationem hanc examinandam proponemus, vbi poſt recitatam hanc Ariſtotelis poſitionem, eius falſitatem oſtendemus, eiusq; fundamenta & rationes confutabimus: cum prædicta ſententia de duabus animabus, iure merito damnata fuerit in Concilio generali 8., & à Sancto Auguſtino,

ſtino, & cæteris Patribus, tamquam hæreſis Manichæi. & ita à nobis pariter damnetur. Nunc vero, quia Ariſtot. mentem, & ſententiam exponimus, ſtatuimus, quod Ariſtoteles, duplex animæ genus in homine eſſe putauerit, vnum corruptibile, quod comprehendit ſenſitiuum, & vegetatiuum, & alterum incorruptibile, quod eſt intellectus, quemadmodum exiſtimarunt ex peripateticis Philoponus, Simplicius, Themiſtius, & omnes Græci, vno excepto Alexandro, aut ad minimum, quod non ſit ita certum apud Ariſtotelem, quod vna ſit in homine anima: vnius ſubſtantiæ, & naturæ, vt aduerſarij ſupponunt, cum nihil implicet etiam apud bonos peripateticos, & Ariſtotelem ipſum: ex pluribus actibus componi vnum per ſe; modo tamen ex illis pluribus actibus, vnus tantum obtineat vicem actus & formæ, vltimus ſcilicet & perfectiſſimus; reliqui autem tamquam imperfecti, & ad vltimum ordinati, ſtent ex parte materiæ, & ſe habeant vt potentia, ac veluti genus ad differentiam, in diffinitione eſſentiali, vt clare docuit philoſophus *7. metaphiſic. cap. 15. & 8. cap. vltimo*, & fuſe *Scotus 4. ſententiar. diſtinct. 11. quæſt. 3.* atque ita Ariſtoteles nihil abſurdum putauit, animam humanam eſſe vnam formam, quæ tamen conſtaret ex duplici actu, vno ſcilicet corruptibili, qui ſe haberet vice generis & potentiæ, vegetali ſcilicet & ſentiente; altero vero, qui eſſet telos, & perfectio, ſiue vltimus actus. Intellectu ſcilicet, à quo homo in ſpecie, & actu vltimo conſtituitur, quod aperte etiam ſignificauit *lib. 2. de generat. animal. cap. 3.* cum dixit, fœtum primo participare animam vegetalem; deinde vero ſenſualem; ac vltimo rationalem, qua homo eſt. Cum itaque ipſi, tamquam certiſſimum aſſumpſerint, animum humanum, apud Ariſtotelem eſſe vnius ſubſtantiæ & naturæ: in omnibus paralogizarunt, ac potiſsimum *Pomponatius libello de immortalitate animæ cap. 8.* prope principium, vbi, ex eo quia humana anima materialiter operatur, vt vegetatiua; non omnes formas recipit, vt ſenſitiua; necnon corporeo vtitur organo, temporalia, & caduca affectat. ipſam eandem veraciter, & ſimpliciter mortalem eſſe colligit. cum tamen paulo ante, ex eo quod formas omnes materiales recipit, quod recepta in ea, ſunt actu intellecta, quod non vtitur organo corporeo, quod æternitatem, & ſuperna affectat, contrarium deduxiſſet, eamdemq; eſſe immortalem ſtatuiſſet. Quare factum eſt, vt non ſolum hoc capite; verumetiã ſequenti, & alijs duobus libellis, Apologiæ & defenſorij contradictoria de humano animo, ſimul affirmare coactus fuerit, ſimul enim immortalem, & mortalem ipſum dicere non dubitauit; ſequenti autem capite, nono ſcilicet, hæc habet verba ſtatim in principio

Digitized by Google

cipio capitis. *Cum itaque primus modus, ponens intellectiuum realiter distingui à sensitiuo in mortalibus, secundum omnes impugnatus sit modos, & secundus, ponens, quod intellectiuum & sensitiuum sunt idem re, & tale est simpliciter immortale, & secundum quid mortale: sit valde ambiguus, nec conuenire videatur Aristoteli. Reliquum est, vt ponamus vltimum modum, qui ponens sensitiuum in homine identificari cum intellectiuo. dicit quod essentialiter, & vere, hoc est mortale, sed secundum quid immortale. & vt ordinate procedamus, dicemus iuxta illa quinque dicta in superiori capitulo, & primum quidem nos simpliciter concedimus, quod intellectiuum & sensitiuum in homine identificatur in re. verum in secundo, nos discordamus, quia dicimus, quod tale vere & simpliciter est mortale secundum quid vero, & improprie immortale.*

Quam vero absurdum sit, duo simul contradictoria de eodem affirmare, vnicuique notum est, cum hoc sit mere & simpliciter impossibile, quod autem mortale & immortale contradictionem includant, non est dubitandum; quandoquidem affirmationem, & negationem continent eiusdem prædicati de eodem subiecto, aut enim humanus animus vere & proprie est mortalis, & tunc nullo pacto poterit esse immortalis, aut è conuerso: nulla igitur, & vanissima erit distinctio à Pomponatio allata, quod animus humanus per se, ac simpliciter sit mortalis, secundum quid vero sit immortalis, vidit Pomponatius hoc absurdum, & illud sibi ipsi obiecit *cap. 2.* sequenti autem capite ab ipso se explicare cupiens, statuit animum per participationem dici mortalem, & immortalem, longe autem diuersum esse; continere immortalitatem, & illam eandem participare; multa enim, quamuis mortalia immortalitatem participant, vt omnia, quæ sibi simile gignunt secundum speciem, & omnibus diuinum numen adesse; Aristoteles, Heraclitum laudans, dixerat, & hominem, ita diuinitatem participare. huius rei etiam exemplum attulit; Aristot. enim, Auerroe referente, lunam participare terræ naturam dixerat, quamuis ex ipsius sententia, sit incorruptibilis, terra autem corruptibilis; sed ò bone Pomponiati, quid dicis? numquid principia philosophiæ naturalis, tam cito dedisces? quomodo idem potest mortalitatem, & immortalitatem participare, si mortale, & immortale differunt genere, quæ autem differunt genere, differunt subiecto; nullo igitur pacto potest vnum, & idem participare mortalitatem, & immortalitatem, aut mortale, & immortale dici. ratio autem euidens est, quia quod est mortale; ita est, vt possit non esse; huius autem radix est, potentia contradictionis, quæ est cum materia, quod autem est immortale, ita est, vt non possit non esse; hoc vero quia caret materia. Animaduertit hoc Pomponatius vir

quippe acutissimus, & tamquam ad aliud responderet, solutionem insinuauit in eodem capite, in responsione ad secundum dubium; cum enim dubitasset quomodo possit dici animus secundum quid immortalis, si simpliciter sit mortalis; aut enim vere & proprie est immortalis, & tunc improprie erit mortalis, aut è contra, & inter hæc non datur medium, respondens inquit. *Ad secundam dubitationem dicitur, quod & si inter proprie & improprie non datur medium; tamen per participationem proprietatum datur medium, sicut licet inter substantiam & accidens, non detur medium; nihil enim est, quod non sit, vel substantia, vel accidens; tamen aliquid ponitur participare de proprietatibus vtriusque: sicut & moueri secundum partem, ponitur medium inter moueri per se & per accidens, vt dicitur quinto phisicor., quare animus humanus & si improprie dicatur immortalis, quia vere mortalis est. participat tamen de proprietatibus immortalitatis.*

Hanc eandem responsionem sequutus fuit Zabarella, loco à nobis cap. præcedente, citato *libello de mente humana cap. 9.* illam vero melius etiam quam Pomponatius expressit; statuit enim humanum animum non esse medium inter mortale, & immortale, per veram extremorum participationem, at solum per eorum similitudinem; sed contra Pomponatij responsionem, ita arguo. Aut humanus animus vere est mortalis vel immortalis, aut non vere, si vere est immortalis, aut mortalis; ergo per essentiam, & sui natura est immortalis, aut mortalis; non autem per participationem proprietatum. si non vere, ergo neque per participationem proprietatum, quia vbi non est essentia alicuius rei, neque possunt esse proprietates illius rei. quare melius Zabarella dixit, non per veram extremorum participationem animum esse medium inter mortale, & immortale; sed per solam similitudinem. Integrum igitur remanet argumentum, & in suo robore, quod sibi ipsi obiecit Pomponatius; nempe si non vere & proprie intellectus dicitur immortalis, non minus dici posset alia quælibet res; canis scilicet, aut lupus, quod argumentum pariter, & contra Zabarellam militat. Nec minus sibi met ipsi pugnantia, & absurda Pomponatius loquitur ex falsa huiusmodi positione, *libello* etenim *de immortalitate animæ cap. 8. & 9.* vbi prædictam suam statuit positionem, his præcise verbis loquitur, potissimum *cap. 9.* paulo post principium. *Et primum quidem nos simpliciter concedimus, scilicet quod intellectiuum, & sensitiuum in homine identificantur in re, verum in secundo nos discordamus, quia dicimus, quod tale vere, & simpliciter est mortale, secundum quid vero & improprie immortale.* & capite præcedente, etiam paulo post principium inquit, *sed pariter cum ipsa materialiter operetur, vt vegetatiua, non omnes formas recipit, vt sensitiua, &*

eadem

Digitized by Google

eadem organo corporali vtitur, temporalia & caduca affectat, probabitur quod ipsa, veraciter, & simpliciter sit mortalis. Verum ex ea parte, qua intelligit, secundum quid immortalis erit.

His autem omnino contraria, & è diametro pugnantia, paulo post statuit eodem capite nono; cum enim pro comperto decreuisset intellectiuum, & sensitiuum esse idem re, atque vnam & eandem animam esse sentientem, & intelligentem, hæc habet verba. *Verum omnia aperta sunt ex prædictis, neque vlla est contrarietas; intellectus enim absolute, & qua intellectus est, omnino immixtus, & separatus est, at humanus vtrumque retinet; nam separatur à corpore, vt subiecto, non separatur vero vt obiecto.*

Ex quibus ita arguo, intellectus quatenus intellectus, est immixtus, & separatus, ergo intellectus per se est immixtus & separatus. consequentia est clara apud bonos logicos, nam prædicatum secundum quod ipsum, est prædicatum per se, & habet maximam necessitatem, ex *Aristot. 1. posterior. textu 36.* ex Auerrois partitione, quod si est prædicatum per se, & necessarium, ergo est prædicatum simpliciter, & verum; nam quod est per se tale, est simpliciter tale, quemadmodum quod est secundum accidens tale, est secundum quid tale. si ergo intellectus quatenus intellectus, est immixtus, & separatus, ergo intellectus simpliciter, & vere est immortalis, non autem secundum quid, & per accidens, vt ipse inquit, quinimmo in alio etiam sibi ipsi hoc loco contradicit; cum enim dixisset paulo ante, animum humanum simpliciter, ac vere esse mortalem: hic dicit, intellectum humanum, qui apud ipsum est idem re, quod animus, esse & separatum siue immortalem, & non separatum siue mortalem; nam inquit ipse, separatur à corpore, vt subiecto, non separatur, vt obiecto. contra quod arguo. separatur à corpore, vt subiecto, non separatur autem, vt obiecto; ergo per se & simpliciter, est immortalis, per accidens vero, & secundum quid est mortalis. probatur sequela; nam esse separabile à corpore, tamquam subiecto, dicit esse separabile ab intrinseco, & ex ratione essentiali, quia est non dependere secundum esse, & ab intrinseco à subiecto, esse autem inseparabile ab obiecto, est esse inseparabile ab extrinseco, cum potentia, quantum ad operationem tantum, pendeat ab obiecto. atque ita potius contrarium est asserendum, ex ipsiusmet Pomponatij concessis; nempe animum humanum simpliciter & vere esse immortalem, secundum quid autem, ac per aliud, siue improprie esse corruptibilẽ; nempe ratione potentiarum, vegetatiuæ & sensitiuæ, quæ indigent organis corporeis. Et paulo infra, eodem capite manifestius sibi contradicit, volens enim respondere authoritati Aristot.

dicen-

dicentis *12. metaphiſicor. textu 17.* quod nihil prohibet aliquam formam remanere poſt compoſitum, vt animam: fortaſſe non omnem, ſed intellectiuam. hæc ſcribit. *Et quod dicitur de textu 17. 12. metaphiſicor. non approbo Alexandri reſponſionem, quam ibi refert commentator ex Themiſtij relatione, illud ſcilicet intelligi de intellectu agente; nam intellectus agens non eſt forma hominis; ſed intelligitur de intellectu poſsibili, qui quandoque intelligit, & quandoque non. corrumpitur enim quodam interitu corrupto, ideſt ſenſitiuo, cui identificatur. Verum Ariſtot. illud intelligit de per ſe, non per accidens; quaſi dicat nihil prohibere eum manere qua intellectus eſt, non qua humanus, cum in primo de cælo demonſtratum ſit, quod omne genitum corrumpitur.*

Et lib. 1. apologiæ cap 7. non ſatis longe poſt principium, volens ſuam ſententiam confirmare, & oſtendere, nullam Ariſtotelis authoritatem illi aduerſari, inquit; *Ideoq; dicendum cenſemus, & Ariſtotelem proculdubio ſenſiſſe animam humanam, mortalem ſimpliciter, nullam tamen harum authoritatum ſibi pugnare; quapropter ſciendum eſt, multas propoſitiones eſſe per ſe neceſſarias; quæ tamen ſecundum accidens ſunt impoſsibiles; veluti Themiſtius, Auerroes, Albertus, Thomas, Egidius, & quamplures alij poſuere. etenim continuum, eſt diuiſibile ad infinita, omnis motus eſt continuus; omnis motus eſt velocitabilis in infinitum & tardabilis; omnes enim hæ ſunt neceſsariæ, & ab Ariſtot. poſitæ in 6. phiſicor. tamen in 8. eiuſdem dicit, nullum continuum ad infinita poſſe diuidi; quandoquidem res naturales ſunt terminatæ ſecundum maximum & minimum; dicitq; in eodem 8. ſolum motum localem eſſe poſſe continuum; & nihil poteſt in infinitum velociter, vel tarde moueri; eadem ratione, quia ſcilicet omnia naturalia ſunt terminata. quare tametſi per ſe illæ ſint neceſſariæ, per accidens tamen ſunt impoſsibiles. appello autem per ſe neceſſarias non ſecundum primum, vel ſecundum modum dicendi per ſe, quia iſtud eſſet merum impoſsibile; ſed ſecundum tertium modum, qui eſt, quod ſi dictæ propoſitiones ſumantur ſecundum ſe, & in eſſe vniuerſali, & abſtracto à determinata materia ſunt veræ propoſitiones. vnde motus qua motus eſt, non vt localis vel alterationis, & in ſui generalitate eſt continuus, licet in determinata materia non ſit continuus, vt 8. phiſicor. dicit Ariſtot. continuum etiam ſumptum in ſua generalitate, & non vt in naturali materia, diuiditur ad infinita; ſed in determinata, vtpote naturali, ſic diuidi non poteſt; idemq; ſtatuatur de velocitate & tarditate, quare proportionabiliter ſumitur per accidens, ſicuti per ſe; dicitur enim neceſſariũ per ſe, ideſt ſolitarie ſumptũ, quare per accidens ei oppoſitum ſumitur, vt alteri coniunctum & in, determinata materia, vnde fit, vt multa videantur pugnare, quæ tamen minime pugnant, quia non ſecundum idem ſumuntur; vnde dicere omne continuum diuidi ad infinita, & nullum ſic diuidi, oppoſitionem non habent; ſi vnum ſumatur per ſe, ſcilicet omne continuum diuidi ad infinita, qua continuum eſt, & abſtractum à materia*

Digitized by Google

ria ſenſibili, nullum autem continuum ſic diuiditur, vt coniunctum materiæ ſenſibili, pariterq; dicatur de cæteris, & Ariſtot. modo enunciat vnam; modo alteram, ſecundum quod conuenit propoſito; quamquam quaſi ſemper vtatur ea, quæ eſt per ſe; philoſophorum namq; ſermones vt in pluribus, accipiuntur ſecundum ea, quæ ſunt per ſe; tametſi aliquando ponant ea, quæ ſunt per accidens. per quæ dicta modo, poteſt patere ſolutio ad ea quæ oppoſita ſunt. dicimus itaq; intellectum, & poſſe præcedere, & poſſe ſubſequi corpus, loquendo de intellectu per ſe; cum enim nullus intellectus indigeat corpore, vt ſubiecto, non ſibi repugnat, qua intellectus eſt, & præcedere, & ſubſequi; veluti omnis motus qua motus eſt, poteſt in infinitum velocitari & tardari, vt 6 phiſicor. dicitur, at qua humanus neque poteſt præcedere, neque ſubſequi, cum ſimul ſit, & non ſit cum corpore, quia 15. text. 2. de anima, in mortalibus impoſsibile eſt intellectiuum ſeparari à ſenſitiuo, & 20. text. 3. de anima. ſine hoc, ideſt paſsiuo, intellectu, nihil intelligit anima. licet ratione ſui neque incipiat, neque deſinat; ſed qua ſenſui coniunctus eſt. quare nihil contra nos! neque Ariſtot. ſibi contradixit.

Quo toto verborum proceſſu, contrarium plane oſtendit, eius quod propoſuerat, patet enim inde concludi, intellectū eſſe ſimpliciter, & per ſe immortalem, ſecundum quid vero, & per accidens mortalem, vnde ſuccurrit mihi, illud Pomponatio euenisſe, quod & Balaam, legitur in ſacris litteris, qui cum maledicturus acceſſiſſet, conuerſa lingua pro maledictione benedictionem protulit; ſi enim intellectus quatenus intellectus, eſt immortalis, & hæc propoſitio abſolute ſumpta, eſt neceſſaria, ergo intellectus ſimpliciter, & vere eſt immortalis, quod ſi poſtmodum, ratione, qua cōiungitur ſenſui, & organis corporeis vtitur, eſt mortalis. hoc eſt, ſecundū quid, & per accidens; vnumquodque autem debet denominari ab eo, quod eſt per ſe, non autem ab eo quod accidit, vt conſuetum eſt philoſophis, teſte ipſomet Pomponatio. Animus igitur humanus, immortalis dicendus eſt, non mortalis. Hæc Pomponatius, in quibus quamuis multa confarcinauerit, quæ diligentiori indigent lima, vt eſt illud, quod aliqua propoſitio, quæ abſolute eſt neceſſaria, ſecundū quid poſsit eſſe impoſsibilis; falſam enim hanc regulam exiſtimo, nam quod neceſſarium eſt eſſe, impoſsibile eſt non eſſe. exempla autem allata de continuo, & de motu id non probant, cum in diuerſo ſenſu accipiantur, ſimpliciter, & ſecundum quid, hæc enim propoſitio, continuum, vt continuum, eſt diuiſibile in infinitum, ſi mathematice accipiatur eſt neceſſaria, quia abſtrahit à materia ſenſibili. ſi autem phiſice accipiatur, eſt impoſsibilis; quinimmo ſi recte accipiatur, etiam phiſice, erit vera. ſumitur enim illud diuiſibile, non actu, ſed poteſtate, quod pariter dici poteſt de motu, tamen ipſa præ-

termit-

Digitized by Google

termittemus, ne limites noſtræ diſputationis egrediamur, & ambitioſe ad aggerandam libri molem, multa abſque delectu in vnum congeſſiſſe videamur. Manifeſtiſſime autem idem docet *cap. 9.* ſæpius citato *libelli de immortalitate animæ, circa medium*. his verbis. *Sed pro tanto dicitur intellectio non eſſe in organo, & in corpore, quia modo quantitatiuo & corporali non eſt in eo, quapropter poteſt intellectus reflectere ſupra ſeipſum, diſcurrere & vniuerſaliter comprehendere, quod virtutes organicæ, & extenſæ minime facere queunt, hoc autem totum prouenit ex eſſentia intellectus, quia, qua intellectus eſt non pendet à materia, neque à quantitate, quod ſi humanus intellectus ab ea pendet, hoc eſt, vt ſenſui coniunctus eſt, quare accidit ſibi, qua intellectus eſt, à materia & quantitate dependere, vnde & eius operatio non eſt magis abſtracta, quam eſſentia; niſi enim intellectus haberet, quod ex ſe poſſit eſſe ſine materia. Intellectio ipſa non poſſet exerceri niſi modo quantitatiuo & corporali.*

Quibus verbis nihil clarius, aut apertius eſſe poteſt, itaut mirandum vehementer ſit, virum doctiſſimum alioquin, & ſolertiſſimum, adeo turpiter breuiuſculo ſermonis ſpatio, tam ſæpe ſuam ipſius ſententiam oppugnaſſe, & ſibi ipſi contradixiſſe.

Satis igitur ſuperq́; , vt omnibus patet, qui à veritate perſuaderi velint, oſtenſum, ac demonſtratum fuit, tum ex re ipſa, tum ex aduerſarij confeſſione, ſententiam Pomponatij, qua humanum animum ex Ariſtot. mente mortalem ſtatuere conatur, eſſe falſam & impoſſibilem, quam cum pariter Zabarella ſequutus fuerit, non opus eſt denuo peculiari ipſius nomine confutare. Vnum tantum apponam illuſtre eiuſdem teſtimonium, quo tamquam purus philoſophus, & ex meris naturæ principijs; quinimmo & ex Ariſtot. ipſius doctrina humani animi immortalitatem ingenue confitetur. Hic inquam Zabarella in opere de rebus naturalibus, quo multas, & eas non minus ſubtiles, quam dilucidas habuit diſputationes. *Opuſculo de accretione & nutritione cap. 15.* non ſatis longe à fine capitis, hæc teſtatus fuit. *Non poſſum hic me continere, quin dicam id, quod mihi eum locum conſideranti venit in mentem, quod non credo Ariſtotelem cogitaſſe, quamquam illud cogitare maxime debuit; ſumitur enim ex eo loco, & ex Ariſtot. confeſſione, argumentum aliquod, vel ſaltem coniectura de animi humani immortalitate; cum enim de anima vegetante, quæ ignobiliſſima omnium animarum eſt, loquens ibi Ariſtot. fateatur, eam eſſe modo aliquo immaterialem, & eleuatam, & liberam à nexu materiæ, quia poteſt ſaltem à partibus ſuæ materiæ ſeparari; credendum eſt, animam ſenſibilem multo eleuatiorem eſſe; ſed maxime omnium, animam rationalem. proinde ita eſſe liberam à nexu materiæ, vt poſſit etiam à tota ſua materia ſeparari, ſi aliæ partes animæ ſunt à partibus ſuæ materiæ ſeparabiles. eo enim negato non haberet*

anima

Digitized by Google

anima rationalis maiorem elevationem, quam anima vegetans, quod non videtur esse consentaneum rationi.

Et quamuis dicat se credere, Aristotelem hoc non cogitasse; ne ipse inconstantiæ redargueretur, cum alibi de mente Aristot. contrarium ostendisset. tamen athrmat, hoc ex confessione Aristotelis desumi, quod vero dicit, posse ex hoc argumentum aliquod, vel saltem coniecturam desumi; non mirum est. hoc enim dixit ad differentiam exactæ demonstrationis; in re enim tam ardua exactas demonstrationes accipere est difficillimum, non parum autem est, validum argumentum afferre, aut fortem coniecturam, qualis hæc est præcipue ad hominem, & ex Aristot. confessione. Reliquum esset nunc Castellani opinionem confutare. verum quia tam manifeste absurda,& erronea est, vt statim seipsam prodat, propterea illam silentio præterire consultius iudicaui. Hoc saltem contra ipsam afferam; non posse intellectum esse substantiam potentia, vt est materia, quemadmodum ipse somniauit; aut enim intellectus est anima, vt ipse idem statuit, cum sit entelechia, & ita est actus, non potentia, aut est animæ particula, & tunc idem pariter dicendum est. hoc autem fuit satis abunde ab *Aristot.* demonstratum *2. de anima cap. 1.* ex sufficienti omnium substantiarum enumeratione. Quare confutata Alexandri sententia, cum qua conspirauit Portius, confutata Pomponatij opinione, quæ fuit etiam Zabarellæ; ac reliqua etiam vltima explosa. Concludi potest, omnem modum, quo hucusque peripatetici animum humanum mortalem ex sententia Aristot. statuere, & astruere conati sunt, esse falsum & impossibilem. Contrariam vero illi sententiam, scilicet quod sit immortalis, esse veram & necessariam.

Recensentur reliqui modi, quibus alij extra Aristot. sectam conati sunt ostendere, Animum humanum mortalem, ac potissimum Democritus, Epicurus, Lucretius, Hyppocrates, Galenus, & Stoici.

Caput VII.

LET si pro suscepto munere id mihi sufficeret, quod hucusque probatum fuit, omnem viam, ac modum hactenus ex Aristot. sententia ab aduersarijs assignatum ad probandam, atque astruendam animi mortalitatem, esse fallum, & impossibilem; tamen vt magis eluceſcat veritatis constantia,

ſtantia, quia quod eſt abſolute verum, eſt vndequaque verum, & ſemper verum. Decreui & omnes alios modos recenſere, quibus nonnulli ex priſcis philoſophis hanc eandem ſententiã tueri conati ſunt, vt ipſis pariter confutatis omnis errorum nebula diſſipetur. Inter cæteras, quas recenſuit antiquorum ſententias *1. de anima Ariſtot.* Democriti prior eſt, quam etiam ſequutus fuit Leucippus, & aliqui ex Pytagoricis. Is igitur cum ſtatuiſſet, omnia ex atomis, hoc eſt indiuiſibilibus corpuſculis conſtare, varia figura, ordine, ac ſitu præditis, etiam animam ex his ijſdem conflari exiſtimauit; vnum vero, & idem eſſe dicebat animam, & intellectum; cum autem anima, & ſibi ipſi, & corporibus, quibus ineſt, ſit motus principium, non ex quibuſlibet atomis conſtare debebat, ſed ipſam ex ſphericis, ſiue rotundis coagmentari par erat, tamquam maxime mobilibus, & facile penetrantibus, ex quibus etiam ignis conſtat. quare & ignem quemdam, & calorem animam appellauit.

Hanc vero ſententiam non ſolum ex motu, ex quo animæ eſſentia arguitur, & innoteſcit; verumetiam ex viuere confirmauit; tamdiu enim nos viuere, certum eſt, quamdiu ſpiramus. Spiramus autem ob duplicem vſum, & vt atomi, ex quibus anima conſtat, ſua natura mobiles, ac facile eluctabiles, vtputa ſpherici, & continuo agitati, ac propterea corpore euolantes, alijs per inſpirationem ingredientibus inſtaurentur, & vt ab aere intus recepto, & comprimente cohibeantur, ne reſiliant, & valida conglomeratione agitati è corpore extrudantur. Non ſolum vero huic ſententiæ ſubſcripſit Democritus, & Leucippus, vt ſupra Ariſtot. referente diximus, verum etiam Epicurus, qui hac atomorum compage reſoluta, animum interire, dixit, vt apud Lucretium fidiſsimum eius diſcipulum, & interpretem videre eſt *lib. 3.* his carminibus, non longe poſt principium libri.

Et quoniam docui cunctarum exordia rerum
Qualia ſint, & quam varijs diſtantia formis
Sponte ſua volitent, alterno percita motu
Quoque modo poſſint ex his, res quæque creari
Haſce ſecundum res, animi natura videtur,
Atque anima claranda meis iam verſibus eſſe,
Et metus ille foras præceps acheruntis agendus
Funditus humanam, qui vitam turbat ab imo
Omnia ſuffundens mortis nigrore, nec vllam
Eſſe voluptatem liquidam, puramq; relinquit.

Et paulo infra:

Is tibi

Is tibi nunc animus, quali ſit corpore, & vnde
Conſtiterit; pergam rationem reddere dictis
Principio eſſe aio perſubtilem, atque minutis
Per quam corporibus conſtare, id ita eſſe
Hinc licet aduertas, animum vt pernoſcere poſsis,
Nil adeo fieri celeri ratione videtur,
Quam ſi mens fieri proponat, & inchoet ipſa
Ocius ergo animus, quam res ſe perciet vlla,
Ante oculos, quarum in promptu natura videtur,
At quod mobile tantopere eſt, conſtare rotundis
Per quam ſeminibus debet, perquamq; minutis
Momine vti paruo poſsint impulſa moueri.

Et paulo poſt:

Nunc igitur quoniam eſt animi natura reperta
Mobilis egregiè per quam conſtare neceſſe eſt
Corporibus paruis, & leuibus, atque rotundis,
Qua tibi cognita res in multis, ò bone rebus,
Vtilis inuenietur, & opportuna cluebit.

Animas vero omnes, atque etiam animum, hoc eſt humanam animam, ita ex paruis, atque rotundis atomis conflatam, & igneam: mortalem eſſe paſsim aſſerit, multisq; rationibus confirmat, quas ſequenti libro ſigillatim recenſebimus, ſimul cum alijs immortalitatem oppugnantibus, vt ipſas ſoluamus. ita autem de ipſis inferius habet:

Nunc age natiuos animantibus, & mortaleis
Eſſe animos, animasq; leues, vt noſcere poſſis
Conquiſita diu, dulciq; reperta labore
Digna tua pergam diſponere carmina vita,
Tu fac vtrumque vno: ſubiungas nomen eorum,
Atque animam, verbi cauſa, cum dicere pergam
Mortalem eſſe docens, animum quoque dicere credas,
Quatenus eſt vnum inter ſe coniunctaq; res eſt.

Hanc eandem ſententiam ſequutum fuiſſe Hyppocratem Coum Medicorum principem, qui Democriti diſcipulus fuit, conſtat ex *libro Epidemiorum 6. ſectione 5.* vbi inquit. *Hominis anima ſemper producitur vſque ad mortem, ſi vero efferbuerit. vna cum morbo etiam anima corpus depaſcitur.*

Quibus verbis clarum eſt, Hyppocratem calorem animam appellare; calor etenim eſt, qui ſemper, & vſque ad mortem producitur, hoc eſt, conſeruatur, & inſtauratur, cibis ſcilicet, & alimento tamquam fomen-

Digitized by Google

fomentis, qui ſi efferbuerit, ſiue igniatur, quod in febre contingit, quæ eſt conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam. vna cum morbo corpus depaſcitur. Quia vero animæ naturam; non modo ex eo determinarunt, quod ſit motus principium, verumetiam ex ipſo cognoſcere, quod pariter ad ipſam pertinet; his enim duobus animata ab inanimis differunt, propterea & alij fuerunt philoſophi, qui eo aſſumpto principio, quod ſimile ſimili cognoſcatur. Animam ex elementis conſtare exiſtimarunt, itaut qui vnum elementum,& principium omnium ſtatuerunt, ex hoc vno pariter animam conſtare dixerint. Quare Diogenes, & alij quidam ipſam, aerem eſſe dixerunt, cum exiſtimarint, aerem eſſe principiũ. & ſubtiliſſimas partes omnium habere; ac propterea maxime mouere, & cognoſcere. Heraclitus autem vaporem animam dixit, ex quo alia conſtituit. Hippo autem aquam exiſtimauit, quod magis oneroſum, hoc eſt magis durum, ac difficile, vt credatur, Ariſtoteles dixit; puto equidem, quia aqua minus apta eſt ad motum inter cætera elementa, vna tantum excepta terra, quam nullus eſſe animam dixit, niſi ſi quis exiſtimauit, ipſam eſſe omnia elementa, aut ex omnibus conſtare elementis. Perſuaſus autem fuit Hippo ex genitura, quæ cum humida ſit, aqua videtur eſſe. ex quo eorum ſententiam improbauit,qui animam ſanguinem dixerunt, cum genitura non ſit ſanguis, & ex genitura primum anima originem ducat. Critias autem ſanguinem exiſtimauit eſſe animam; cuius ſententiam aliquando ſequutus fuit Poeta noſter, inquiens:

Purpuream vomit ille animam, & cum ſanguine mixtam
Vina refert moriens.

Exiſtimauit autem hoc Critias, quia ſentire maxime proprium animæ dicebat eſſe; ſentire autem ipſum ad ſanguinem referebat; puto quia animalia ſanguine prædita magis ſentiunt; exanguia vero contra. Qui vero plura conſtituerunt rerum primordia, & ex pluribus animam conſtare dixerunt, quorum vnus fuit Empedocles, qui in ſuis carminibus de anima, ita cecinit.

Terra quidem terram cognoſcimus, aqua autem aquam,
Aethere vero æthera diuum, ſed igne ignem manifeſtum,
Concordiam autem concordia, diſcordiam vero diſcordia triſti.

Eodem modo etiam & Plato in Timeo animam ex elementis conſtituit. Supponens & ipſe à cæteris acceptum principium, cognoſci ſimile ſimili. Ex his autem omnibus, quos cum Ariſtot recenſuimus, vix duo, aut tres, animam immortalem ſtatuerunt. quorum vnus

Ariſtot.

Digitized by Google

Ariſtot. referente fuit Alcmeon, qui exiſtimauit animam immortalem eſſe, ex eo quia perenniter mouetur, & in hoc immortalibus eſt adſimilis, ſoli, lunæ, aſtris, & cælo. Alter vero fuit Anaxagoras, qui ſolus impaſſibilem dixit intellectum, & immixtum, & quamuis aliud animam, & aliud eſſe intellectum dixerit, tamen aliquando vtriſque ſicut vna natura vſus fuit. Tertius autem fuit Plato, qui & ſi ex elementis, in Timeo animam componere viſus fuit; tamen conſtat, eum ſub typo & inuolucris loquutum fuiſſe. vt patet ex ijs, quæ in libris de philoſophia, ab Ariſtotele citatis, vbi animam ex vnius idea, & ex prima longitudine & latitudine, & altitudine conſtituit, & intellectum quidem eſſe vnum; ſcientiam vero duo, ac opinionem habere numerum plani, ſenſum vero ipſius ſolidi, quæ omnia nonniſi arcano ſenſu, fuiſſe à Platone pronunciata, manifeſte hoc loco Ariſtoteles ſignificat, ſeq; tantum externum, & apparentem. Platonis ſenſum oppugnaſſe, de quibus hoc loco, dicendum mihi non eſt, ne à propoſito digrediar: conſulat diligens lector Calcidium in Timeum, & alios Platonicos. Tertius inquam fuit Plato, qui non ſolum, in Timeo & in Phœdone, & alibi paſſim, & ſæpiſſime, animum humanum immortalem affirmauit. verum etiam, in Phædro demonſtrauit, ex eodem capite, quo Alcmeon; nempe, quia ſemper mouetur, vt & nos ſuo loco, Deo iuuante, oſtendemus. Reliqui autem omnes præter hos, ipſam mortalem conſtituerunt. Quicumque enim, (vt Ariſtot. inquit) contrarietates faciunt in principijs, & animam ex contrarijs conſtituunt, qui autem alterum contrariorum, vt calidum, aut frigidum, aut aliquid huiuſmodi aliud, & animam ſimiliter vnum aliquod horum eſſe ponunt. Vnde & nomina conſequuntur, qui quidem calidum dicentes, propter hoc & τὸ ζῆν, ideſt viuere nominatum eſſe, qui autem frigidum, propter refrigerationem & reſpirationem, vocari ψυχὴν, ideſt animam. Præcipue autem Empedocles, ipſam mortalitate damnat, ex contrarijs conſtituens, non ſolum brutorum animas; ſed & ipſum hominis animum. cum idem opinatus fuerit eſſe, intelligere, & ſentire, & vtrumque corporeum. *Ariſtot.* referente *2. de anima tex. 150. & 151.* Exiſtimauit vero Empedocles, animam eſſe temperaturam, ſiue miſtionem, & craſim elementorum, calidi ſcilicet, frigidi, humidi, & ſicci; vt idem *Ariſtot.* retulit *1. de anima partic. 58. & 59.* Hanc opinionem ſequutum fuiſſe Galenum aperte conſtat in libello, quod animi mores ſequantur corporis temperaturam; vbi ſuam hanc ſententiam non ſolum validis argumentis; verumetiam authoritate grauiſſimorum virorum, Ariſtotelis, Platonis, & Hyp-

pocratis ; munire conatus est ; & quamuis in hoc *eodem libello cap. 3. in principio*. dubium se in hoc quæsito præbeat, his verbis. *Ex his autem totius animæ speciebus, at partibus, immortalem esse eam, quæ ratiocinatrix est : Plato videtur habuisse persuasum. Ego vero, vtrum sit, an non, nihil habeo, quod cum ipso contendam.* Et libello de formatione fœtus capite vltimo dicat. *Caterum, quemadmodum dixi, cum nullam inuiniam opinionem, scientiam efficiente demonstratione aliqua, confirmatam; Fateor me, de substantia animæ dubitare, nec vel probabile quippiam habere, quod afferam.* Et in calce eiusdem capitis. *Quæ tamen sint hæc principia, manifeste non sum ausus constituere. Id quod, cum alijs in libris declarauí, tum in eo præcipue, qui est de animæ speciebus animæ substantiam vbique veritus definire. Neque enim, corporea sit anima, an incorporea; æternane prorsus, an corruptioni obnoxia, linearibus, atque exquisitis demonstrationibus vsum quempiam inueni.*

Tamen ex prædicto libello, quod animi mores sequantur corporis temperaturam ; manifeste constat, ipsum ita sensisse, nec aliter ; nempe, quod anima & animus, sint temperamentum quatuor qualitatum, vel potius substantia & forma, quæ ad hoc temperamentum sequitur, vt infra etiam dicemus. Hæc autem sunt eius verba *cap. 4. Andronicum autem peripateticum, qui vir liber & ingenuus, sine circuitione, animæ essentiam, quanam esset : omnino pronunciare ausus est, summis orno laudibus, eiusq; approbo sententiam, cum enim in alijs, & plerisque talem inuenio : Cum vero ait eam esse temperaturam, aut facultatem ex temperatura consequentem, quod addidit facultatem, reprehendo ; siquidem anima, facultates multas habet, quippe quæ essentia quædam sit, id quod est ab Aristot. recte conscriptum, rectéq; prius est homonimia distincta : nam cum materia, & forma, & quod est ex vtraque coniunctum, substantiæ vocabulo gaudeat, eam essentiam, quæ ex forma est, esse animam enunciauit : Cum nihil aliud præter temperaturam, vt paulo ante ostensum est, dici posse videatur.*

At vero cap. præcedente, non modo hanc sententiam expressit ; verumetiam rationem attulit, & eam ex peripateticis fontibus petitam; si enim, inquit ipse, pars quæ ratiocinatur, animæ species sit, mortalis erit. Quod idem est, ac si diceret, si rationalis anima entelechia sit, & actus, siue forma informans corpus ; sub hoc enim genere vnamquamque animam contineri, *Aristot.* dixerat *2. de anima*, ergo mortalis erit. si autem non est corporis forma; sed in corpore est : tamquam in domicilio, immortalis quidem erit. sed quinam fieri poterit, vt affecto corpore ipsa afficiatur, quemadmodum experientia compertum est. Hæc autem sunt eius verba. *Atqui, si omnia huiusmodi corpora ex materia, formaq; constant vnlq; Aristoteles ; cum quatuor naturales qualitates*

tes

tes in materia proueniunt, corpoream temperaturam ex eis effici, certe ipſam, formam ſtatui neceſſe eſt. Quamobrem animæ eſſentia erit quodammodo temperaturæ quatuor, ſeu qualitatum dicas; humiditatis, ſiccitatis, caliditatis, & frigiditatis, ſiue corporum humidi, calidi, frigidi, & ſicci; facultates autem ex animæ ſubſtantia ſequi. ſi inde quoque actiones proueniunt, probare conuenit. Si igitur pars, quæ ratiocinatur animæ ſpecies ſit, mortalis erit: ſiquidem ipſa quoque eſt quædam cerebri temperatura: atque ita omnes animæ ſpecies, ac partes habebunt ſuas facultates, temperaturæ conſequentes, talisq; erit animæ ſubſtantia. ſi vero immortalis ſit, vt Platoni placet, cur refrigerato vehementer cerebro, aut nimium calefacto, aut exiccato, aut humectato ſeparetur. recte nobiſcum ageretur. ſi Plato, vt alia, quæ ad eam pertinent, conſcripſiſſet.

Eandem quoque doctrinam, cum ſenior eſſet factus, repetijt, & confirmauit *lib. 2. de locis affect. cap. vlt.* his verbis. *Verum in alijs affectibus non conſentire, ſed primo genio ipſam affectu laborare aiunt, veluti in letargo & phrenitide, at vero vndique affici, vbi propriarum ipſius actionum aliqua læditur, proprias actiones dico, quæ per nullam aliam partem, vt per inſtrumentum fiunt; nam reuera, & videre illam, & audire haudquaquam negandum eſt; ſed videre oculis, & audire auribus, atqui, vt cogitet, & reminiſcatur, & exiſtimet, & eligat, neque oculis, neque lingua, neque alia quapiam parte vtitur. Quod ſi hæc animæ pars ita eſſet in continente ipſam corpore, vt nos in domo aliqua in primis fortaſſe nullam ei noxam afferri putaremus à loco. Quoniam vero ipſam læsi videmus, quomodo lædatur eſt inueſtigandum. Si vero veluti forma quædam corporis eſt ab ipſo inſeparabilis, eam læsi non animaduertemus, ob ſuſcipientis ipſum corporis alterationem. At quia de hac re inter philoſophos ingens pugna eſt; Alijs eam veluti in domicilio contineri dicentibus; Alijs vero ipſam corporis formam eſſe putantibus: idcirco quomodo lædatur, inuentu perdifficile eſt, quod vero lædatur ab experientia diſcere licet.*

Valde probabili certe argumento, quod etiam grauiſſimos viros adduxit, vt exiſtimarent Ariſtot. putaſſe rationalem animam mortalem; ſed fallaci prorſus, cuius ſolutionem, & Galenus, & cæteri in Ariſtotele animaduertere potuerunt, & Galenus etiam animaduertit, ac propterea anceps vbique loquitur, quamuis veluti Medicus, Artifex ſcilicet ſenſatus, vtdicunt, & ſenſibus omnino addictus, mortalem animam, & animum vbique ex intimo ſenſu exiſtimauerit eumque non minus; ac animam brutorum, eſſe temperaturã & ad ipſam conſequi. Dico autem putaſſe ipſum ad temperaturam conſequi, quamuis aperte dicat eſſe temperaturam. Idem enim eſt apud Galenum temperatura, & forma, quæ conſequitur temperaturam, ſi diſtinctione vtamur, qua recentiores ſcholaſtici, in via

scilicet, & in termino. Quamuis enim temperatura, quæ idem est quod mixtio, in via, non sit idem quod forma, quæ resultat ex mixtione, cum mixtio sit miscibilium alteratorum vnio; ac propterea formaliter dicat accidens, tamen mixtio in termino idem est, quod forma mixtionis, & ita dicit substantiam. Hanc distinctionem habemus ex Aristot. qui, cum tertio phisicor. generationem, & corruptionem appellasset motum, quinto postmodum libro hoc negauit, & sine contradictione; tertio enim phisicorum generationem accepit, in via & termino, vt includit scilicet præuias dispositiones acquisitas ad formam, quinto vero eandem accepit in termino tantum, vt scilicet dicit instantaneam mutationem, de non esse ad esse, vel è conuerso. Animam vero, quamuis temperaturam Galenus dixerit; tamen nusquam ipsam accidens appellauit; quinimmo in hoc Andronicum reprehendit, qui illam facultatem dixit. Aristotelis doctrinam sequutus, qui cum substantiam triplici diuisione distinxisset in materiam scilicet, formam, & compositum. Animam esse substantiã, formam, & actum determinauit, vt verbis nuper adscriptis manifeste legitur.

Suam hanc sententiam vbique locorum Galenus experimentis medicis confirmauit. validissime autem ipsam stabilire conatus est libello sæpius citato, quod animi mores sequantur corporis temperaturam, non solum ex argumento, quod præfert liber; verumetiam Homeri authoritate, ac aliorum poetarum, necnon Platonis, & etiam Aristotelis, vt fusius apud ipsum est legere. Ipsam eandem Galeni sententiam, paulo ante nostram ætatem sequutus est Ioannes Huartes Hispanus Medicus, certe eruditus, sed in hoc valde reprehendendus. Quibus vero argumentis, quæ non pauca sunt, nec exilia, suam Galenus, & eius sectatores communiuerint sententiam, nunc non referam; quemadmodum neque cæterarum sectarum ante retuli, cum sit mihi in præsenti propositum: tantum referre sententias, quæ mortalem humanum animum statuunt, & eorum falsitatem ostendere. sequenti autem libro, Diuino aspirante numine, omnia, quæ à singulis contra Aristot. mentem & veritatem afferuntur argumenta, & rationes, recensebimus, & confutabimus. Vltimo loco inter omnes, quas recitauimus, sit stoicorum sententia, qui & ipsi (pro pudor) animum humanum mortalem existimarunt; Illos vero tamquam magis rationales, siue tamquam minus bestiales, eo afficiemus honore, quo Cyclops apud Homerum Vlissem prosequi pollicitus fuit, nempe vt vltimos omnium perdamus.

Οὖτιν ἐγὼ πύρματα ἔδομαι κατὰ σῖς ἑταίροις.

Existi-

Exiſtimarunt autem Stoici, vt Cicero eorum ob ſeruantiſsimus refert *2. academicarum quaſtionum ad Varronem*; non ſatis longe à fine illius libri, animum eſſe ignem, quod idem confirmauit *tuſculana 1.* Eandem ipſis ſententiam tribuit Diogenes Laertius in Zenone; vbi etiam ſpiritum nobis ingenitum, aut vaporem calidum ipſum appellaſſe animum tradit. quod etiam legere eſt apud *Galenum libello quod animi mores ſequantur corporis temperaturam cap. 4.* vbi pariter animæ eſſentiam ex Stoicorum opinione compoſitã facit ex materia & forma; materiam autem animæ eſſe ſpiritum calidiorem, ac ſicciorem, quam ſit ſpiritus natura; formam vero eſſe perfectionem, quæ ad temperiem ſequitur, aeris, & ignis: ex quibus ſpiritus conſtat, aere exiſtente, frigido & humido; igne autem, calido, & ſicco. Conſtat autem communi omnium conſenſu, Animam, & animum, humanum ſcilicet, ex doctrina, & placitis Stoicorum eſſe aliquod corporeum. Quantum vero ad immortalitatem pertinet, certum eſt, Stoicos opinatos fuiſſe, humanos animos morti eſſe ſuperſtites; ſed non omnes, & eos qui ſunt ſuperſtites, non eſſe æternos; ſed aliquando perituros. Ita recenſet Diogenes Laertius in Zenone ſtoicæ ſectæ Principe, & auctore. Ita *Plutarchus libello de placitis philoſophorum cap. 7.* his verbis: *Pythagoras, & Plato interitus expertem animam; cum enim exit peruenire in cognatam ſibi animam mundi. Stoici exeuntem è corpore ſimul cum concreto interire, eam ſcilicet, quæ ſit imbecilior: quales ſunt ineruditorum animæ; validiores autem, quales ſunt ſapientum. Durare, vſque ad conflagrationem.*

Ita Seneca ille, philoſophus nuncupatus; non ſolum Stoicorum ſacris initiatus; ſed etiam ſacerdos, & Antiſtes. *in libello de conſolatione ad Marciam cap. vltimo.* vltimis verbis. totius vniuerſi interitu, & deuaſtatione Marciam ob filij obitum mærentem conſolaturus. eamdem ipſam, & ſuam, & Stoicorum ſententiam teſtatur, inquiens: *Et cum tempus aduenerit, quo ſe mundus renouaturus extinguat, viribus iſta ſe ſuis cadent, & ſidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materia, vno igne, quicquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit. Nos quoque felices animæ, & æterna ſortitæ. Cum Deo viſum erit, iterum iſta moliri, labentibus cunctis, & ipſi, parua ruinæ ingentis acceſsio, in antiqua elementa vertemur. Felicem filium tuum Marcia, quæ iſta iam nouit.*

Hæc Gentiles philoſophi, de anima, & humano animo. hæc Stoici; hæc Seneca. Age nunc Lector, quicumque es, qui ex humana ſapientia, quod ſatis eſt tibi ſapere videris. Bibe ex his riuis doctrinam, & imbuere his præceptis. Audi Stoicos tam magna de virtutibus & vitijs differentes, tam ſubtilia tractantes, diuidentes, definientes, ra-

tiocinantes, acutissime concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus ventilantes, qui etiam dicere auderent hominibus, nos sequimini; sectam nostram tenete, si vultis bene viuere, vt *Augustinus sanctus* inquit *tract. 45. in Ioannem*; & senties quam mortifera venena auferis, in quem baratrum errorum decideris. Audi Senecam, Moralem cognominatum, mortali constituto animo talia delirantem de vitiorum contemptu, & virtutum amore, quis virtutum fructus solidus intereunte animo, vana enim est illorum sententia; qui intrinsecum sufficere virtutibus præmium, & vitijs supplicium existimarunt; nempe conscientiam recte factorum, aut male; non enim hæc tanti sunt, vt pro susceptis virtutum laboribus, aut vitiorum voluptatibus sufficiant, aut si tanti sunt, bonos solum afficiunt; prauos autem nihil tangunt; conscientia enim bene gestorum bonos tantum iuuat, quemadmodum eosdem torquet male gestorum. Prædicti ac cæteri philosophi, qui Christianis dogmatibus non fuerunt illustrati, ad veritatem non ducunt; non enim intrant per ostium, ostium autem est Christus; quapropter fures sunt, & latrones perdere volunt, mactare, & occidere. Hæc de Ethnicorum philosophorum sectis, qui hucusque mortalem humanum animum statuerunt. Quibus, & Plinium secundum adnumerare visum est, non tamquam philosophum, per paucis enim rationum, aut argumentorum suffragijs suas sententias persuadere voluit, sed tamquam historicum siue vt melius dicam; purum rerum naturalium, quas ipse, aut cæteri obseruarunt, relatorem. qui nihil præter ea, quæ sensu percipiuntur inueniri ratus, vt initio sui operis apparet cap. 7., vbi satis crassa insipientia etiam, an sit aliquis alius præter solem, Deus: ambigere non dubitauit, & ipse in hunc errorem decidit, vt existimarit nihil hominibus post mortem supereſſe, sed omnibus vnam moriendi necessitatem finem imponere. Hæc autem est eius sententia *lib. 7. cap. 55.* verborum potius grauitate, quàm argumentorum robore munita, quæ tamen non prætermisit, quamuis tantum eorum capita, tamquam in re nullius, aut pauci momenti, breuiter, & cursim recensuerit.

Post sepulturam, aliæ, atque aliæ manium ambages. omnibus à suprema die, eadem, quæ ante primam, nec magis à morte sensus vllus, aut corpori, aut animæ, quam ante natalem; eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, & in mortis quoque tempora, ipsa sibi vitam mentitur. alias immortalitatem animæ, alias transfigurationem, alias sensum inferis dando, & manes colendo, Deumq; faciendo, qui iam etiam homo esse desierit; ceu vero vllo modo spirandi ratio, homini, à cæteris animalibus distet, aut non diuturniorâ in vita, multa reperiantur

quibus

Digitized by Google

quibus nemo ſimilem diuinat immortalitatem: quod autem corpus, animæ proſequitur materiam. vbi cogitatio illi? quomodo viſus, auditus, aut qui tangit? qui vſus eius, aut quod ſine his bonum? quæ deinde ſedes, quantæve multitudo tot ſeculis animarum; velut vmbrarum? puerilium iſta deliramentorum, auideq; numquam deſinere mortalitatis commenta ſunt. ſimilis & de aſſeruandis corporibus hominum, ac reuiuiſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non reuixit ipſe. quæ (malum) iſta dementia eſt, iterari vitam morte, quæve genitis quies vnquam, ſi in ſublimi ſenſus animæ manet; inter inferos vmbræ; perdit profecto iſta dulcedo credulitasq; præcipuum naturæ bonum, mortem. ac duplicat obitus; ſi dolere etiam poſt, futuri extimatione euenit; etenim ſi dulce viuere, cui poteſt eſſe vixiſſe? at quanto facilius, certiusq; ſibi quemque credere, ac ſpecimen ſecuritatis antegenitali ſumere experimento; ſed iam ad hæc confutanda, & funditus extirpanda deueniamus.

Prædictæ ſententiæ confutantur. Cap. VIII.

NON erit autem valde nobis difficile, quas recitauimus ſententias refellere; quandoquidem illas omnes ante nos, etiam *Ariſtot. 1. de anima* confutauit, ac primum, communiter contra illos omnes, qui animam corpus aliquod eſſe exiſtimarunt; quamuis tenuiſſimum & inſenſibile, vt etiam inter Chriſtianos philoſophos cenſuit Tertullianus, vir certe doctiſſimus; ſed parum cautus; cum non ſolum in hoc, vt apud ipſum eſt legere *in libello de anima*; verumetiam in multis alijs errauerit. Id argumentum torquebimus, quo vtitur *Ariſtot. 1. de anima partic. 72.* Si anima eſt corpus, ergo duo corpora ſe inuicem penetrabunt, quod naturali ordine, eſt impoſſibile, probatur autem ſequela prior, quia anima ita eſt in toto corpore; vt etiam ſit in qualibet parte corporis animati; modo illæ partes ſint animæ capaces, vel potius animabiles, aliàs non eſſent animatæ. ergo corpus eſſet in corpore, & in qualibet parte corporis. Hoc autem excludit reſponſionem, quam quis poſſet afferre, dicens, animam tamquam corpus tenuiſſimum inſinuari in vniuerſum corpus per cauitates, non modo ſenſibiles, verumetiam inſenſibiles; eſto enim quod hoc fiat, ſequetur ſolas partes cauas, & poroſas eſſe animatas; partes autem ſolidas, in quibus ſunt cauitates, & pori, non eſſe animatas; cuius contrarium docent omnes, tum philoſophi, tum medici, & expe-

rientia ipsa ostendit; cum nutritio, quæ est opus animæ competat partibus solidis, non autem porosis, quicquid dixerit Marsilius inguen, quem optime confutauit Pomponatius, in *tractatu de nutritione, & augmentatione*, & nos aliquando, Deo iuuante, in eadem disputatione fusius ostendemus. Quinimmo ex eadem nutritione nos validissimum deducimus argumentum aduersus corpoream animam; existentem in cauitatibus corporis; si enim in poris existeret anima illa corporea: adueniente nutrimento, pariter corporeo, in easdem porositates, necesse erit, aut simul commisceri duo corpora in porositatibus, scilicet animam præexistentem, & alimentum superueniens, aut vnum extrudere alterum; si anima nequaquam loco cedens excludat alimentum, corpus non nutrietur, si autem alimentum valentius irrumpens in porositates, excludat animam, tunc corpus interibit, aut minuetur vita. cuius contrarium experimur; à nutritione enim seruatur vita, mors autem ad eius priuationem sequitur, neque minus vera est sequela secunda prioris argumenti; nempe quod naturali ordine duo corpora non possint se inuicem penetrare, ex eo quod dicant animam esse corpus tenuissimum; nam omne corpus, modo sit trine dimensum, circumscripta omni alia qualitate facit latera distare, quod est excludere omne aliud corpus, vt *Aristot. docuit 4. phisicor.* Hoc autem dicimus ordine & viribus naturæ, cum supernaturali facultate; aliter fieri posse, & factum fuisse certo sciamus, vt cum CHRISTVS Dominus ex clauso vtero Beatissimæ Virginis Matris nascens, egressus, & clausis ianuis ad Discipulos ingressus fuit. His accedit aliud validissimum argumentum, si anima est corpus aliquod, ergo ex anima, & corpore animato non efficitur vnum per se, sed vnum aggregatum per accidens. consequens est falsum, & multa habet euidentia absurda; ergo & antecedens; probatur sequela maior; nam ex duobus, quæ sunt actu non fit vnum per se; sed tantum vnum aggregatum per accidens, vt in aceruo; sed vnumquodque corpus est actu: quia vnumquodque corpus per se subsistit, & existit, ergo ex duobus corporibus non efficitur vnum per se; ergo si anima esset corpus. ex ipsa, & corpore animato tamquam ex duobus corporibus, non constaret vnum per se. Quod vero ex anima, & corpore debeat fieri vnum. præterquam quod demonstrari potest, eo argumento, quo vtitur philosophus *2. de anima*, quia scilicet anima est actus; corpus autem se habet velut potentia, & ex actu, & potentia fit vnum per se. probatur etiam ab eodem philosopho *1. de anima à textu 51. vsque ad 53. inclusiue.* hoc supposito, quod inter actiuum, & passiuum debet esse communicatio quædam,

quædam, & conſenſus; non enim quodlibet aptum natum eſt pati à quolibet, ex quo deducitur, quod anima tamquam principium motiuum, & actiuum, debet habere proportionem quandam, & conuenientiam ad corpus, veluti, & corpus ad animam. quare etiam reprehendit antiquos, qui nulla habita corporis ratione de anima loquuti ſunt, tamquam ſi anima poſſet ingredi, & viuificare vnumquodque corpus, vt fabuloſe Pythagorici, qui in corpora diuerſa, animas tranſmigrare cenſuerũt. quinimmo neque anima ſe habet ad corpus, vt ars ad inſtrumenta, vt verbi gratia, ſi ars canendi intus eſſet in fiſtula; fiſtula dici poſſet muſica. ita & ſi anima intus eſt in corpore, corpus dicitur animatum; non enim hoc ſufficit, ſed neceſſe eſt animam eſſe ſpeciem corporis animati, & formam, & paulo ante *partic. 44.* idem Ariſtot. inquit, quod ſi anima eſſet corporea aliqua ſubſtantia, corpori incluſa, itaut ipſa mota, & agitata, corpus pariter moueretur, in quo eſt, veluti exiſtimauit Democritus, tunc animalia & vnuſquiſque noſtrum, non magis eſſemus animata corpora, quam fuerit Veneris lignea ſtatua à Dedalo fabricata, quæ mouebatur infuſo in eius cauitates argento viuo, cuius proprium eſt, vt admiſſo aere ſemper agitetur, accommodatiſſimum certe exemplum, ad oſtendendam vanitatem ſententiæ Democriteæ; nam ſi anima non eſt forma, ſed tantum ſe habet in corpore, tamquam motor, qui ſeipſum mouens, pariter moueat corpus, profecto non magis erunt animata noſtra corpora, quam fuerit illa Veneris ſtatua, cum ipſa pariter habuerit incluſum eiuſmodi motorem, qualis eſt anima; accedit etiam, & aliud argumentum; nam ſi anima eſſet ſubſtantia aliqua corporea, animato incluſa, quæ nequaquam ſe haberet, vt forma, cuius eſt certam reſpicere materiam, ſed vt motor tantum, tunc contingenter ſe haberet ad corpus, & ita poſſet à corpore egredi; cum illi placitum eſſet, & iterum in illud idem ingredi, quod recitauit fabuloſus *Plinius lib. 7. cap. 52.* Contigiſſe Hermotimo Clazomenio, cuius anima è corpore ad libitum egrediebatur, & peruagatis longinquis regionibus, multisq; auditis: iterum ingrediebatur, quouſque crematum ab inimicis, qui id animaduerterant, corpus, remeanti veluti vagina ademptum fuit. Hæc generice aduerſus eos, qui animam quocumque modo eſſe corpus, ſtatuerunt; nunc ſigillatim aduerſus omnes pugnandum, & primo aduerſus Democritum ea poſſem afferre argumenta, quibus Ariſtoteles validiſſime eius atomos, ſiue inſecabilia corpuſcula ſubſtulit *1. lib. de ortu & interitu*; verum quia remotior eſſet à re propoſita diſputatio, ad ea, quæ magis propria ſunt, deueniens. Illud ipſum

sum contra eumdem torquebo argumentum, quod *Aristot.* penultimo à nobis allato subiunxit *1. de anima partic. 44.* cum corpora animantium non modo à natura, & intrinseco principio moueri videamus; verum etiam quiescere, ergo dicendum erit, animam pariter esse illis principium quietis, ac motus: quomodo autem talis anima à Democrito animantibus tributa; possit quietem causare, difficile est tradere, vel etiam impossibile; si enim ex atomis rotundis constat, igneis, minutis, & sua natura maxime mobilibus. compesci non poterit quin moueatur, & ex consequenti corpus semper moueat, at contrarium experimur; nos enim ipsos ad libitum mouemus, & sistimus, & vtrumque ex intellectu, & electione, non autem ex natura & necessitate in nobis est. At vero aduersus Hyppocratem, eo argumento vtemur quo *Aristot. 2. de anima partic. 41.* Si anima esset calor, aut ignis, in infinitum operaretur, vtputa nutriret, vel augeret; veluti enim igni, si combustibile in infinitum apponeretur, in infinitum combureret, ita, & animæ, si nutrimentum, & augmentatiuum in infinitum apponeretur, in infinitum nutriret & augeret, si foret ignis; addo quod ad vnam tantum loci differentiam corpus moueret, nempe ad locum sursum, quemadmodum & ignis, non autem ad omnes, vt ipsam videmus mouere, quare animæ operationes cum ad certum, & constitutum sint terminum; minime ignis erunt, aut caloris, sed animæ, quæ ratio est, & forma. Ignis autem, aut calor concausa potius est, & instrumentum, quam causa. Hoc idem docuit philosophus *2. de partibus cap. 7.* non longe à principio, his verbis. *Quod enim nonnulli statuunt importune, animam esse ignem, aut aliquam eiusmodi vim, melius fortasse dixeris, animam in quodam eiusmodi corpore constare, cuius rei causa est, quod ad exequenda animæ officia calor, omnium maxime administrandi vim obtinet; cum enim officium animæ sit alere, & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrari simile est, atque si serram, aut asciam fabrum, aut artem fabrilem esse: ideo arbitreris, quia opus, nonnisi iunctis his efficiatur; sed quam, genus omne animalium caloris particeps esse necesse sit, apertum hinc est.*

Animaduertendum autem est, quod quamuis Aristoteles concesserit, animam in quodam eiusmodi corpore constare, qualis est ignis; non tamen propterea deducendum est, animam esse corpoream; ab hac enim sententia alienum fuisse Aristotelem iam ostendimus, neque dicendum est, animam tali huiusmodi corpore vti, tamquam organo sibi adequato ad operandum; ita enim tale corpus esset animatum, quod falsum est, cum non sit organicum; sed ipso vti tamquam concausa,

Digitized by Google

cauſa, vt hoc loco dixit, vel tamquam vehiculo, vt Platonici loquuntur, & nos etiam præcedente libro diximus, ex *Ariſtot. ſententia 2. de generatione animalium cap. 3.* vbi omnem animam participare aliquod corpus dixit, & hoc diuinius, quam ea, quæ elementa appellantur, & pro animarum nobilitate, & ignobilitate corpus huiuſmodi pariter differre. Exiſtimauit autem hoc corpus eſſe æthereæ ſubſtantiæ, at vero purius, aut impurius, pro animarum differentia. Iuxta quem ſenſum non ſolum *Cicero 1. Tuſculana*, & in *quæſtionibus accademicis ad Varronem*; verumetiam *Galenus 7. de Hyppocratis, & Platonis placitis cap. 7.* & *Tertullianus lib. de anima*, non ſatis longe à principio exiſtimarunt, putaſſe Ariſtotelem animam eſſe quintam eſſentiam, hoc eſt cæleſtem, ac propterea loco hoc, à nobis citato, volens Ariſtot. declarare naturam huius corporis, in quo anima eſt. non dixit animam in igne exiſtere, ſed in quodam eiuſmodi corpore, hoc eſt non in igne, ſed igni adſimili corpore, quod pariter *2. de generatione animal. cap. 3.* dixerat eſſe in ſeminibus, quod fæcunda facit ſemina, & calor appellatur, non ignis, nec talis aliqua vis, ſed ſpiritus, & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum. Hyppocrates igitur tamquam Medicus, & ſenſatus artifex, animam appellauit calorem, ſiue innatum calidũ, vt Galenus interpretatur, quod ſignificat ſubſtantiam calidam; ſumens pro anima fundamentum animæ; ſed quid aduerſus Epicurum, & ipſius diſcipulum Lucretium? Primum quidem omnia ea, quæ aduerſus Democritum amborum præceptorem attulimus; deinceps vero peculiariter, contra ipſos eorum inſcitiam, & inconſtantiam afferemus. Epicurus enim cum omnia ex atomis conſtare ſtatuiſſet, tamquam ex primis principijs, ex ijſdem conſtare, & animam, & animum dixit, at non ex omnibus atomis; ſed ex rotundis, minutis, & maxime mobilibus, ac igneis, vt Lucretio referente ſupra iam dictum fuit, at vero ipſe idem Epicurus, Plutarcho referente in de placitis philoſophorum exiſtimauit, animam eſſe temperatum quippiam ex quattuor qualitatibus, ignea, aerea, aquea, & quarta cui nomen non ſit poſitum, quantum vero ſibi aduerſentur ambæ ſententiæ, vnicuique patet; tam enim ſeſe oppugnant atoma, aquæ, & ignis, quam ſe inuicem interimunt, aqua, & ignis, quomodo igitur anima ex ijs conſtabit atomis, ex quibus ignis, ſi eſt temperies ex qualitatibus ignis, & aquæ, aut quomodo erit temperies, ignis, & aquæ in atomis tantum ignis, ex quibus animam conflatam dicit, nempe rotundis, minutis, atque mobilibus. Illam vero quartam, quam nomine ignotam dicit, ſiue qualitatem, ſiue rem. puto

vere,

vere, & quam vetissime illi fuisse, & nomine, & re ignotam. Hanc Epicuri sententiam adamussim videmus à *Lucretio* recitatam *lib. 3.* his carminibus.

Nec tamen hæc simplex nobis natura putanda est,
Tenuis enim quædam moribundos deserit artus
Mista vapore: vapor porro trahit aera secum,
Nec calor est quispiam, cui non sit mistus, & aer,
Rara quod eius enim constat natura, necesse est
Aeris inter, cum primordia multa cieri,
Iam triplex animi est igitur natura reperta,
Nec tamen hæc sat sunt ad sensum cuncta creandum,
Nil horum quoniam recipit mens posse creare
Sensiferos motus quædam qui mente volutent,
Quarta quoque his igitur quædam natura necesse est
Attribuatur, ea est omnino nominis expers,
Quâ neque mobilius quicquam, neque tenuius extat,
Nec magis è paruis, aut lævibus ex elementis
Sensiferos motus, quæ didit prima per artus,
Prima cietur enim paruis perfecta figuris,
Inde calor, motus, & venti, cæca potestas,
Accipit inde aer inde omnia mobilitantur,
Tum quatitur sanguis, tum viscera persentiscunt,
Omnia postremis datur ossibus atque medullis,
Siue voluptas est, siue est contrarius ardor,
Nec temere hucusque dolor potest penetrare, neque acre
Permanare malum, quin omnia perturbentur.

Et paulo infra, subdit:

Sic calor atque aer, & venti cæca potestas
Mista creant vnam naturam, & mobilis illa
Vis initum motus, ab se quæ dinidit ollis,
Sensifer vnde oritur primum per viscera motus;
Nam penitus prorsum latet hæc natura subestque,
Nec magis hac infra quicquam est in corpore nostro,
Atque anima est anima proporro totius ipsa,
Quod genus in nostris membris, & corpore toto,
Mista latens animi vis est, animæq; potestas
Corporibus, quia de paruis, paucisq; creata est,
Sic tibi nominis hæc expers vis facta minutis,
Corporibus latet, atque animai totius ipsa

Proporro

Proporro eſt anima, & dominatur corpore toto,
Conſimili ratione neceſſe eſt ventus, & aer,
Et calor inter ſe vigeant commixta per artus,
Atque alijs aliud ſubſit magis, emineatque,
Vt quidam fieri videatur de omnibus vnum,
Ne calor, ac ventus ſeorſum, ſeorſumq; poteſtas,
Aeris interimant ſenſum, diductaq; ſoluant.
Eſt etiam calor ille animo, quem ſumit in ira,
Cum ferueſcit, & ex oculis micat acribus ardor.
Eſt & frigida multa comes formidinis aura,
Quæ ciet horrorem in membris, & concitat artus.
Eſt etiam quoque pacati flatus aeris ille,
Pectore tranquillo qui fit, vultuq; ſereno.
Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaq; mens facile efferueſcit in ira.
Quo genere in primis vis eſt, violenta Leonum
Pectora, qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.
At ventoſa magis ceruorum frigida mens eſt,
Et gelidas citius per viſcera concitat auras,
Quæ tremulum faciunt membris exiſtere motum.
At natura bouum placido magis aere viuit,
Nec nimis irai fax vmquam ſubdita percit,
Fumida ſuffundens cæcæ caliginis vmbras,
Nec gelidi torpet, telis perfixa pauoris,
Inter vtroſque ſita eſt, ceruos, ſæuosq; leones,
Sic hominum genus eſt, quamuis doctrina politos,
Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit.
Naturæ cuiuſcumque animæ veſtigia prima,
Nec radicitus euelli mala poſſe putandum eſt,
Quin proclinius hic iras decurrat ad acres,
Ille metu citius paullo tentetur: at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo,
Inq; alijs rebus multis differre neceſſe eſt,
Naturas hominum varias, moresq; ſequaces,
Quorum ego nunc nequeo cæcas exponere cauſas.

Quibus carminibus manifeſte ſibi contradicit, cum antea ſtatuiſſet animam, & animum conſtare ex ſphericis & minutis, ac maxime mobilibus corpuſculis inſecabilibus, ex quibus conſtare ignem dixerat,

hic

hic vero dicat, ipsam eandem animam, siue animum constare, ex aere frigido, & flatu, seu vapore temperato; ergo non ex eisdem atomis. & sibi ipsis igitur contradicunt Epicurus, & Lucretius, & Democrito suo præceptori. Quod si malint, tum Epicurus, tum Lucretius; animam esse temperaturam, siue consequi ad temperaturam, ignis, aeris, & vaporis, vt versibus citatis expressit Lucretius, quod ad Empedoclis sententiam accedit, hoc etiam confutabimus cum ipsius Empedoclis sententia.

Fuit hæc Empedoclis opinio Aristot. tempestate, valde probabilis apud multos, vt ipse testatur *1. de anima partic. 55.* credo equidem dictum, ob Simmiam, & Cebetem huius sententiæ assertores, qui etiam Echecratem suis argumentis in suam sententiam traxerunt, apud Platonem in Phœdone, argumentis tamen, vt idem Aristot. ibidem inquit quasi pœnis afflictata, vel conflictata, tum illis, quæ ipse in exotericis sermonibus attulit, in Eudemo scilicet, vt Philoponus inquit, tum etiam illis, quæ apud Platonem leguntur in Phœdone. Habuit etiam & posterioribus temporibus multos sectatores, & eos quidem celeberrimi nominis Andronicum Rodium, peripateticum cognominatum, de quo supra facta est mentio, Alexandrum Aphrodiseum, & eius sectatores, Galenum, & illos omnes, qui falsa illius doctrina decepti, omnia tribuunt temperamento, & animi mores, minus caute, corporis temperaturam sequi existimant; quorum omnium errorem, Deo iuuante, ex Aristotelis, & naturæ principijs confutabimus. Bipartito autem disputationem hanc aggrediemur; primo namq; nullam animam esse temperamentum demonstrabimus; deinceps vero, animam intellectiuam, neque esse temperamentum, neque formam, quæ sequatur corporis temperamentum. Nullam vero animam esse temperamentum multis rationibus *Aristot.* probauit *à textu 54. & infra 1. libri de anima*, vbi distinguens harmoniam in proportionem, siue rationem quomodocumque acceptam ex mistione contrariorum, & incrasim, siue proportionem qualitatum, quam dicunt proprie temperamentum. Ostendit nullam animam esse harmoniam, tali pacto. Harmonia est ratio quædam vel proportio, aut compositio commistorum, sed nulla anima est ratio, vel compositio: ergo nulla anima est harmonia. Maior propositio est euidens, minorem etiam supponit tamquam certissimam, cum omnis harmonia intendi, & remitti possit. Nulla autem anima intensionis, aut remissionis sit capax; omni anima existente substantia. Præterea omnis anima est principium motus ex communi omnium philosophorum

suppo-

Digitized by Google

ſuppoſitione. Nulla harmonia eſt principium motus, ergo nulla harmonia eſt anima, ergo nulla anima eſt harmonia, cum propoſitio vniuerſalis negatiua conuertatur ſimpliciter; minor autem propoſitio probatur, quia harmonia indiget motore extrinſeco, vt patet in fidibus, citaræ, quæ quamuis habeant harmoniam, vt poſſint inſimul conſonare, tamen numquam concentum facient, niſi citharedus accedat, qui pulſet. Amplius harmonia ſe habet, vt diſpoſitio corporis, ergo harmonia non eſt anima; antecedens eſt clarum, nam ſanitas eſt diſpoſitio corporis; ſed ſanitas eſt harmonia, cum ſanitas nihil aliud ſit quam temperies ſimilarium partium, & proportio inſtrumentalium, ergo harmonia eſt diſpoſitio corporis, conſequens vero eſt neceſſarium; nam ſi corpus ſe habet vt materia, anima vero vt forma, ergo ea, quæ ſunt corporis, non ſunt anima; anima igitur non eſt harmonia. Alia etiam ratione probat Ariſtoteles aſſumptum, nempe quod harmonia ſit vis, & facultas corporis, & ſubiecti, non autem anima, ex operatione ſcilicet, & paſſionibus animæ, nam ſiquis animæ cuiuſcumque operationes & paſſiones ad harmoniã tamquam ad principium referre tentabit, difficile erit omnia coaptare, quinimmo addo impoſſibile, hoc autem patet facta inductione in operationibus cuiuſcumque animæ, nam ſi de vegetali loquamur, quomodo augmentationem ſecundum totam corporis molem, & ad omnes dimenſionis terminos ad calorem referemus, cuius eſt ſurſum tendere, aut quomodo idem calor, quamuis temperatus, ex diſsimilari alimento diſſimilares partes ſegregans, diſſimilaribus apponet partibus; aliud quidem oſsibus nutrimentum, aliud neruis, & aliud carni ad futurum. Quod ſi difficile eſt de vegetalis operationibus rationem reddere ex harmonia, cum tamen vegetalis operationes materiales ſint omnino, quanto difficilius erit, de ſenſibus & ſenſitiuæ, quibus omnibus commune eſt, percipere ſenſibile ſine materia, quod ſi de his. Quam maxime difficile, immo quam impoſsibile erit, de ipſo intelligere, in quo nihil communicat actio corporalis, ſed hoc infra diligentius exquiretur, quod ſi exiſtimet aliquis, animam eſſe harmoniam, & compoſitionem partium naturalium, quæ in corpore ſunt, in quibus & motum, & ſitum proportionarum, eſt accipere; tum neque rationabile hoc erit dicere. Primo quia vnaquæque corporis pars, propriam habet ſtructuram, quare cum multæ ſint, multas etiam corpus habebit animas; ſecundo quia non poſſumus aſsignare cuius partis ſtructura, & quæ ſtructura ſit intellectus, aut ſenſus, aut etiam appetitus.

His

His argumentis aduerſus harmoniam in genere allatis. Eam harmoniam impugnat, quæ elementorum eſt, quatenus frigida, calida, humida, & ſicca ſunt, quæ & miſtio dicitur ſiue temperamentum, quam primum eadem ratione impugnat, qua ſupra harmoniam, pro ſtructura partium impugnauit, dicens, quod cum ſingulis partibus proprie debeantur temperaturæ, in toto corpore, multis, & ijs quidem diuerſis exiſtentibus partibus, multæ pariter ac diuerſæ erunt animæ, quod certe argumentum validiſſimum eſt, videmus namq; viuente corpore multas, ac diuerſas miſtionis partium formas, ab vna anima contineri, ac ita corpus conſeruari totum, corrupta autem, aut diſcedente anima, ipſas diutius non poſſe manere, ſed corpus ipſum putredini, ac diſſolutioni relinquere, ex quo patet animam ipſam non eſſe temperamentum, ſed quid præſtantius temperamento, quod ſi eſt, quid præſtantius temperamento; quæri poteſt ab Empedocle, aut eſt ratio, quæ reſultat ex temperamento, vt verbi gratia concentus fidium, qui eſt, quid aliud à fidibus, quandoquidem omnem animam in ratione & harmonia conſtitutam eſſe opinabatur Empedocles, aut aliquid aliud exiſtens in membris gignitur. In hac autem quæſtione, quam Ariſtot. propoſuit, animaduertendum eſt, quod à nemine expoſitorum hucuſque adnotatum fuit, quod ego ſciam; Ariſtotelem ſcilicet poſtquam monſtrauit animam non eſſe temperamentum, ex diuerſitate, & multiplicitate temperamenti partium, ſed eſſe quid diuerſum à temperamento, quærere iterum, ſi eſt quid diuerſum, vtrum eſt ſicut ratio, quæ quamuis aliquid ſit diuerſum à temperamento, cum reſultet ab ipſo, vt concentus, qui non eſt acutum & graue ſimul miſta, ſed id quod reſultat ex acuto & graui; an vero ſit aliquid aliud exiſtens, quod in membris gignitur, vbi animaduertendum eſt, quod illud exiſtens non debet ſumi tamquam adiectiuum, ſed tamquam ſubſtantiuum, quod bene exprimit græca dictio τιὄσα, quod ſignificat aliquid per ſe ſubſiſtens, vel exiſtens, ad differentiam eius, quod ad aliud ſequitur, & in alio eſt, qualis differentia eſt inter rationem, quæ ſequitur ad harmoniam, & animam; non omnem, ſed intellectiuam, dixi non omnem, quia reliquæ animæ, vt vegetalis, & ſenſitiua, quæ morticinæ ſunt, non poſſunt dici τιὄσα, cum conſequantur temperamentum, & veluti concentus percuſſis fortiter cordis perit, ita ipſæ intemperato temperamento deficiunt. Proponit igitur philoſophus hanc quæſtionem, & iuxta hunc ſenſum propoſita quæſtione, rationabiliter pro vtraque parte dubitat, inquiens, ſi anima eſt aliud à miſtione, cur nam corrupto carnis eſſe, hoc eſt eſſentia

Digitized by Google

tia carnis, quæ in miſtione conſiſtit, & aliarum partium animalis; anima ipſa tollitur, ſi enim anima non eſt temperamentum, nec ratio temperamenti non deberet tolli ſublato temperamento, patet autem ex hoc argumento, quod illud aliud exiſtens, ita debet interpretari & accipi, vt à nobis acceptum eſt pro eo quod per ſe exiſtit, vt eſt anima intellectiua, alias argumentum non concluderet, nã quamuis animæ reliquæ ſint quid aliud à temperamento, tamen quia conſequuntur ad temperamentum non erat dubium, quin corrupto temperamento corrumperentur, neque obſtat huic expoſitioni quod dicat de hoc exiſtente innaſci, cum innaſci non accipiatur pro generari, ſed pro ſuperuenire, vt etiam infra *partic. 65.* dicit, intellectus autem videtur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi, vbi eodem modo dicendi de intellectu, dixit, ἴσια τις ἴσα.

Viciſſim vero atque è contra dubitat, ſi anima non eſt miſtio, quandoquidem eſſet multiplex, vt multiplex eſt partium miſtio, ergo eſt ratio & perfectio, non quæ ſequitur, ſed quæ continet miſtionem, alias ſi non eſſet talis ratio, quomodo fieri poſſet, vt deſerente anima ipſum corpus corrumpatur; contrarium enim fieri deberet, ſi anima ad mixtionem partium; vel totius ſequeretur, prius enim corrumpetur corpus, & ad eius corruptionem corrumperetur anima, huius vero contrarium videmus; prius enim anima deſerit corpus, & deinceps corpus, & eius membra putreſcunt; hoc autem argumentum bene concludit, non ſolum aduerſus eos, qui opinabantur animam eſſe formam miſtionis, & temperamentum; verumetiam aduerſus omnes qui ſtatuunt animam ſequi ad temperamentum elementorum, & formam miſtionis tantum, quandoquidem forma miſtionis, quæ reſultat ex elementis, remanet etiam poſt mortem, ſed non remanet forma miſtionis, quæ erat diſpoſitio ad vitam, in qua non ſolum erat calor elementorum, ſed etiam ille cæleſtis, qui eſt inſtrumentum animæ, vt bene docuit *Scotus 4. ſententiarum*. vbi declarauit etiam, quod propterea forma miſtionis, quamuis remaneat poſt mortem, tamen ſemper eſt in via ad corruptionem, ita vt non diſſentiat à S. Thoma in qualibet corruptione dari reſolutionem vſque ad materiam primam. Hæc Ariſtot. aduerſus eos, qui omnem animã eſſe harmoniam, vel temperaturam exiſtimarunt, in quibus etiam continentur validiſſima argumenta aduerſus eos, qui animam intellectiuam eſſe temperamentum ſtatuerunt; ſi enim de omni anima hoc falſum eſſe demonſtrauit, ergo, & de intellectiua, quæ eſt quædam anima; quinimmo cum de reliquis animabus præter intellectiuam

Digitized by

negari non poſſit, quin ſaltem corporis temperaturam ſequantur; quamuis non ſit temperatura, de intellectiua Ariſtot. ſpeciatim oſtendit, eam neque eſſe temperaturam, neque ſequi ad temperaturam: Hoc autem validiſſimo argumento demonſtrauit, cum dixit, difficile eſſe coaptare opera, & paſſiones animæ ad harmoniam, hoc eſt, oſtendere, quomodo harmonia ſit operum, & paſſionum animæ cauſa, quod certe de operationibus animæ vegetatiuæ & ſenſitiuæ difficile eſt, vt ſupra monſtrauimus, de intellectiua vero etiam impoſſibile, vt nunc oſtendemus. Omitto argumentum illud quo *Ariſtoteles* vtitur *3. de anima*, ex Anaxagoræ authoritate, quod oportet intellectum eſſe immixtum, vt omnibus imperet, hoc eſt, vt omnia intelligat, ergo neque temperamentum, neque aliquid ex temperamento eductum eſſe poteſt; de hoc enim infra fuſius dicendum erit, ſed illud proſequar, quod ex intellectus practici operatione deſumitur, quo pariter vſus fuit Plato in Phædone aduerſus Simmiã, & Cebetem ad hanc ſententiam non modo iugulandam, ſed etiam funditus extirpandam; nos vero ipſam eãdem rationẽ torquebimus aduerſus Galenum, & eius ſectatores, quorum Deus faxit, ne multus ſit numerus, cum eius ſententia ad ſenſum ſit valde plauſibilis. Plurimi autem ſequuntur ſenſum. Eſt autem ratio huiuſmodi. Si anima rationalis, ſiue intellectiua, & humana eſſet temperamentum, vel reſultaret ex temperamento, non repugnaret ijs operationibus quæ proueniunt ex temperamento; ſed ipſis repugnat; ergo neque eſt temperamentum, neque ſequitur ad temperamentum. Maiorem autem propoſitionem quamuis multis probet Plato, atque ex eo potiſſimum, quod id quod ſequitur, & ab aliquo pendet trahitur, ac vincitur ab eo, ad quod ſequitur, & à quo dependet, potius quam reluctetur, aut trahat vel vincat; tamen nos pluribus confirmare minime conabimur; cum vltro ab aduerſarijs concedatur, at vero circa minorem propoſitionem, opus eſt, ac labor, cum ab aduerſarijs negetur, & valde apparentibus rationibus etiam impugnetur, qua de re integrum Galenus cõſcripſit tractatum, huius argumenti, quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, in quo non tantum rationibus & experimentis; verumetiam authoritatibus Homeri, Platonis, Hyppocratis, necnon etiam Ariſtotelis conatus eſt, ſuam ſententiam communire; potiſſimum vero ex *Ariſtot. in 2. de partibus*, vbi de ſanguine loquitur, & in *1. de hiſtor. animal.* vbi de fronte, *& in prohemio phiſiognomicæ, & ſect. 30 problematũ probl. 1.* & adhuc *1. de anima cap. 1. & 2. de anima partic. 94.* ſed manifeſte conuincetur Galenus, & alij quicũque in eadem ſententia ſunt; falſum

eſſe

esse, quod animi mores sequantur corporis temperaturam in hominibus; homines enim appellandi sunt, qui vitam hominis degunt, non autem qui belluinam; vitam autem hominis degunt, qui secundum id, quod homini proprium est, viuunt; proprium autem homini est præ cæteris animalibus, vt cum cætera animalia per assensum, & impulsum, qui in ipsis est, faciant. Solus homo in sua libera potestate habet agere, vel non agere iuxta naturalem impetum, & propensionem ex eo quod rationalis est, hoc autem est esse rationale, in se ipso occurrentium imaginationum, & omnino agendorum, & non agendorum, iudicatricem, inuentricemq; rationem habere, vt optime Alexander ille Aphrodiseus docuit, quãuis immortalitatis Hostis videatur, *libello de fato cap. 9.* Hanc vero quam iudicatricem agendorum rationem Alexander appellauit ἡγεμονικὸν, hoc est principem; siue principalem animæ partem, reliqui appellarunt; conuenientissimo vocabulo, eo quod huius partis sit præcipere, & imperare; alterius vero parere, & subesse, vt *Aristot.* docuit *1. Ethicorum cap. vltimo*, & Plato loco citato. Hanc vero animæ partem solis hominibus, & omnibus hominibus inesse, philosophi omnes consentiunt, & hanc diuersam esse à sensu & imaginatione, vt *Aristoteles 2. de anima tex. 150.* contra Empedoclem docuit, quamuis eius vsum & exercitium, non apud omnes, quinimmo apud paucos experiamur, cum plurimi secundum sensum, & eius appetitum viuant, de quibus loquutus fuit Homerus ab Aristot. citatus loco prædicto, cum dixit:

Talis enim mens est terrestrium hominum,
Qualem in dies inducit pater, hominumq; Deumq;.

Intelligens per patrem, hominum, & Deorum cælum, quod in mentem actionem habet, siue in intellectum, si intellectus à sensu non differat, vt etiam alibi exposuimus, quemadmodum de veris sapientibus contrarium dixit, vt de *Vlisse in Odissea*, his carminibus:

Tum pectus pulsans cor, sic affatur Vlisses,
Hoc quoque cor perfer, namq; & grauiora tulisti.

Quæ carmina à Platone afferuntur, vt probaretur animum non sequi ad corporis temperaturam; si enim sequeretur ad temperaturam, vel esset temperatura, non vtique moderaret passiones corporis, nec vinceret, sed ab ipsis potius moderaretur, ac vinceretur, vt hoc loco Vlisses qui iracundiam superat, non autem ab ipsa superatur, quod pariter in omnibus continentibus fieri ostendit, qui sensuum appetitui ad voluptates etiam iniustas ducenti, nequaquam cedunt; quinimmo obsistunt, & reluctantur, in quo laudem merentur, quemad-

modum incontinentes, ac magis, intemperantes vituperationem, quod non contingeret, si animi mores sequerentur corporis temperaturam; neque enim vitio dari posset bilioso temperamento prædito iracundia, nec sanguineo, mulieroſum esse, aut vinoſum, nec melancholico auaritia & fraus, neque ob talia crimina iuste puniri possent, quandoquidem ex necessitate hæc committerent, quinimmo necessitate simpliciter, & ineuitabili; nam necessitas, quæ pendet ex causis prioribus, est necessitas absoluta, quemadmodum est necessitas materiæ, vt docuit *Aristot. 2. phisicor. partic. 87.* quod optime, vt solet, notauit S. Thomas eodem loco. Si autem anima humana sequeretur temperamentum: sequeretur necessitatem materiæ; nam temperamentum est qualitas materiæ, scilicet ipsius corporis, quemadmodum caliditas ipsius ignis, quare veluti ignis cum sit calidus, non potest non calefacere; ita anima consequens qualitates corporis non posset nisi secundum passiones & propensiones corporis operari. Vidit profecto Galenus hoc argumentum libello sæpius citato, quod animi mores, cap. vltimo, nec potuit effugere eius vim, quare & turpiter manus dedit; nec solum Stoicos de virtute tam magnifice loquentes deseruit; verumetiam omnes philosophos, bonos enim aut malos natura, homines nasci concessit, nec puniri aut præmijs affici, eo quod mereantur, sed puniri malos, vt nobis non obsint, ac vt cæteris exemplũ præbeant, præmio affici autem bonos, non quod ipsi seipsos bonos effecerint, sed eo quod boni natura sint, vt econuerso odio haberi malos, eo quod tales sint; vt Deum, qui semper bonus fuit, nec vmquam talis effectus est, veneramur, & natura diligimus, viperas autem & scorpiones occidimus, & odio prosequimur. Puniri etiam malos ob suam ipsorum vtilitatem; cum enim corrigi non possint, melius est vt diutius non viuant. Hæc Galenus. quibus non solum philosophi, sed etiam veritas ipsa contradicit, multos enim videmus ex temperamento & constitutione corporis ad vitia pronos, qui tamen honesti studio, vitijs reluctantur & virtutem sequuntur, inter quos illustre est Socratis exemplum non solum à Cicerone; verumetiam ab Alexandro Aphrodiseo recensitum, *libello de fato cap. 4.* de quo cum Zopirus phisiognomon, ea tempestate percelebris, ex artis suæ præceptis pronunci asset, esse mulieroſum, & bardum, Socratis institutum ignorans; ac propterea ab ipsius discipulis irrideretur, fertur dixisse, non esse mentitum Zopirum, futurum enim erat, vt talis natura esset, nisi philosophiæ studio meliorem naturã adeptus fuisset; talia etiam innumera sunt apud nos Christianos exempla, non solum continentiæ,

tiæ, & reliquarum virtutum; verumetiam fortitudinis, in prodigenda propter veritatem vita, quæ nobis sancti Martyres præstiterunt, quamuis in his, aliquid maius fuerit, & supra naturæ vires: Dei Optimi Maximi Seruatoris nostri gratia illis donatum, sine quo ad tantam perfectionem peruenire non potuissent, sed gratia Christi perficit naturam, non destruit. Hoc autem vno tantum, Galeni sententia, philosopho certe indigna, nisi Epicureo, funditus corruit argumento, sed videamus ob quamnã causam paralogizat Galenus in suis rationibus, inquit ipse *capite vlt. libelli quod animi mores, &c.* vnumquemque natura nasci bonum, aut malum; non autem fieri consuetudine, & ab extrinseco, parentibus scilicet, præceptoribus, aut familiaribus; videmus namq; ex eisdem parentibus natos pueros, eisdem institutis, & sub eisdem præceptoribus educatos, nullis alienis moribus adhuc imbutos, neque etiam delibatos, longe tamen, & quam maxime inter se differre; ita vt alius verax, alius mendax sit, alius liberalis, alius auarus & tenax, alius mitis & benignus, alius iracundus & contentiosus, alius modestus & timidus, alius impudens & audax, alius docilis & flexibilis, alius indocilis & refractarius, iuxta varias ac diuersas, quas vnusquisque sortitus est, corporis temperaturas; multa præterea, quæ ad hoc argumentum faciunt, congessit Ioannes Vuartes in examine ingeniorum, vbi sanguineos, faciles, simplices, misericordes, sed venereos, & genio indulgentes; quinimmo & bona imaginatiua præditos, ac propterea ijs disciplinis aptos, quibus imaginatiuæ requiritur velocitas, & claritas, vt sunt musica, ars pingendi, poesis, rhetorica, medicina, ars patrocinandi. Atrabilarios, fraudulentos, salaces, perfidos, rapaces, vafros, blasphemos, impios, sed sagaces, solertes, prudentes, cautos, acuto ingenio præditos, ac propterea subtilioribus disciplinis aptos, vt mathematicæ, logicæ, metaphisicæ. Malencholicos naturales, hoc est frigido & sicco præditos temperamento, auaros, sordidos, inuidos, difficiles, ac morosos, suspiciosos, timidos, diffidentes, seueros, stabiles, taciturnos, tardos, crudeles, disciplinis ineptos. Bilioſos, iracundos, superbos, ambitiosos, factiosos, magnanimos, liberales, apertos, celeres, ac bono ingenio præditos. Pituitosos, segnes, bardos, simulatores, cautos, obliuiosos, ac propterea disciplinis minus aptos; præterquam politicæ cui maxime apti sunt, & præcipue si aliquam atrabilis admistionem participent; sed in his omnibus vterque deceptus fuit. Causam autem deceptionis perbelle declarauit *Alexander Aphrodiseus libello de fato cap. 9.* vbi reprehendens illos, qui etiam in brutis animalibus statuebant id

quod dicitur *esse in nobis*, hoc est, liberam agendi potestatem, inquit: *Hac autem in re, illud de ipsis iure quis admirabitur, quid eos coegit, vt in impulsu & assensu*, quod in nobis, *esse dicant, ob quod & in omnibus animalibus similiter ipsum seruent; non enim in hoc est*, quod in nobis, *vt occurrente imaginatione, & imag. nationi ex se ipsis locum dedisse, & ad id quod apparuit impulsos fuisse; sed hoc quidem forte ipsius voluntarij astructiuum ostensiuumque, sed non est idem voluntarium, & quod in nobis; voluntarium enim est, quod ex non coacto assensu fit*, quod vero in nobis, *id est, quod cum assensu, rationali, & iudiciario fit, vnde si quid in nobis illud, & voluntarium, non tamen, quicquid voluntarium illud, in nobis; voluntarie enim, & animalia bruta, quæcumque, per assensum, & impulsum, qui in ipsis est, faciunt, ponere vero in seipso, eorum, quæ ab ipso fiunt. Proprium est hominis, hoc enim est, ipsi esse rationali, in seipso occurrentium imaginationum, & omnino agendorum, & non agendorum iudicatricem, inuentricemq; rationem habere; idcirco, & alia quidem animalia, quæ solis imaginationibus obediunt, assensuum & impulsuum, iuxta actiones, causas habent, homo vero occurrentium sibi externarum imaginationum, de agibilibus iudicatricem habet rationem, qua cum vtitur, singulam earum examinat, non solum, an videatur talis, qualis videtur; sed etiam si est, &, si ratione perscrutans; alteram esse inuenerit, quam sit visa, non præstitit ei assensum, quia huiuscemodi apparet, sed quia non est huiuscemodi, insurgit in ipsam, hac de causa, & ab aliquibus, quæ voluptuosa visa sunt, sæpe abstinet, quamuis illa concupiscat, quia non habuit rationem, ei quod visum est concordem, pariter quoque vtilia quædam visa recusauit, rationi in hoc obtemperans. si itaque*, quod in nobis, *est in rationali assensu, qui per consultationem, gignitur, hi vero in assensu & impulsu, qui etiam absque ratione fit: ipsum ponunt. apertissime ostendunt dictis suis, se rudius, de eo, quod in nobis pertractare, nec dicere, quid nam ipsum sit, nec in quo fiat; nam rationali esse, nihil aliud est, quam actionum esse principium; nam quemadmodum, aly aliud est esse, animali quidem, in impulsorio, igni vero in calido, & calefaciendi vim habente, alij autem in alio, ita & homini, in ipso rationali, quod tantumdem est, ac ipsum habere principium aggrediendi aliquid, & non aggrediendi, & secundum idem, ambo; quapropter qui hoc tollit, hominem tollit.*

Quibus ex verbis Alexandri, manifeste docemur in quonam sit deceptio, & paralogismus rationum Galeni, & eius sectatorum; non enim posuerunt differentiam inter naturalem impetum siue propensionem, qua ducimur, quamuis non inuiti, &, id quod est in nobis, siue voluntarium, & liberum, sed vtrumque simul confuderunt. ex quo ipsi putarunt, actiones humanas, absolute pendere à temperamento, & humanam animam, quæ est ipsarum principium, ad corporis

poris temperamentum sequi, sed secus est, vt optime Alexander dixit. Cum enim essentia, & quidditas hominis in esse rationali sit constituta, quod idem est, ac habere liberum principium agendi, & non agendi, illæ actiones, quæ pendent ex temperamento, & impetu naturalis appetitus, non erunt dicendæ humanæ, sed belluinæ, vt à principio dicebamus, quare ex ipsis non licet arguere substantiam & naturam humanæ animæ, cum non sint illi propriæ, sed brutis etiam communes, vt *Aristot.* dixit *1. de anima partic. 12.* At vero legitime arguemus ex proprijs hominis operationibus, quales sunt, quæ fiunt ex iudicio rationis, secundum quas videmus hominem moderare, ac vincere passiones & appetitum corporis; non autem trahi & vinci. Optime igitur, vt eo vnde discessit nostra reuertatur oratio, Aristot. contra Empedoclem argumentatus fuit, Plato vero contra Simmiam, & nos contra Galenũ, & eius sectatorem Ioannem Vuartes. Si anima est temperamentum, difficile est omnium ipsius operationum rationem reddere; quinimmo si anima humana consequitur temperamentum, hoc idem, non solum erit difficile, sed impossibile.

Illa vero, quam vltimo loco recitauimus Stoicorũ sententia, quam & Plato in Phædone Cebbetis fuisse recensuit, cum & ipsa, tamdem aliquando morituram asserat animam: non minus falsa ostendetur, quam alia quæpiam ex reliquis, quas confutauimus. Statuit autem, vt præcedente capite diximus, humanũ animum supersse post mortem, quamuis non omnem, sed tantum sapientum virorum, cum ineruditorum & insipientium, simul cum corpore interire putarint; at vero non esse perpetuum, & sempiternum, sed tamdem post multa secula, simul cum tota mundi machina, & ipsum periturum.

Aduersus quam sententiam ita differo, aut animus per se, & quatenus animus, est corruptibilis, vel incorruptibilis, aut non per se, sed per accidens, & ratione alterius, si per se & quatenus animus, est corruptibilis, non magis à morte erit superstes animus sapientum, quam insipientum, ac pariter si per se est incorruptibilis, non minus erit superstes animus insipientum, quam sapientum, cum non magis aut minus sit animus qui in ipsis est omnibus, nisi dicant, animum insipientum esse per se corruptibilem; sapientum vero per se incorruptibilem, ex quo sequetur, sapiẽtes & insipientes differre inter se, non solum specie, sed etiam plus quam genere, cum ipsorum essentiale principium distinctum sit, tam quam corruptibile & incorruptibile, quæ differunt inter se plusquam genere. Si per accidens sit corruptibilis, vel incorruptibilis, aut per accidens erit corruptibilis,

& per se incorruptibilis, aut per se corruptibilis, & per accidens incorruptibilis, aut per accidens corruptibilis, & per accidens incorruptibilis; non potest dici ex ipsorum sententia, quod sit per accidens corruptibilis, & per se incorruptibilis, quia si esset per se incorruptibilis esset necessario superstes corpori, quamuis desineret esse in corpore, & ita esset impossibile non esse, quare numquam corrumperetur, quod quamuis verissimum sit; tamen contrarium est ipsorum positioni, qui dicunt illum aliquando interiturum, neque per se corruptibilis, & per accidens incorruptibilis; primo, quia tunc haberet contrarium, cum omne quod per se corrumpitur, corrumpatur à contrario; animo autem, cum sit substantia, nihil est contrarium; secundo, quia in omnibus corrumperetur, & non in insipientibus tantum. Reliquum igitur est, vt apud ipsos animus humanus per accidens sit corruptibilis, & per accidens incorruptibilis, quæ rei veritate fuit ipsorum sententia. Quæ vt bene percipiatur supponendum est, existimasse Stoicos, omnia aliquando esse interitura, etiam vniuersum, etiam sidera, & cælum ipsum, quod igneum asseuerabant; cum vero animum ex æthereo corpore constare dicerent, vt præcedente capite monstrauimus, & etiam *Galenus* docet *7. de Hyppocratis, & Platonis placitis cap. 7.* etiam ipsum cum sideribus, ac cælo, & tota mundi machina corrumpendum fore existimarunt, vt clare videre est apud *Senecam loco supra citato, in libello de consolatione ad Marciam cap. vlt. in vltimis verbis*. atque ita dixerunt animum humanum corruptibilem per accidens, hoc est ad corruptionem corporis illius ætherei in quo illum statuebant, ac pariter incorruptibilem per accidens, & secundum quid, non autem per se & simpliciter, ac propterea non perpetuum, sed aliquando desiturum. Cum enim ipsum compositum & corporeum putarent, aliquando dissoluendum fore existimabant, sed non pari in omnibus ratione; si namq; animus non per se, & quatenus animus statuebatur incorruptibilis, sed ratione corporis ætherei in quo est, prout corpus illud purius, aut impurius esset, ita magis, aut minus duraturum cum eo animum, & quia sapientum animus minus corporeis affectionibus tenetur: etiam & ipsius corpus, quod dicunt spiritum, minus terrenæ, & corruptibilis labis contrahere; ac proinde purius, egressum è corpore animum superstitem adhuc multis seculis seruare. Animum vero, ineruditorum, & stultorum hominum, cum corporis voluptatibus sit demersus, & obrutus, æthereum illum spiritum impurum, & non minima corruptionis labe concretum retinentem, superstitem esse non posse, sed cum spiritu illo, qui

egre-

egrediens maiorem de corruptibili corpore, quod dilexit, secum traxit portionem, quam antea duxit ab æthere, in circumfusam, & cognatam sibi elementorum molem resolutum euanescere. Contra hanc vero sententiam ita positam hoc pacto arguo, aut corpus hoc in quo manet anima, & in quibusdam est superstes, est eiusdem rationis cum elementis, ex quibus componitur corpus, & ita corrupto corpore, corrumpetur & anima, cum ex eisdem constent principijs corruptibilibus, aut erit diuersæ rationis, nempe æthereum & cæleste, & tunc in omnibus erit superstes, cum à corpore non possit infici, neque mortalitatis labem ex eius consortio trahere, quandoquidem quæ inuicem agunt, & patiuntur, oportet, vt sint in cognato genere, cælum autem, & hæc inferiora non communicant in genere, quia non communicant in materia.

Vana igitur est & Stoicorum sententia, quam vltimo loco expendere atque cõfutare ex omnibus, quæ mortalem animum astruerent, polliciti sumus. Atque ita constat meo iudicio, & ni fallor integre, probatum fuit demonstratione deducente aduersarios ad impossibile, humanam animam esse immortalem, nam si eius contradictoria, nempe anima humana est mortalis secundum omnes modos, qui hucusque ab aduersarijs excogitari potuerunt, est falsa, & impossibilis, vt iam inductione probauimus; necessario ipsa erit vera. Qui est validissimus argumentandi modus, aduersus perduelles, & pertinaces, reliquum est modo, vt demonstratione ostensiua, tum ex principijs Aristotelis, tum etiam ex rei natura, hanc eamdem veritatem pro nostris viribus, & conatu ostendere aggrediamur.

Disputationis altera pars, in qua rationibus ostensiuis, ac primo ab Aristotele petitis, intellectus humani immortalitas demonstratur. Cap. IX.

NVLLA profecto magis prompta, ac expedita argumentatione poterat Aristoteles humani intellectus immortalitatem ostendere, quam illa, quæ ab eius vernacula operatione desumitur, quæque in nobis tamquam intellectus magis propria eluceſcit, ea autem est, ipsius intelligere, hæc enim omnium, quæ ab anima sunt functionum, maxime assimilatur proprio, hoc est absoluto muneri, quod intellectui

ctui debeatur solum, & nõ coniuncto, vt de cæteris manifestũ est, irasci, confidere, desiderare, & omnino sentire, quæ vtrisque, animæ scilicet & corporis cõmunes sunt passiones. Quod & si tamquã dubium statuerit *1. de anima partic. 12. 3.* tamen *lib.* (quod ostendere aggrediemur) efficaciter demostrauit. Tertio igitur libro, cum assumpsisset intelligere, esse sicut sentire, ac proinde esse aliquod pati ab ipso intelligibili, quẽadmodum sentire à sensibili, aut aliquid aliud tale, hoc est non omnino idem cum illo pati, quod tribuitur sensui, sed illi adsimile, saltem in hoc, quod potentia existens intelligibile, recipit intelligibile, & fit ipsum intelligibile, quemadmodum sensus, potentia existens sensibile, recipit, & fit actu sensibile, exinde deducit conclusionem, quam sibi proposuerat probandam, nempe quod intellectus sit impassibilis, & inquit. *Impassibilem ergo oportet esse.* Sed videamus, antequam ad vlteriora progrediamur, quonam pacto ex similitudine intellectus ad sensum, qua vtrumque dicitur pati, deduxit Aristoteles intellectum esse impassibilem, cum inde contraria potius conclusio deducenda foret, ad quod dicimus fuisse deductam hiusmodi conclusionem ex coarctata antecedente, non enim dixerat absolute philosophus, si intelligere est sicut sentire, erit pati aliquod ab intellligibili, sicut sentire ab ipso sensibili, sed disiunctiue, aut aliquid aliud tale, ex quo deducitur, quod intelligere improprijssime dicitur pati, neque alia ratione nisi quatenus est recipere, quod si proprie accipiatur pati, intellectus potius est impassibilis, quod vt intelligatur supponendum est, quod ipsum sentire, quamuis sit passio perfectiua respectu potentiæ, quæ semper perficitur ab obiecto; tamen non est omnino denudatum à passione destructiua, quod illi accidit ratione organi, quapropter ab excellenti sensibili destruitur; at vero pati ipsius intellectus nullo pacto includit passionem, vel qualitatem aliquam destructiuam, nec ratione sui, nec ratione organi, cum nullo vtatur organo, ac propterea ab excellenti obiecto perficitur, non destruitur, vt infra Aristot. docebit. Ita igitur Aristotelis deductio concludet; si intelligere est sicut sentire, aut erit aliquod pati, non quodlibet pati, vt est pati simpliciter destructiuum, quod est secundũ passibiles qualitates; sed pati aliquod, hoc est ab obiecto, vt sensus à sensibili, aut aliquid aliud tale, hoc est diuersum à pati ipsius sensus, neque in vllo ipsi sentire adsimile nisi in eo quod est recipere; ergo oportet intellectum esse simpliciter impassibilem passione destructiua; nam si non esset diuersum pati, intelligere, & sentire, tunc intellectus esset per se quidem impassibilis, per accidens autem passibilis, veluti est sensus,

sed

ſed eſt diuerſum, ergo intellectus eſt omnino & ſimpliciter impaſſibilis. Hanc vero ita deductam concluſionem Ariſtot. alio ſumpto principio tali pacto demonſtrauit. Intellectus intelligit omnia, ergo eſt immixtus; ergo eſt immixtus à corpore, ergo eſt impaſſibilis & immortalis; priorem autem ſequelam probauit authoritate Anaxagoræ, & ratione; veluti enim Anaxagoras, cum omnia ſimul & in vnũ congregata, ac ſimul mixta ſtatuiſſet in ipſo chaos, & omni ſeminario rerum, ante vniuerſi conſtitutionem, poſtea Mentem, ſiue primum intellectum feciſſe motũ, & diſgregaſſe dixit; huiuſmodi autem intellectum fuiſſe immixtum ab omnibus, vt omnibus imperare, ac omnia ſegregare poſſet. Ita & humanum intellectum, vt poſſit omnia intelligere, oportet eſſe immixtum ab omnibus.

Ratio autem eſt, quia intus apparens prohibet & obſtruit; veluti enim in organis ſenſuum, vbi ipſa, aliqua prædita fuerint qualitate, ſenſus alia obiecta percipere non poſſunt, ob qualitatem intus in organo exiſtentem, & impedientem aliarum ſpecierum obiecti perceptionem, vt in oculis icterici contingit, quibus flauo colore infectis omnia videntur flaua, & in palato febrientis, quo amara bile imbuto omnia iudicantur amara. Ita & intellectu ſi ipſe cum aliqua re eſſet mixtus, nihil aliud percipere poſſet ob illius rei ſpeciem intus exiſtentem, & impedientem aliarum rerum perceptionem. ſed antequam ad alias conſequutiones examinandas deueniamus, operæpretium erit videre de hac, à quibuſnam rebus dixit Ariſtoteles oportere intellectum eſſe immixtum. Exiſtimauit Philoponus à materia, ſed perperam, quia hoc infra ab Ariſtotele dicetur, vbi eſſe immixtum à corpore ſtatuit, à formis materialibus putat Auerroes, ſed hoc extortum eſt, & multas habet obiectiones, quas conſulto non affero, ne à propoſito digrediar nimis: videre illas eſt apud multos, ſed præcipue apud Mirandulanum, Caſertæ Epiſcopum *lib. 11. de euerſione ſingularis certaminis ſect. 4.* At melius exiſtimarunt Alexander, Themiſtius, & Simplicius eſſe immixtum ab omnibus, quæ intelligit, & quia ſimpliciter intelligit omnia, eſſe immixtum ab omnibus, non ita tamen vt ſit immixtus à ſeipſo, vt Alexandro impingit Philoponus, ita enim nihil eſſet, nec poſſet intelligibilia ſuſcipere, ſed ita, vt nihil ſit actu eorum, quæ intelligit antequam intelligat, ſed poteſtate tantum, ac veluti materia prima ſe habet ad formas omnes ſenſibiles, ita hic intellectus ad formas omnes intelligibiles. Aſſumptum vero huius argumentationis, nempe quod intellectus intelligat omnia, Ariſtoteles non probauit, ſed ſuppoſuit; nos autem probabimus; primo vniuerſaliter,

saliter, quia obiectum intellectus est verum; verum autem & ens conuertuntur; deinceps autem facta per singulas res inductione, & per omnes habitus cognoscendi; idem fusius prosequemur. Ex hoc autem, quod intellectum oportet esse immixtum, vt omnia intelligat, deduxit Aristoteles, intellectum esse immixtum corpori, inquiens; *Vnde, neque rationabile est ipsum mixtum esse cum corpore*, probat vero consequentiam, dicens; *Qualis enim quidam vtique fieret, calidus, aut frigidus, & ei instrumentum aliquod esset, sicut sensitiuo, nunc autem nullum est.*

Optime autem ex his probauit deductam consequentiam, nam si intellectus esset mixtus corpori, aut esset illi mixtus, vt qualitas, aut vt forma, si vt qualitas, tunc ipse fieret qualis, nempe aut calidus, aut frigidus, aut humidus, aut siccus. Aut esset illi mixtus vt forma, & tunc illi aliquod esset instrumentum, quemadmodum sensitiuo; sed consequens est falsum, ergo & antecedens, quod vero consequens sit falsum; probatur ex antedictis, & primo quoad priorem partem; nam si intellectus esset qualis, tunc non posset omnia intelligere, nam impediretur à qualitate, qua esset præditus, secundum quam omnia iudicaret, aut si omnium qualitatum crasim, & temperaturam haberet, quemadmodum habet tactus, tunc quamuis excessum qualitatum perciperet, alias consimiles in gradu qualitates, aut consimilem temperiem non perciperet, quemadmodum neque & tactus percipit; si autem corpori esset mixtus vt forma, tunc haberet aliquod organum cuius esset ratio, & quo vteretur in opere, quemadmodum videmus sensitiuum habere, at vero nullum habet, quod nullum habeat, dupliciter probatur. primo, quia si haberet aliquod organum quo vteretur, non omnia intelligeret, cum organo enim cognosceret, quare & singulariter vt sensus, non ergo cognosceret vniuersalia. secundo, quia corrumperetur ab excellente intelligibili, sicut sensus ab excellente sensibili. si enim haberet organum esset ratio, & proportio illius organi, quæ proculdubio corruptibilis est à vehemente motiuo, quemadmodum, & concentus siue ratio acuti, & grauis in fidibus, ipsis vehementer percussis. Optime igitur deductum est, si intellectus omnia intelligit est immixtus, si est immixtus, est immixtus à corpore, sed dicet aliquis, insufficiens est prior enumeratio, si esset mixtus, esset qualis, nempe calidus, aut frigidus; nam hæc non amplectitur omnes qualitates, ad quod dicimus, his tantum recensitis, omnes alias includi, cum hæ sint primæ, à quibus omnes aliæ pendent, vel consequutiue, vel effectiue; duas autem tantum in medium attulit, calidum scilicet ac frigidum, quia hæ tantum sunt actiuæ,

humi-

Digitized by Google

humidum autem, & ſiccum harum ſunt veluti adminiſtræ. Quod ſi eſt immixtus à corpore, eſt impaſſibilis, quod initio ſibi propoſuerat demonſtrandum. ſi impaſsibilis, ergo immortalis. Conſequentia autem eſt euidens, & ab *Ariſtotele* probata *1. de anima partic. 65.* ſi enim eſſet corruptibilis, maxime eius corruptibilitas appareret in ſenij debilitate, veluti enim ſenium eſt via ad interitum corporis, ita eſſet ad interitum animæ, ſenium autem eſt via, & quid proximum ad interitum corporis & mortem, quia in ſenio prædominantur qualitates contrariæ ipſi vitæ; prædominantur enim in ſenio frigiditas, & ſiccitas, cum quibus eſt mors, veluti cum calido, & humido eſt vita, at vero in ſenio non afficitur anima per ſe, & ratione ſui, non ſolum intellectiua, ſed neque etiam ſenſitiua, quod patet: nam ſi ſenex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, ergo non eſt quod in ſenio patiatur anima per ſe à qualitatibus, quæ prædominantur, cum anima non ſit accidens, ac propterea non poſſit corrumpi à contrario, ſed id in quo, hoc eſt corpus cuius eſt actus & perfectio, & in quo eſt tamquam organo, quod ſi quælibet anima non ſolum intellectiua, ſed neque etiam ſenſitiua eſt corruptibilis per ſe, &, ſi aliqua eius ſpecies eſt, corruptibilis eſt per accidens, & ratione organi; ergo intellectiua, quæ nullum habet organum, vt iam probatum eſt, erit prorſus, & omnino incorruptibilis, cum neque per ſe tamquam carens contrario, neque per accidens, tamquam carens organo corrumpi poſsit, ſed dicet aliquis experimento contrarium apparere eorũ, quæ dicta ſunt; nam in ſenio videmus operationes intellectus deficere, quare & multo ſenio confecti, non ſolum obliuioſi, verumetiam & deſipientes ſunt, ac repueraſcunt & multis ſtudijs, ac potiſſimum contemplationibus; non ſolum mens defatigatur; verumetiam & corpus ipſum contabeſcit, atque debilitatur, & Ariſtot. ipſe loco citato inquit, quod intelligere ac ſpeculari marceſcit, alio quodam interius corrupto. parum igitur refert ſi intellectus per ſe, & ratione ſui non poſſit corrumpi, cum & ſenſus etiam à tali corruptione ſit immunis, quare & philoſophus dixerat, quod ſi ſenex acciperet oculũ iuuenis videret vt iuuenis, ſufficit autem vt corruptibilis ſit, ſi corrũpatur ratione eius in quo eſt, vt in ebrietatibus & morbis, quemadmodũ Ariſtot. ibidem dixerat. Huic obiectioni, quãuis antea reſponderimus præcedente libro, cum locum prædictum pro immortalitate intellectus attulimus, & infra etiam reſponſuri ſumus; tamen & nunc reſpondemus, ac dicimus, falſum eſſe quod aſſumitur in ſenio debilitari, aut lædi intellectum, quamuis ita appareat & videatur propter viciniam

& affi-

& affinitatem facultatis administræ, quæ læditur; non enim intellectus est, qui læditur læso corpore, sed imaginatiua cum qua intellectus intelligit, & ipsa pariter defatigatur in contemplando, & ad eius defatigationem langueſcit corpus, non autem mens & intellectus defatigatur, & hoc est quod Aristot. docuit loco citato, intelligere, & speculari marceſcere alio quodam interius corrupto, intelligens per illud interius, imaginatiuam; non autem aliquod organum, quo vtatur intellectus, alias sibi ipsi contrarius fuisset, qui vbique locorum intellectum dicit inorganicum, & hoc eodem loco dixerat, intellectum innasci substantiam existentem, & non corrumpi, quod clarius docuit *3. lib. partic. 20.* vbi inquit, quod non reminiscimur, quia intellectus de quo sermonem habuerat impassibilis est, passiuus vero intellectus est corruptibilis, vbi omnium expositorum consensu (paucis tantum exceptis Alexandreis) per intellectum passiuum imaginatiuam accepit, vt etiam *lib. 2. partic. 155.* idem acceperat, neque aliter potest accipi, cum paulo ante intellectus potentia, de quo aduersarij hoc interpretantur, incorruptibilis fuisset suppositus, cum dixit de intellectu agente, quod sit separabilis, immixtus, & impassibilis; hoc argumento, quia semper honorabilius est agens patiente, ergo supposuit intellectum potentia esse pariter separabilem & immixtum, alias argumentum non concluderet, sed de hoc suo loco fusius dicemus; falsum igitur est, quod assumitur in obiectione, intellectum lædi in senio aut morbis, quod vt manifestius fiat, nos non ex authoritate Aristot. hoc enim præcedente libro præstauimus, sed certissimis rationibus ex rei euidentia ostendemus. Quod igitur intellectus nullo pacto, nec per se, nec ratione corporis lædatur in senio, aut morbo, ita probo, si læderetur ratione corporis in senio, tunc debilitato corpore pari proportione, & intellectus cum corpore deficeret, ac debilitaretur, sed contrarium experimur; nam corpore deficiente vires intellectus augentur; circa annum etenim quinquagesimum, vt alias ex Aristot. diximus, manifeste experimur, intellectum vigere, non solum in agendo, quod vsui & experientiæ tribui posset; verumetiam contemplando & speculando, quod proprium est intellectus, & tamen contrarium deberet fieri; tunc enim oculus corporis incipit hebetari, & sensus vna cum toto corpore labascunt, sed aliquis dicet, hoc fieri propter habitum speculandi, non ante id tempus acquisitum, quo promptiores, & alacriores reddimur ad intelligendum, vt etiam *Aristot.* docuit *30. partic. problematum, probl. m. 5.* ad hoc dicimus multos esse qui habitum speculandi, & scientias adepti sunt ante annum

num quinquageſimum, alios 30. vt Ioannes Picus Mirandulanus, alios 40. quibus anno quinquageſimo, vel 53. quo tempore magis vigere intellectum certum eſt, deberet intellectus eſſe remiſſus, ac debilius intelligere, quam anno 30. vel 35. aut 40. cum anno 30. & alijs infra 50. non ſolum habitu ſcientiarum præditus fuerit; verumetiam maioribus viribus naturalibus, anno vero 50. & ſupra, quamuis eundem haberet habitum; vel etiam meliorem, tamen naturalibus viribus non parum ſit debilitatus. Contrarium tamen experientia demõſtrat, nam monumenta ingenij, quæ maturiora ſunt, & ſero elaborantur, maiorem redolent ſapientiam, quam ea, quæ ætate recenti. hoc vero & ipſemet experior; meliores enim, non ſolum doctis viris, ſed etiam mihi ipſi videntur lucubrationes, quas nunc conſcribo, annũ agens 50. quam illæ fuerint, quas iam meditabar, vel conſcribebam ante annos 7. vel decem; neque obſtat, quod à iure peritis dicitur, quo iuniores, eo perſpicaciores, nam hoc intelligitur de tempeſtate iuniore, ſeu recentiore omnium hominum; non autem de ætate ſingulorum, vt homines noſtræ tempeſtatis ſunt perſpicaciores hominibus ſuperioris tempeſtatis, puta nos noſtris parentibus, quia facile eſt inuentis addere, vt interpretatus mihi fuit D. Ioannes Ghinus Iureconſultus celeberrimus in Vrbe Roma familiaritate mihi coniunctiſſimus, quare argumentum remanet in ſuo robore.

At vero hoc euidentius eſt manifeſtum, ex eo quia corpore nimium curato, & ſaginato minus valet mens; vnde dicitur, obeſus venter mentem ſubtilem non gignit, at contra ipſo debilitato, & ſubtracto illi alimento, mens & intellectus magis viget, & dominatur, quod non ſolum noſtræ religionis aſſeclæ conteſtantur, qui ieiunijs, & corporis caſtigatione ad diuina contemplanda ſe erigunt, & alacriores reddũtur; verumetiam Ethnici philoſophi docuerunt, vt Plato in Phædone, nec ſolum Plato, ſed etiam *Ariſtot. 1. de anima partic. 49.* vbi inquit: *Laborioſum autem eſt, & commixtum eſſe corpori, & non poteſt abſolui, & præterea fugiendum, ſiquidem melius eſt intellectui non cum corpore eſſe, quemadmodum conſuetum eſt dici, & multis placet.* Quinimmo non ſolum in primo ſenio, & corpore debilitato vigere videmus mentem; verumetiam & in multo ſenio, modo tamen imaginatiua non ſit læſa, laborante cerebro; multi enim ſunt ſenes ſeptuagenarij, & octuagenarij, qui confractis corporis viribus, & reſolutis ſpiritibus, tum vitalibus, tum animalibus; tamen longe vegetiore ingenio præditi ſunt, quam dum eſſent iuuenes; celebre eſt illud quod à Cicerone libello de ſenectute recenſetur exemplum Sophoclis, qui cum à filiis arceretur ab adminiſtratione bono-

bonorum, tamquam minus idoneus, & exoletis ingenij viribus ineptus. Iudicibus quam præ manibus habebat tragediam Oedippi Colonei, & proxime scripserat, recitauit; illos interrogans, num illud carmen desipientis videretur, quo recitato sententijs iudicum est liberatus. Omitto nunc Platonẽ, qui octogesimo anno, scribens est mortuus; & Isocratem, qui nonagesimo quarto Panatenaicum librum scripsisse dicitur; & Gorgiam Leontinum, qui centum & septem compleuit annos, neque vnquam in suo studio, aut opere cessauit, qui cum ex eo quæreretur, cur tãdiu esse vellet in vita. Nihil habeo, inquit, quod accusem senectutem; aliosq; multos sapientes, quos ibi author idem enumerat, sed quid plura? non solum languente corpore, sed etiam moriente, animus vegetior, & alacrior reperitur, vnde aliqui morti proximi multa diuinarunt. Omitto nunc Iacob Patriarcham in sacris litteris, qui moriens verissimam illam de filijs edidit prophetiã, quamuis à maiori lumine afflatus, quam naturæ, est testimonium apud Ciceronem de Rodio moriente *1. de diuinatione*, qui sex æqualibus mortem prædixit; libet autem eius verba apponere, quæ nostro proposito sunt aptissima. *Cum ergo est somno seuocatus animus à societate & contagione corporis; tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prouidet; iacet enim corpus dormientis, vt mortui, viget autem, & viuit animus, quod multo magis faciet post mortem, cum omnino ex corpore excesserit. Itaque appropinquante morte multo est diuinior; nam & idipsum vident, qui sunt morbo graui & mortifero affecti, instare mortem, itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum, tumq; vel maxime laudi student, eosq;, qui secus, quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitet. Diuinare autem morientes etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert Rodium quendam morientem sex aquales nominasse, & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset.*

Quod vero in somno animus quodammodo à corpore sit seuocatus, etiam Hyppocrates paribus ferme verbis testatum reliquit *libello de insomnijs*, hæc autem sunt. *Quum autem corpus quiescit, anima in motu est, & corporis partes perreptans, doptans, domum suam gubernat, & omnes corporis functiones ipsa perficit; nam corpus dormiens non sentit, ipsa vero vigilans cognoscit, ac visibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, tristatur, animaduertit, in summa quæcumque corporis, aut animæ munia ea omnia anima ipsa in somno obit.*

Quod autem multoties animus in ægritudinibus imminentem sibi mortem præuideat; quod etiam inquit Cicero, quamuis grauitatem morbi non sentiant, sæpius in ægrotantibus cernitur, quod paucis ab hinc mensibus Romæ accidit. Liuiæ Vrsinæ Duciss Cæsarinæ, fœminæ non solum gentis nobilitate, verum singularis pietatis, atque pudicitiæ,

Digitized by Google

citiæ ergo clariſſimæ, quam honoris cauſa recenſeo. Hæc à febre occultæ malitiæ correpta; nihil de morte ſuſpectantibus, neque Medicis, neque familiaribus, nulla permota cauſa, ſola animi diuinitate, imminentem ſibi mortem, initio morbi, certiſſime prædixit; quam ſeptimo aut octauo die, relicto ſui deſiderio, obijt. Omitto exemplum Calani Indi philoſophi, qui mox moriturus, Alexandro Magno, vicinam in Babilonia mortem prædixit. Sed dicet aliquis, hoc integris ſenſibus; cum ſponte comburi voluerit; ſed quare, nunquam Antea diuinaſſe, legitur, niſi poſtquam animus, quam corpori decreuerat, mortem, proximam ſentiens, alacrior eſt effectus; ſed & *Ariſtoteles* noſter *libello de diuinatione per ſomnum cap. 2.* eos, qui mente excedunt diuinare conceſſit, cauſam referens; nempe, quia ſoluta, & quieſcens à proprijs motibus, anima, externos, & remotos percipit, quod non fieret, niſi ſublatis corporis impedimentis, acutius cognoſceret, & tamen in exceſſu mentis; ſiue inexſtaſi, corpus afficitur, quare, & ipſam, morbum appellauit, libello de inſomnijs, & in extaſi vehe menti; qua correpti, tam quàm mortui, apparent, multa ab ipſis videri, ibidem teſtatus fuit, imbecillo, igitur, atque labefactato corpore, animus non languet, quin immo, magis viget; niſi vitæ aſſuetudine, molli, atque voluptuoſa, corpori adeo immerſus fuerit, vt emergendi, non habeat facultatem, ſed hæc hactenus, de priore argumento; cuius vim, & efficaciam, in ſequenti, fuſius expendemus.

Afferuntur aliæ rationes, ex eodem argumento deductæ ad Immortalitatem Animi, ex Naturæ principijs probandam. Cap. X.

EX priore argumento, quod recitauimus, ſi diligentius conſideretur, multa alia deducuntur, & ea quidem validiſſima, ad eandem humani animi immortalitatem oſtendēdam; cum longe plura in receſſu habeat, quam in fronte; ſi enim, quod communiter, & compendio acceptum fuit. Intellectum omnia intelligere; ſpeciatim, ac diſtincte conſideremus, & veluti inductione facta in ſingulis oſtendamus, multa inde, nobis ſuppetent Argumenta. Diuidemus autem primo, ambitum totius entis, in actu, & poteſtate; vt *Ariſtot. 5. Meta-*

Metaphyſico. & rurſum, Ens actum, aliud reale, aliud intentionale, quã diuiſionem tradidit *1. de Anima part. 8.* dicens: *Vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius eſt.* Reale autem, aut per ſe, aut ſecundum accidens *5. Metaphyſico. cap. 7.* Ens per ſe; ſubſtantia. Ens vero per accidens quantitas, qualitas, relatio, & cætera nouem prædicamenta. Subſtantia vero, aut Materia, vel concernens materiam, aut Immaterialis, vel ſeparabilis à materia: Materia, ſubſtantia, potentia, concernens vero materiam, aut forma, aut compoſitum. Immaterialis vero, aut ſeparata, vel ſeparabilis, re, & ratione, Aut ratione tantum non re, ſeparata. Re, & ratione, vt ſubſtantiæ incorruptibiles. Separata autem ratione tantum: non re: vt formæ Mathematicæ, quamuis hæ, ſub formis accidentalibus, non autem ſubſtantialibus, reponantur. Et iterum, ens reale, aut ſumitur penes eſſe eſſentiæ, aut penes eſſe exiſtentiæ. Penes eſſe eſſentiæ, vt eſſe carni, vel recto eſſe, penes eſſe exiſtentiæ, vt eſſe carnem, vel eſſe rectum, ex *Ariſtot. 3. de Anima, partic. 9.* eſſe eſſentiæ, eſt eſſe vniuſcuiuſq; rei, in ſe ipſo acceptum, eſſe autem exiſtentiæ, eſt eſſe in materia, vel ſubiecto, vt eſſe carni, vel retro, dicit rationem carnis, vel rectitudinem, eſſe autem carnem, dicit rationem carnis in materia, & rectitudinem in continuo. atque ita diuiſum ſit ens reale. Ens autẽ intentionale, aut eſt prima intentio, aut ſecunda intentio, ex *Ariſtot. 1. Periermenias, cap. 1.* Primæ intentiones, ſunt, rerum extra animam exiſtentium, ſimilitudines in anima, ſecundæ autem intentiones, ſunt conceptus, ex reflexu ſuper primis intentionibus, intellectus operatione, in anima fabrefacti. Rurſus vero primæ intentiones, aut ſunt vniuerſales, aut ſingulares. Vniuerſales, vt homo, Animal, ſingulares, vt hic homo, Socrates Sofroniſci filius. Secundæ autem intentiones, aut ſunt vniuerſales, aut ſingulares, aut Indefinitæ, aut particulares, vt omnis homo, hic homo. Homo, quidam homo; de quibus Logicus. Præter hanc, ita traditam, omnium entium diuiſionem; poſſumus, & alio modo, Ens vniuerſum diuidere, penes habitus Intellectus, quibus homo, non ſolum omnia comprehendit, verum etiam omnibus imperat, & dominatur; omnia enim quæ ſunt, aut ad Intellectionem pertinent, & intellectum ſpeculatiuũ, & ſcibilia dicuntur: talia autem ſunt omnia entia, ſiue actu, ſiue poteſtate, ſiue realia, ſiue intentionalia: ſiue per ſe, ſiue per accidens: ſiue materialia, ſiue immaterialia: ſiue ſingularia, ſiue vniuerſalia, vel ad voluntatem, & practicum intellectum; & talia ſunt, aut agenda, aut facienda. Agenda ſunt, omnia quæ pertinent, ad deliberationem, & ad conſultationem, & à libera pendent hominis voluntate, & circa

hæc

hæc, voluntas, deſpoticum habet dominium, vel ſunt facienda, vt ſunt Artificialia, & in his, practicus, ſiue factiuus Intellectus, materiæ dominatur. inducens in illam, non vnam, aut alteram; ſed quaſcunq; libuerit formas, iuxta habitum, quem ſibi antea inuenit, & comparuit. Ex his omnibus, ſigillatim, ac diſtincte conſideraris, humanum intellectum, nequaquam mortalem, & caducum: ſed immortalem eſſe, atque diuinitatis participem, vt Ariſtot. ſæpiſſime dixit: facile demonſtrabimus. Et primo. Intellectus intelligit Ens actu, & Ens poteſtate, ergo eſt immortalis. Probatur altera pars antecedentis; ſcilicet, quod intelligat ens poteſtate, quia intelligit euentus in cauſis nempe roſam, hieme, quæ eſt potentia in radice, quod fieri non poteſt niſi cum ratiocinio, & diſcurſu: coniungendo, ſcilicet cauſalitatem præſentes rei, cum futuro effectu. Ex hoc autem, patet etiam veritas conſequentis. Si enim ens potentia, non poteſt intelligi, niſi cum diſcurſu, & diſcurſus, eſt operatio ſuperior, ac nobilior ipſo ſentire, & imaginari; ergo arguit potentiam nobiliorem ſenſu, & imaginatione, talis autem potentia non poteſt eſſe, niſi penitus immortalis, & incorruptibilis, bene igitur concludit argumentum. Intelligit Ens potentia, ergo eſt incorruptibilis. Ad hoc, dupliciter ſolent aduerſarij reſpondere. Alij conceſſa antecedente, negant conſequentiam. Alij vero negata antecedente negant etiam conſequentem.

Antecedentem, quæ aſſumit intellectum, aut hominem, intellectu, diſcurrendo, ac ratiocinando, cognoſcere ens potentia. Concedit Galenus, ſiue alius quicunque fuit, author exortatorij ad bonarum artium ſtudia. Concedit etiam Plutarchus in Dialogo, qui inſcribitur Grillus. Concedunt, & aliqui ipſorum ſectatores, qui pro nullo inconuenienti, habent, diſcurſum, tribuere, etiam animalibus brutis. Negant autem conſequentiam, non enim concedunt, diſcurſum eſſe facultatem imaginatiua ſuperiorem, neque eſſe immaterialem, & immortalem: ſed dicunt Ratiocinium pertinere ad cogitatiuam, quæ eſt ſupremus gradus imaginatiuæ. Hac autem facultate non ſolum bruta cognoſcere intentiones prædicamentorum omnium, & etiam illa quæ à ſenſu non acceperunt, vt ouis hoſtilitatem lupi; verum etiam diſcurrere, & ex notis igni ota deducere, vnde & canem venatorem in triuio facere ſillogiſmum. Hanc facultatem vbiq; locorum; Galenus cum rationatrice confundit; ſed expreſſe libro de differentijs ſimptomatum *cap. 3. in fine*, dicens: Quibuſdam ægrotantibus læſam eſſe ratiocinandi facultatẽ, non læſa imaginatione; cuius exemplum affert in eo, qui clauſo interius cubiculi oſtio, ex feneſtra præte-

reuntes compellans. Interrogabat, vellent ne ? proici vasa, quædam cristallina, quæ ostendebat nominatim, & dicto proiciebat. Hoc autem ex vitio ratiocinij fieri, inquit, non autem imaginationis, vel memoratricis. Concedunt igitur, hominem entia potestate, hoc est quæ futura sunt, ratiocinio cognoscere; sed negant, ex hoc deduci, hominem præditum esse anima alterius generis à brutis, immortali scilicet, ac separabili, cum etiam bruta hac facultate prædita sint, & quãuis discursiua hominum, longe præstantior, ac perfectior sit, ea quæ est in brutis; ob perfectius temperamentum, ad quod sequitur, vt ipsi dicunt, tamen non propterea affirmant, in homine, esse animam superiorem, & incorruptibilem, vt nos deduximus; sed illam, non egredi ambitum earum formarum, quæ è sinu, & gremio materiæ educuntur, quamuis illarum omnium præstantissima sit, & suprema. Sed hæc sententia manifeste conuincitur tamquam falsa, apud bonos Logicos, ex fallacia argumenti, qua deceptus fuit Galenus, vt bene ostendit *Auerroes 3. de Anima, comment. 6.* vbi inquit, Galenum, ex hoc collegisse aliquam cogitatiuam, scilicet hominis, esse discursum, quia videbat in homine, esse cogitatiuam, & discursiuam, hoc sillogismo, in tertia figura, in primo modo eius figure. Omnis homo est cogitatiuus. Omnis homo est rationalis, ergo aliquod rationale, est cogitatiuum. Fallacia autem est in loco consequentis, vt inquit Auerroes, quia, etsi concluditur, quod aliquod rationale sit cogitatiuum, scilicet homo, tamen non concluditur, quod virtus rationalis sit eadem cum cogitatiua: nam hoc est falsum, quia cogitatiua hominis non distinguit, nisi intentiones singulares, non autem vniuersales, at vero facultas ratiocinandi distinguit, intentiones vniuersales, vt bene Auerroes ibidem docet. hoc autem, vere est discurrere, ponere propositionem particularem, sub vniuersali, & inde deducere conclusionem particularem, vt Aristot. docuit, libello de memoria, & reminiscentia; vt verbi gratia, omne bonum est prosequendum. Hoc est bonum, vel aliqua voluptas est bona, ergo aliqua voluptas est prosequenda. Totus autem hic processus pertinet ad intellectum practicum, qui est intellectus coniunctus cum sensu, vel imaginatiua, non autem ad cogitatiuam, quæ non potest percipere nisi singularia, & propterea intellectus practicus, non autem cogitatiua dicitur in homine principium actionum. Nunc veniamus ad alios, qui negata antecedente, negant etiam consequentem; negant enim cognitionem futurorum euentuum, arguere in homine, operationem aliquam intellectus, vel superioris potentiæ participationem, cum & bruta animalia, absque discursu; multos futuros

turos euentus prædicant, & certius quam homines, cum diſcurſu: quin immo, & inter homines, qui minus vtuntur diſcurſu, vt ſunt amentes, vel etiam furioſi, magis prædicunt futura, vel ſomniando, vt *Ariſtot.* docet libello *de Diuinatio per ſomnum. cap. 1.* vel etiam vigilando, vt fanatici, De brutis, quæ futuros prædicunt euentus, multa ſunt exempla, à naturalibus hiſtoricis conſcripta, & vſu probata, quorum pauca nunc adijciam.

Cornicula iuxta littus ambulans, & crocitans pluuiam prædicit; Delfinus ſupernatans, tempeſtatem proximam; Mures domo exeuntes ruinam ipſius. Erinacei ventorum diuerſitatem. Si enim ſeptentrionales futuri ſint, obſtructo cauee oſculo, quod ſeptemtrionem reſpiciebat, aliud ad meridiem aperiunt, & è conuerſo, & vt breuiter dicam aues cognoſcunt tempus aduentus ſui, & diſceſſus, vt Hirundines, Coturnices, Grues, Turdi, Ficedule, & alia, ita vt, ſtata tempora nunquàm prætermittant. & hæc omnia ſine ratiocinio, & diſcurſu. Ergo ex cognitione entium in potentia, & futurorum, non licet in homine arguere ſuperiorem, atque immortalem formam. Ad quæ; pariter reſpondemus, longe diuerſum eſſe modum, quo animalia bruta futuros cognoſcunt euentus; & quo homo; ac propterea, diuerſam inductionem eſſe. Animalia etenim bruta, aut inſtinctu, & naturali propenſione, ſine cognitione: aut ſenſu, & memoria; vel omnibus ſimul iunctis; hæc præſentiunt. Homo autem, ſolo ratiocinio, & diſcurſu. Inſtinctu, ſiue naturali propenſione, vt animalia, quæ imaginatiuam diſtinctam non habent, veluti ſunt inſecta, Apes, & Formicæ, quorum vtraque, futuram in hieme famem prouident, & cibaria ſibi parant. Senſu autem, aut imaginatione, & memoria, vt Aues, quæ imaginatione, & memoria comprehendentes; præteritam hiemem, ad loca calida migrant, & ita à calidis ad frigida, quod non ſine ſenſu fit; tempeſtatis appropinquantis, præuijs ad vnamquamq; diſpoſitionibus præcedentibus, & Erinaceus, qui forraſſe ex actiſſimo ſenſu tactus præditus, ex vaporibus, antea inſenſibilibus, per aerem diffuſis; ventos adfuturos cognoſcit, & Delfinus, qui fundum maris, erumpentibus vaporibus, ſiue exalationibus, agitatum ſentiens, ad ſupera aſcendit, & mures, qui decidentibus lapillis, aut cemento, caſuræ domus, excitati fugiunt; omnibus vero ſimul iunctis, vt hirundines, quæ ſummo artificio nidum conſtruunt; tum naturali inſtinctu, vt aranei telam, & plante, folia, gratia fructuum, vt *Ariſt.* dixit 2. *Phyſic. par. 80.* tum etiam memoria, & imaginatiua, cum animalia ſint perfecta, & imaginatiuam habeant diſtinctam. De ſomniantibus vero, & fanaticis

dicemus in libello de diuinatione per somnum. At vero homo, ratiocinio tantum, & discursu, ex notis igniotum cognoscit, & ex præmissis conclusionem, quod ipsi peculiare est; cum ipsi tantum competat vniuersalia cognoscere, & ex vniuersalibus particularia, necessaria consequutione deducere. Impossibile igitur est, negare hanc consequentiam. Homo cognoscit entia, potentia, siue futuros euentus, in suis causis; ergo præditus est superiore facultate, quam sit sensus, aut imaginatiua, vel cogitatiua; quæ sub sensitiuæ ambitu concluduntur; ex quo sequitur, hominem præditum esse forma immateriali, & immortali, quod primo deduximus argumento. Quia vero non solum diuidebatur ens, in actu, & potestate, verum etiam, ens actu, diuisum fuit in ens reale, & intentionale; & rursus, ens intentionale, in ens primæ intentionis, & secundæ intentionis. Cum intellectus intelligat, non solum ens reale, verum etiam intentionale, & non solum primas intentiones; sed etiam secundas, Hinc pariter deducimus, ipsum esse immixtum corpori, & immortalem. Antecedens à nemine controuertitur, consequens, vero probabitur, si prius, quid sit ens intentionale, & quomodo accipiatur, consideremus. Ens igitur intentionale, nihil aliud est, nisi ens obiectiuum, quod habet suam existentiam in anima, vel in eius potentijs cognoscentibus, siue sit sensus, siue sit intellectus, atque ita acceptum ens, distinguitur contra ens reale; nam ens reale, cum habeat entitatem suam extra animam, est absolutum, non autem obiectiuum, ex quo *Aristot. in prædicamentis, cap. de relatione*, dixit: Sensum, & sensibile, non esse relatiua secundum esse; sed penes dici, tantum, quia, sensu omnino non existente, puta corruptis omnibus animalibus, possunt esse sensibilia; elementa scilicet, aut alia corpora. Hoc autem ens obiectiuum, habens existentiam in anima, aut est imago rei existentis extra animam; & ita est prima intentio, aut est imago rei existentis in anima, non autem extra animam, & ita est secunda intentio. Prima autem intentio, aut est abstracta à materia obiecti extra animam existentis; sed non ab obiecto, & hæc dicitur species sensibilis, quæ dicitur intentionalis, quia proprium est vniuscuiusq; sensus, recipere sensibile sine materia, aut abstrahit à materia, & ab obiecto; sed non à conditionibus materiæ, & hæc dicitur species imaginabilis, aut phantasma, quæ species, est magis intentionalis, quia magis abstracta: aut abstrahit, non solum à materia, & ab obiecto; verum etiam à conditionibus materiæ, & hæc dicitur species intentionalis intelligibilis. Secunda vero intentio nihil aliud est, nisi imago primæ intentionis, existentis in anima, prout est in anima, quia

enim

enim prima intentio habet ſuum eſſe in anima ſpiritualiter, & ſine materia; & hoc multis, ac varijs modis iam enarratis: vbi intellectus percipit has primas intentiones, tamquàm in anima exiſtentes. Varijs atque diuerſis modis, alias inde ſibi eſſormat ſecundas intentiones, ſi enim illas tamquàm minime abſtractas à certis materiæ conditionibus conſiderat. Singularem ſibi eſſormat intentionem ſuæ conceptionis, ſi vero tamquàm omnino abſtractas à materia, & conditionibus, illas agnoſcit, quod ſui ipſius proprium eſt opus, vniuerſalem. Quamuis enim prima intentio ab intellectu percepta; nudam repræſentet naturam rei exiſtentis extra animam, ſeparatam, & diſtinctam ab alijs, cum quibus erat extra animam coniuncta, vt puta, conceptus animalis, ſubſtãtiam ſenſibilem ſeorſum à rationali, vel irrationali, ab Hinnibili, vel rudibili, à bi pede, vel quadrupede, & ab alijs, cum quibus extra animam reperitur, quod proprie eſt abſtrahere: tamen ille conceptus ita indifferens, & in ſeipſo conſideratus adhuc non dicitur vniuerſalis, niſi intellectus illum conſideret, tamquàm vnum, & totum in ſeipſo, atque vnum, & totum in ſingulis animalibus; quod proprie, & formaliter, vt recentiores loquuntur, eſt vniuerſale, tamquàm ſecunda intentio, de quo *Ariſtot.* dixerat *1. de Anima tex. 8.* aut nihil eſt aut poſterius eſt, ſcilicet fabrefactum ab intellectu; quamuis vero hic conceptus: rei exiſtenti extra animam non reſpondeat, omnis enim res extra animam exiſtens, eſt ſingularis, tamen non propterea eſt chimericus, aut falſus, cum rerum naturæ, & quiditates, in ſeipſis conſiderate, ita indifferentes ſint, vt ſi ſunt in vno, nihil repugnet; veluti ſunt in illo vno, ita eſſe in alijs multis, quemadmodum de natura ſolis compertum eſt, qui ſi eſſet multiplex, eamdem in omnibus naturam haberet. & ſi ſunt in multis, nihil repugniet, poſſe ſeruari in vno tantum, cum ad realitatem vniuerſalis, ſufficiat aptitudo tantum, non autem neceſſario requiratur actus. Quare veluti natura ſpeciei in vno poteſt ſeruari indiuiduo, ita, & natura generis, ſi enim nullum aliud eſſet aſtrum præter ſolem, in eo non ſolum ſeruaretur natura ſpeciei, vt nunc, verum etiam natura generis, nempe Aſtri, quam participant multa aſtra, non ſolum numero; ſed etiam ſpecie differentia. His declaratis, circa quæ paulo longius fortaſſe digreſſi ſumus: Facile erit aſſumptam ſequelam probare. Intellectus omnia intelligit entia, tum realia, tum intentionalia, ergo eſt immixtus, & immortalis. Quamuis enim etiam animalia bruta, non ſolum percipiant omnia realia, & intentionales ipſorum ſpecies, ſentiendi potentia, verum etiam, & alias intentiones rerum, magis ſpirituales, vt ouis inimicitiam lupi, & om-

Digitized by Google

nia animalia reliqua, paternum erga filios affectum, & alia exerceant quam plura, quæ superiorem sensibus, & imaginatiua; ac longe magis spiritualem arguunt facultatem, tamen nullum ex ipsis, intentiones vniuersales percipere potest; neque primas, neque minus secundas, cum enim hæc omnia cognoscant, & moliantur extimatiua, ab Arabibus, & Latinis dicta facultate, quæ imaginatiuæ gradus est, & virtus organica, nempe in cerebro collocata. non possunt percipere intentiones vniuersales, quæ non solum sunt abstracte à materia, & obiecto, vt phantasmata, & intentiones imaginabiles, verum etiam à conditionibus materiæ, quod est esse omnino spirituale. huius autem operationis omnino abstractæ, nullum penitus in brutis vestigium appareret, quin immo vixi in paucis hominibus elucet: non secundum actum primum ita enim, & per essentiam omnibus hominibus inesse certum est; sed penes actum secundum, cum percipere vniuersalia ad intellectum pertineat speculatiuum; qui non nisi contemplantibus inest, & scientiarum habitibus imbutis. Quod si aliquis dicat, vt mihi aliquando vir apprime doctus, & Mathematicæ peritissimus dicebat, in apibus admirabilem Geometriæ peritiam apparere, quia tam affabre, & tam exacte octogonam figuram in suis construendis cellulis describunt; vt numquam neque Archimedes Siracusanus, neque Pappus Alexandrinus, neque alius vllus eius disciplinæ peritissimus; artificiosæ magis, illam potuerit, vel poterit delineare. Huic respondebimus, non fieri hæc ab his animalibus, quemadmodum neque nidificatio ab hirundine, & cæteris auibus, & frumenti aceruatio, vel conseruatio à formicis, cognitione, & habitu, quemadmodum ab hominibus; sed solo naturæ instinctu, qui toti speciei, ab vniuersali causa est attributus, vt supra etiam ex Aristotele dicebamus. Cuius rei certissimum est argumentum, quia omnia illius speciei indiuidua, sic operantur, & semper ita operantur; nec aliter, etiam nullo prius monstrante, aut docente. Nec minus etiam respondere poterimus, ex ijs, quæ diximus, si aliquis admiranda afferat quæ, & scripta leguntur, & vsu obsetuantur de brutis animalibus, quorum plura, recensuit Plutarchus in libello, in quo disputat vtrum animalia aquatica, vel terrestria, sint callidiora, qui inscribitur de solertia animalium, inter quæ recenset de coruis in Africa, eos consuesse rostro apprehensos lapillos in aquas conijcere, quousque impleto cauo, eleuent aquas, ita vt, rostro attingere liceat. Quod non satis verisimile est, cum aqua grauitans non ascendat. Probabilius illud videtur, quod se spectasse, testatur, canem in naui, eo vsque iniecijsse in amphoram, oleo non satis plenam lapil-

los,

Digitized by Google

los, quo illud ſupernatans, nautis abſentibus, commode poſſet lambere. Elephantum quoque, Romæ obſeruatum fuiſſe, qui noctu ad lumen Lunæ, ſe exerceret; vt choreas duceret, ne ab eo, qui illum inſtruebat caſtigaretur, cum ante ſæpius ab eodem, tamquam minus docilis increpitus fuiſſet. Ita & ſcytas vulpiū ſolertia vti, in tentandis fluuijs congelatis, an tutus ſuper illis, ſit tranſitus; vulpes enim dimittere conſueruūt, quæ ad mota aure, ſi ſubterlabentē glaciei aquā, vicinā ſentiunt non vltra progreſſe, reuertuntur. Quam plurima etiam aquatilium affert exempla, quorum vnum tantum, polipi, afferam; marini animalis, & notiſſimi, qui locis prope conchas aſſiſtens; eas, tam diu obſeruat, quamdiu aperiantur, apertis autem, ſtatim lapillum, ad hoc ante paratum inijcit, ita vt amplius claudi non poſſint, ipſis autem ſic de hiſcentibus, carnem extrahit, & comedit. His inquam omnibus, & alijs ſimilibus, ſi vera tamen, ipſa exiſtimare velimus, nec Græco homini, fidem abrogare, pariter reſpondebimus. Omnia hæc quæ narrata ſunt, & alia etiam, quæ à ſimijs, & cecropitecis, veluti figura, ita & cognitione, inter bruta, maxime homini proximis, fieri videmus: ſola fieri imaginatiua. ſiue ſuprema ipſius imaginatiuæ facultatæ, quæ extimatiua, non ſolum ab Arabibus, verum etiam à Latinis, Alberto Magno, & S. Thoma dicitur: hac enim cognoſcunt, non ſolum quæ ſenſu percipiunt, verum etiam, multa alia, & intentiones decem Prædicamentorum, eaque, ſimul componunt, & diuidunt, concurrentibus ſimul omnibus imaginatiuæ facultatibus, ſcilicet apprehenſiua, quam proprie imaginatiuam dicunt, memoratiua, & extimatiua, quàm ipſi appellant etiam, cogitatiuam, vt fuſe docuit Auerroes in Paraphraſi, libelli de memoria, & reminiſcentia. Tamen, non propterea concedendum eſt, hæc ab illis fieri per diſcurſum. Diſcurrere enim, quod proprium eſt homini, eſt ponere cognitionem vniuerſalem, & ſub ipſa particularem, & ex ambabus concluſionem deducere, cum vero ſolus homo cognoſcat vniuerſale, vt ſupra etiam diximus, ſolus homo diſcurret, quemadmodum, & ſolus homo reminiſcitur, cum reminiſcentia, non ſine diſcurſu ſit. Patet autem, hæc omnia, quæ in brutis admiramur, non excedere vires imaginatiuæ, & ex his, nullo pacto argui participationem intellectus, qualis eſt in homine. nam quam plures homines, hæc quæ admiramur in brutis, & etiam maiora, quotidie exercent, ſola imaginatiua facultate, nequaquam concurrente intellectu ſpeculatiuo, neque etiam practico. Pauciſſimi etenim ſunt, qui intellectu ſpeculatiuo vtuntur, vt puta, illi tantum, qui ſcientijs vacant & contemplationi. Pauci etiam ſunt ex hominibus, qui practico, non

enim

enim, omnibus hominibus, ineſt intellectus, ſecundum prudentiam appellatus, dicebat *Philoſophus 1. de anima par. 24.* Quam plurimi vero ex hominibus, imaginatiua viuunt; quinimmo, quam plures ſunt, qui tantum ſenſibus, particularibus, ſcilicet, & communi, imaginatiua vero, vix infima vtuntur, neque extimatiuam vnquam, ad exercitium deducentes; cuiuſmodi ſunt, ſtolidi homines, & bardi, qui ventri dediti; ac voluptatibus, vitam pecudum degunt. Diuinam, quam in ſe habent animæ partem, ac ſi ipſa carerent, penitus negligentes. Patet igitur conſequentia. Intellectus humanus intelligit omnia entia, tam realia, quàm intentionalia; ergo eſt immixtus, & immortalis. Cum reliquæ facultates animæ, quæ ſunt corpori mixtæ, & mortales, quamuis percipiant entia realia, & ipſorum intentiones, tamen non percipiant omnia entia intentionalia, vt patet in brutis, quæ carent notitia vniuerſalium, & ſingulares, tantum, cognoſcunt rerum intentiones. hoc autem propterea fieri neceſſe eſt, quia brutorum anima cum ſit educta de gremio, & potentia materiæ, ac certas ſequatur ſubiecti conditiones, neceſſario, tum ipſa, tum omnes eius facultates, cum ſubiecto operantur: & ita, ſingulariter, & quamuis, inter talis animæ gradus, ac facultates, aliquæ ſint magis nobiles, quales ſunt cognoſcentes, quæ à materia abſtrahunt, & obiectum ſpiritualiter percipiunt, tamen, quia actus, & perfectio certi, ac determinati ſubiecti ſunt; nec, ſine ipſo operari poſſunt, & ſi, abſque materia, tamen non ſine conditionibus materiæ, hoc eſt, ſingulariter, percipiant neceſſe eſt.

Ergo ex oppoſita operatione, quia intellectus vniuerſalia intelligit, nempe intentiones rerum, non ſolum abſtractas à materia; ſed etiam à conditionibus materiæ, puta, naturam hominis, non ſolum abſtractam à carnibus, & oſſibus, in quibus materialiter, ineſt, vt ita dicam; ſed etiam à Socrate, & ab hoc, vel illo homine. Ipſum pariter, omnino abſtractum à materia, & immixtum, arguere neceſſe eſt. Et hoc ex perceptione Entis intentionalis, primæ intentionis, deducitur argumentum. At longe maius, aut ſaltem magis euidens, ex cognitione, nec modo cognitione; ſed etiam opificio, deſumitur ſecundarum intentionum, cum ſecundæ intentiones, non ſenſus, aut intellectus opere eſſe ſpirituale recipiant, quod ante in rebus habebant materiale, vt primæ intentiones; ſed eſſe ſimpliciter, à ſolo intellectu habeant, quod nullum antea, extra intellectum illis fuerat.

Tales ſunt, rationes, ſiue, vt alij dicunt, formalitates numeri, de quibus conſiderat Aritmetica, quas, nullum ex animalibus cognoſcit, niſi homo. Quamuis enim realitatem, vt aiunt, numeri, hoc eſt diſcretam

quan-

quantitatem, vt commune ſenſibile, etiam bruta cognoſcant animalia, tamen numerum ipſum, ſiue idealem eius rationem, ſolus percipit homo. quod optime expreſſit. Plato Cleoni interroganti, cur homini potius, quam cæteris animalibus ſit credendum? reſpondens, quia ſolus inter omnia animalia numerare nouit, vt *Ariſtot. refert 30. particula problematum problemata 6*. quaſi hoc ſapientiam, ac diuinam præ cæteris, hominis conditionem argueret. ob quam, illi fides ſit adhibenda, & iure quidem merito: quandoquidem rationes numerorum quæ maxime abſtractæ ſunt, non ſolum à magnitudine, ſed etiam à ſitu, non niſi facultate abſtracta, & immaterrali cognoſci poſſunt; ac propterea, ſapiens Pytagoras, initia rerum omnium, à numeris deducebat, ſignificans, immateriales omnino illas, & puriſſimas ſubſtantias, omnium primas, quarum principium eſt vnitas, hoc eſt. Deus ipſe, poſt quem, reliqua omnia; veluti recedunt ab vnitate, ita ab optimo, & perfectiſſimo; ſed hæc, obiter. tales ſunt, conceptus rerum vniuerſales, vniuerſaliter Dicti, vt genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens, talia ſunt, inſtrumenta, quæ ſibi, ſcientes, ex habitu ſcientiarum efformarunt, vt promptius magis, ædiſſerant, & certius, definitiones ſcilicet, entimemata, ſillogiſmi, & reliqua argumenta. tales ſunt etiam, vocati termini, nomen, verbum, participium, nec modo ſimplices; ſed etiam complexi, vt oratio, & definitio, quæ veluti ſibi efformauit homo ad propriæ operationis, nempe ratiocinij vſum, ita etiam ſolus percipit.

Validum igitur eſt, quod initio aſſumptum eſt argumentum. Intellectus humanus intelligit omnia, tum entia actu, tum poteſtate, tum entia realia, tum intentionalia; tum primæ intentionis, tum ſecundæ intentionis, ergo eſt immixtus, & immortalis, quandoquidem ſolus homo, hæc omnia intelligit. Reliqua vero animalia, quæ animam habent corpori mixtam, & ex materiæ potentia eductam, neque entia poteſtate, neque vniuerſales intentiones, neque ſecundas percipiunt, aut percipere valent; ſed iam prolixior, quam decreueram huius capitis factus eſt ſermo, nunc ad alia eſt properandum.

Depre-

Depromuntur alia rationes, ex eodem pariter argumento. Cap. XI.

MERGVNT alia ex eodem fonte, argumenta, & rationes, si eam quam præmisimus entis diuisionem, siue eiusdem ab intellectu humano perceptionem, membratim considerem⁹, & prosequamur. Cum enim Ens reale diuidatur in substantiam, & accidens, & iterum, in esse essentiæ, & esse existentiæ, & substantia, alia sit materia, vel concernens materiam, alia vero sit immaterialis, vel separabilis à materia, & hæc, aut re, simul & ratione, aut ratione tantum, sed non re. Intellectus vero humanus, hæc omnia intelligat, necessario inde deducetur, eumdem esse immixtum, & immortalem. Quod vero intellectus, substantias cognoscat, & accidentia, facile constat; de substantijs enim, nulli dubium est, intellectum solum, illas per se cognoscere, quamuis enim etiam sensus cognoscat substantiam, vt hoc album, tamen per se, ac primo cognoscit accidens, nempe albedinem, & huius ratione cognoscit eidem substratam substantiam, at vero substantiam, per se, & seorsum ab accidente, solus cognoscit intellectus, quomodo autem cognoscat accidentia, non immorabor diutius declarare, parum enim ad rem propriam pertinet, cum bruta etiam perfectius, quam nos, cognoscant accidentia, ope sensus, sed obiter dicamus hoc apparere, ex eo quia potentia superior, & subalternans, siue continens; cognoscit ea omnia, quæ cognoscit potentia inferior subalternata, siue contenta, & aliud amplius; sed intellectus est potentia superior, & subalternans, sensus autem est potentia inferior, & subalternata, ergo intellectus cognoscit omnia, quæ cognoscit sensus, & aliquid aliud. Intellectus igitur cognoscit accidentia, quæ cognoscit sensus, copulatus scilicet, sensui, & cum sensu, vt *Aristot.* dixit *3. de Anima part. 10.* inquiens

Sensitiuo igitur calidum & frigidum iudicat.

& cognoscit substantias, absolute sumptus, & quatenus intellectus. His suppositis, ita arguo. Intellectus cognoscit substantias, seorsum ab accidentibus, ergo est immixtus corpori, ergo separabilis, & immortalis. probatur sequela prior, hoc syllogismo. Nulla forma quæ est mixta corpori, potest cognoscere substantias, sine accidentibus.

Omnis

Digitized by Google

Omnis intellectus humanus, poteſt cognoſcere ſubſtantias ſine accidentibus.

Ergo nullus intellectus humanus, eſt forma mixta corpori.

Minor propoſitio ex dictis eſt, euidens; proprium enim eſt, intellectus, cognoſcere ſubſtantiam ſine accidentibus, quin immo, hoc eſt abſtrahere, cognoſcere vnum ſine alio, quamuis, re ipſa, ſint ſimul iuncta, quod pertinet ad intellectum.

Maior autem propoſitio, probatur, tum ratione, tum etiam experimento. Ratione, quia omnis forma, ſiue facultas cognoſcens, quæ ſit mixta corpori, aut eſt ſenſus, aut imaginatiua; extimatiua enim, ſiue cogitatiua, quam ſtatuunt Arabes, ad imaginatiuam reducitur, quare *Philoſophus 2. de Anima*, nullam aliam ſtatuit in brutis cognoſcendi potentiam, niſi ſenſitiuam, & imaginatiuam; ſed nulla ſenſitiua; neque imaginatiua potentia, poteſt cognoſcere ſubſtantiam ſine accidentibus. Ergo, De ſenſitiua potentia, quod non poſſit percipere ſubſtantias, ſine accidentibus, iam ſæpius probatum eſt, & patet, quia obiectum ſenſus, tum commune, tum proprium, eſt accidens. de imaginatiua etiam non minus conſtat, cum imaginari nihil aliud ſit, quàm motus à ſenſu, ſecundum actum facto. Senſus autem ſecundum actum fit à ſenſibilibus, quæ accidentia ſunt; ergo & imaginatio ab accidentibus fit, & circa accidentia eſt, nec ſolum infimus eius gradus; ſed ſupremus, qui extimatiua dicitur, cum omnino ipſi à ſenſibus idola ſuppeditentur. Hoc etiam, experimento compertum eſt. Nullum enim ex animalibus brutis, quamuis ſagaciſſimum ſit, ſubſtantiam aliquam percipit; neque etiam ſingularem & indiuiduam, niſi ſimul cum accidentibus, neque enim canis venaticus feram percipit ſine odore, neque domeſticus, dominum, ſine indiuiduantibus accidentibus, non ſolum odore, ſed etiam figura, voce & alijs antea ſibi notiſſimis, neque ouis Hoſtilitatem Lupi, ſine eius figura, pilo, graueolentia; ob tutu, aut etiam effluxu aliquo ex Lupi oculis, vel etiam toto corpore, qui ſibi à tota, vt dicunt ſubſtantia aduerſatur, ita vt, de mortui Lupi pellis, oues in caulis manentes terreat, vel etiam, ſi credere dignum eſt; aliam approximatam ouis pellem corrumpat. Nulla igitur forma, ſiue facultas mixta corpori, ſiue ſit ſenſitiua, ſiue imaginatiua, ſiue etiam extimatiua; ſubſtantiam percipere poteſt, ſine accidentibus, quin immo neque vnum aliquod ex accidentibus, quæ ſimul ſunt, ſeorſum ab alio, & quamuis dicat *Auerroes* loco ſæpius à nobis citato *3. de Anima, comment 6.* poſſe bruta, extimatiua cognoſcere decem Prædicamentorum intentiones, tamen, non inde ſequitur, poſſe ipſas ſeorſum,

& ſe-

& ſeparatim cognoſcere; hoc enim eſſet abſtrahere, vt ſupra dictum eſt; ſed coniunctim. Valida igitur eſt conſequentia. Intellectus intelligit ſubſtantias per ſe, hoc eſt ſine accidentibus; ergo eſt immixtus corpori, quandoquidem, nulla facultas, quæ ſit mixta corpori, poteſt ipſas hoc modo percipere. Si autem, ex hoc, quod ſubſtantias ita cognoſcit deducitur ipſum non eſſe mixtum; ſed ſeparabilem, hoc magis ex eo deducetur, quod cognoſcit eſſe eſſentiæ; non ſolum eſſe exiſtentiæ, tam ſubſtantiarum, quàm accidentium; ſi enim eſſe eſſentiæ, eſt eſſe ſine materia, ipſum ſenſus cognoſcere non poteſt, qui non niſi ſingularia iudicat; at vero intellectus, & ſenſui coniunctus iudicat eſſe exiſtentiæ, vt puta calidum & frigidum, & quorum ratio eſt ipſa caro, & ſine ſenſu iudicat eſſe carni, hoc eſt eſſe eſſentiæ, atque ita, pariter eſſe rectum, & recto eſſe; quod ſi forma quæ eſt mixta materiæ, non poteſt percipere, niſi cum materia, aut ſaltem cum conditionibus materiæ; ergo forma, ſiue facultas, quæ percipit ſine materia, & ſine conditionibus materiæ, cuiuſmodi eſt eſſe eſſentiæ; ſiue in ſe ipſo cõſideratum, & non in materia, eſt immixta & ſeparabilis à materia. Et quia ſubſtantiarum, aliàs diximus eſſe materiales, aliàs vero immateriales, & ex immaterialibus, aliàs quidē ſeparabiles, aliàs vero omnino ſeparatas Propterea conſiderandum eſt, quomodo intellectus, etiam ipſas intelligat. Nulli dubium, quod ſi intellectus intelligit ſubſtantias penitus ſeparatas, aduerſarij dabunt manus, etenim ipſe quoque intellectus humanus, erit ſeparabilis, & aliquando ſeparatus. Sed hoc opus, hic labor eſt, ſi enim nihil eſt in intellectu, quod ante non fuerit in ſenſu, illas certe intellectus percipere non poterit, cum neque ſenſu aliquo perceptæ fuerint. Ariſtoteles profectò ipſarũ notitiam non negauit hominibus; ſed ſatis exilem, obſcuram, & breuiſſimam, ad illas enim ſe habere intellectum noſtrum; tamquàm oculum nicticoracis ad lumen ſolis dixerat 2. *Metaphyſicorum capit. 1.* & vitam talem, in Deo ſemper eſſe, qualis in nobis aliquando eſt; contemplatiuam ſignificans: 12. *Metaphyſico. part. 39.* ac paruam, & vix leuiter perceptibilem Diuinorum notitiam dixerat 1. *de partibus cap. 5.* & quamuis hoc vltimo loco, cœleſtia corpora ſignificare voluerit, ipſorum aliquas differentias, & ſi paucas, ſenſibus perceptibiles dicens: tamen, non ſine intelligentijs ipſa conſiderat, propterea enim diuina appellauit, quia ab intelligentijs continentur. Sed omiſſa Ariſtot. authoritate, ſi diligenter conſideremus. Intellectus noſter etiam ſubſtantias ſeparatas cognoſcere poteſt, & quamuis illas non cognoſcat, abſolutæ, & poſitiuæ, vt ita dicam, cum nihil ipſarum, ſenſibus innoteſcat, tamen ipſas comparatiue

paratiue cognoſcit,ad ſubſtantias materiales, & negatiue, remouendo ſcilicet, ab ipſis, & negando, omnes imperfectiones, quæ in ſubſtantijs materialibus reperiuntur; etſi neque penitus, & omnino negatiua ſit, quam accipimus de illis notitia, cum ex perpetua ipſarum operatione,motus ſcilicet, & vniuerſi perennatione, ipſarum immortalitatem, & ſeparationem à materia, cognoſcamus. Ita, & bonitatem, & omnipotentiam, in Deo Optimo Maximo, ex eius veſtigijs, quæ in vniuerſo apparent. Quod ſi exactam, atque perfectam ipſarum notitiam intellectus noſter non habet, hoc non prohibet, quin ipſam aliqualiter, & aliquando, poſſit habere; ignoratio etenim ipſarum,non arguit in intellectu priuationem, quæ aufert potentiam,vt eſt cœcitas; ſed ſimplicem tantum negationem, quemadmodum ſapienter *Ariſtot.* noſter docuit *9. Metaphyſicorum particula vltima*. Intellectus igitur noſter & cognoſcit aliquo pacto ſubſtantias ſeparatas, dum eſt in hac vita,& illas etiam perfectius cognoſcere poteſt, & aliquando cognoſcet,cum ſeparatus extiterit, aduerſarijs, quamuis fruſtra, & perperam reclamantibus. Quod ſi,ſubſtantias cognoſcit ſeparatas; tanto magis ſeparabiles, quæ ſua opera ſeparantur,quales ſunt,Mathematicæ formæ, quarum eſſe, vt Ariſtotelis verbis vtar, in abſtractione eſt. Conſtat igitur, & ni fallor,abunde probatum eſt, ex inductione facta, in omnibus, & ſingulis ſpeciebus Entis,quarum nulla effugit aciem intellectus Ipſum eſſe immortalem, & immixtum, vt bene Ariſtoteles deducebat laudans ſententiam Anaxagore, velut enim Anaxagoras, primam mentem omnium opificem, oportere eſſe immixtam,dixerat, vt omnibus;imperaret, ita & intellectum noſtrum, vt omnia intelligat, immixtum eſſe neceſſe eſt, Sed iam,ad aliud argumentum deuenire tempeſtiuum eſt. quo dicebamus,intellectum tales ſibi habitus comparare poſſe, vt non ſolum omnia intelligere, verum etiam agere, & efficere valeat, & de habitu quidem,quo omnia intelligit, & etiam diuina; ac ſeparata attingit, qui ad intellectum ſpeculatiuum pertinet; quemq; homini ineſſe, quatenus Diuinum aliquid participat *Ariſt.* cenſuit; *11. Ethicorum cap. 7*. Satis ſuperq; dictum fuit. De intellectu igitur practico, & ipſius habitibus dicendum erit, ex quibus non minus valida argumenta, quam ex prioribus deducuntur. Ac primo,Intellectum practicum conſiderabimus, qui actiuus eſt, & in conſultatione verſatur. Cuius operationes, ſi diligenter, & ſincera acie conſiderabimus validiſſima nobis, & ſufficientiſſima ſuppetent argumenta, ex duplici loco. quorum primus,erit iudicium. ſiue diſcernendi facultas,alter vero,deliberatio, ſiue impetus ad agendum. Vt vero vtriuſq; huius principij

cipij vis, & natura, vti eſt etiam innoteſcat, ſupponere oportet; motuũ alios eſſe neceſſarios, alios vero ſpontaneos; Neceſſarij illi ſunt, qui à mouente inchoati, ſuam continuitatem non deſerunt, quouſque mobile, ſuum terminum, & perfectionem adeptum fuerit, dum tamen ab extrinſecus prohibente, motus non interrumpatur, & ceſſet.

Tales ſunt motus, tum naturales, tum etiam violenti. Naturales quidem, qui à principio coniuncto ſunt, tum actiuo, tum etiam paſſiuo, quod eſt idem re. ac propterea non niſi adepto termino quieſcunt, niſi impediantur. Violenti vero, qui à principio non coniuncto, quamuis inherente, actu, aut virtute, ac propterea ipſo ceſſante deficiunt. Sunt autem, hi motus neceſſarij, quia à principio ſunt; quòd limitatam habet facultatem, aut propter certam materiam in qua eſt, ita vt aliter mouere non poſſit, vt eſt in naturalibus; lapis enim non poteſt moueri natura, niſi ad centrum, quia eius forma in tali materia, talem ſortita eſt facultatem, aut propter certam virtutis applicationem ad mobile; quà mobile ad certum terminum dirigitur, vt in ijs, quæ violentia mouentur. Spontanei autem motus, ſunt illi, qui veluti ad libitum à mouente inchoantur, ita etiam ceſſant. à principio enim fiunt, quod aſſenſum præſtat impellenti: ſed aſſenſum non coactum, & in hoc differt ſpontaneum à violento. Sunt vero ſpontanei motus, in animalibus, in his enim principium eſt cognoſcendi particularia, circa quæ verſantur. Hoc autem ſpontaneum eſt, vt *Ariſt. 3. Ethicorum* definiuit; *cuius principium eſt in eo, qui agit, particularia cognoſcente, in quibus actio cõſiſtit.* In hoc autẽ ſpõtanei natura eſt, quia à principio eſt cognoſcente, ac propterea aſſenſum habet, & eum quidem non coactum, quamuis enim, motus inchoetur primum, ab obiecto quod tamquàm cognitum mouet appetitum, appetitus vero aſſenſum præſtet, tamen appetitus ille non eſt extortus, ſed ſponte, & cum quadam elicitus complacentia. Appellant Græci ſpontaneum ἑκούσιον. quod nequaquam idem eſt, cum voluntario, ſiue, vt peripateci loquuntur cum eo quod eſt in nobis τὸ ἐφ' ἡμῖν ab Alexandro ſæpius dicitur, libello de Fato, latius enim patet ſpontaneum, quam quod eſt in nobis προαίρεσιν *Ariſtot.* appellat *3. Ethicorum*, hoc eſt præelectionem. Omnis enim electio ſpontaneum quodam eſt; ſed non è conuerſo, quare, neque brutis, neque pueris, neque ijs, qui repente agunt; ineſt electio. quamuis in ipſis ſit ſpontaneum: cum conſultatione namq; electio eſt, & omne eligibile conſultabile: omnis igitur electio cum ratione eſt, & rationem ſequitur, cum electio nihil aliud ſit, niſi propoſitum cum ratione, & cogitatione, vt nomen ipſum ſignificat, dicitur enim

electio

Digitized by Google

electio, quasi ex alijs, & præ alijs lectio. Vbi igitur, non est consultatio, non est electio; consultatio autem est, inquisitio, cum ratiocinio, & cogitatione, post quàm, sequitur iudicium, facto autem iudicio, statim sequitur propositum, & electio, quæ nihil aliud est, quàm *Consultatiua appetitio, eorum, quæ in nobis sunt*, vt Aristoteli placuit *3. Ethicorum, cap. 5.* Hoc autem ordine, fit electio. Primum quidem, sensibilia, aut phantasmata, quæ, sensibilium locum obtinent, sensum mouent; aut rationem, cum sensu, operantem, siue ad particularia descendentem, dum autem mouent, & tanquàm cognita, afficiunt, appetitum excitant, pro sui natura, præsentia quidem, sub ratione præsentis boni, aut veri, aut apparentis. hoc est, aut ita iudicati, vt à potentia cognoscente, apprehenditur, vt, cum febriens frigide aquæ, potum, tamquàm bonum apprehendit, quia sensui, ita videtur, cui frigidum, & humidum, est iucundum; Aut, non ita simpliciter iudicati, vt à potentia cognoscente, apprehenditur; sed, secundum quid, vt, in, incontinente, in quo, iudicium, non est corruptum, non enim, iudicat simpliciter bonum, & prosequendum, quod prosequitur; sed, pro præsenti tempore, vt, in potenti, sensus, cupiditati, satis faciat, cui melius, siue minus malum, iudicat. obsequi, quam importunam eius turgentiam, substinere. quod optime, expressit tragicus, dicens:

Video meliora, proboq́, deteriora sequor.

Hæc vero fiunt, si obiecta moueant sensum, semper enim sensus mouetur à præsenti obiecto. & tum, concupiscentia sequitur, siue non rectus appetitus.

Quod, si obiecta, rationem petant, quæ ipsa percipit, non solum, vt præsens bonum, aut malum, secum afferunt: verum etiam, vt futurum, sunt allatura, atque, ita ab ipsa cognita, illam moueant, tum, appetitus, sequitur rectus, qui, ad distinctionem concupiscentiæ, etiam voluntas appellatur. Vtrumque hunc motum, ab obiecto cognito, excitatum, in appetitu, tum, sensitiuo, tum etiam rationali: spontaneum Philosophi nominarunt, eo quod, in nostra potestate, non sunt; sed, in pulsu, obiecti cogniti, initium habent, & penes hos, non est laudatio, neque vituperatio. Hi sunt, primi motus, qui in nobis fiunt, & excitantur; quique, vt dici solet, non sunt, in potestate nostra, quibus ac quiescunt bruta, & ex hominibus, ij, qui rationis vsum, non habent, vt pueri, & qui temere, ac sine consultatione, agunt. At vero, qui ratione præditi sunt, & illam exercent, illis, non acquiescunt, neque ex illis, ad agendum, mouentur; sed primis compressis motibus, ad consultandum, insurgunt, & Quia, præcognitum obiectum, quod appeti-

tum mouet, non eadem ſpecie, mouet, neque ab eadem facultate cognoſcitur, quin immo à diuerſis, & ſe inuicem oppugnantibus. Sub alia enim ſpecie, obiecta, mouent ſenſum, & ſub alia rationem. Senſum etenim mouent, tamquàm præſentia, & delectabilia, ac iucunda. Rationem vero; futuri ſpecie boni, quamuis inſuauia, & etiam moleſta. Senſus etiam, iucundum ſequitur, quamuis, non vere, bonum. Ratio autem, bonum, quamuis non iucundum; propterea, rationem adhibent, & diſcurrendi vim, qua poſſint diſcernere, & iudicare, quid eligibile, quid non; hoc autem, conſultationem, Philoſophi dixerunt, in qua διάνοια, tamquàm, inter nuncius, vltro, citroque diſcurrens, tum ſenſuum cupiditates. Rationi explicat, tum etiam, rationis imperata, ſenſibus demandat, quouſque iudicium atque προαίρεσις, ſiue electio fiat, bona quidem, & recta, ſi ratioui, concupiſcentia obtemperauerit, vt æquum eſt; mala autem, ſi concupiſcentiæ, ratio ceſſerit, aut cum illa, male iudicans, ob aſſuetudinem, aut illi, tamquàm ſegnis, & oſcitans, elauum, & retinaecula, permittens. ad iudicium autem, ſtatim ſequitur electio, ſiue deliberatio, quæ nihil aliud eſt, quam propoſitum cum ratione, & cogitatione. huic vero, immediate annectitur, voluntas, quæ ſtatim fertur, in id, quod à deliberatione præ acceptum fuit, ita vt iure merito, electio, prout complectitur, & pro ereſim, ſiue diſcernendi, & ſe legendi facultatem, ac iudicium, necnon etiam, impetum, ſeu voluntatem, quæ ad deliberationem ſequitur, ab Ariſtotele definita fuerit 3. *de moribus, cap. 3. Eorum, quæ in nobis, ſunt, conſultatiua appetitio.*

Ex his vero omnibus, tria, potiſſimum colliguntur. Vnum eſt, primos motus, ſiue impulſus, qui ſunt ab obiecto præcognito, nihil oſtendere ſupra corpus, vel, vt melius dicam; materialem formam, in his enim, ita mouetur, potentia appetens, ad obiectum, proſequendum, quemadmodum ante, fuerat, cognoſcens, ab eodem affecta, qua propter, & ſi, ſpontanei ſunt, non tamen dicuntur voluntarij, ſeu liberi. Alterum vero eſt, ſecundum, vt ita dicam, operationem, quæ in voluntario cernitur; neque compeſcere primos motus, neque ab ipſis ſtatim, ad agendum impelli; ſed inquirere, & conſultare ad decernendum. Arguere vim, ac facultatem ſuperiorem, corpori, ab ipſo immixtam, & ſeparabilem. Tertium vero, & vltimum, poſt conſultationem, & diſceptationem, inter duos appetitus, inuicem pugnantes, & altercantes, ferre iudicium, atque deliberare, vnam ſibi partem proſequendam; alteram vero fugiendam, cum ante, ſibi liberum fuerit alterutram proſequi, aut vitare; Maxime ſuperiorem, corpori, & ab

eius

eius commistione, immunem, facultatem, significare. Primum quidem, certum est, neque longa indiget probatione, cum enim appetitus, facultari cognoscenti, ac proponenti, non reluctetur. Facultas autem cognoscens, organica sit, & certas, partis dispositiones, sequatur, necessario etiam fit, vt appetitus, à dispositionibus, & conditionibus corporis, non absoluatur, ex quo est, vt brutorum, nec modo brutorum; sed etiam hominum quorundam, qui Rationi non obtemperant, Mores, & actiones corporis, temperaturam sequantur.

At vero, vbi ijs resistitur motibus, qui primo impulsu, ab obiectis fiunt, nec statim illis obtemperatur; sed ad consultationem actio reuocatur, & in iudicium trahitur, tunc, certum indicium est, aliquam super esse facultatem, quæ sui iuris sit, neque mixta corpori, eius cupiditatibus trahatur, neque præoccupantibus, sensus, & corporis, passionibus, ab iudicio, impediatur; veluti enim potentiam cognoscentem, necesse est, esse immixtam ab omni obiecto, quod cognoscere debet. Ita, quinimmo, & magis; iudicantem, ne, sit deceptio, intus enim apparens, vt Anaxagoras dicebat: prohibet, & obstruit. Ex hoc vero, alterum, est, manifestum.

Decernere vero, ac deliberare, inter duos appetitus, sibi inuicem repugnantes; post disceptationem, & consultationem, quod, tertium atque vltimum est, in electione: omnino, absolutam à corpore, quinimmo, & ipsi dominantem facultatem, ostendere, eo potissimum argumento, probatur, quo vsus est Plato, in Phedone, aduersus Simmiã, & Cebbetem. Nempe, si animus esset Armonia, vel temperatura, corporearum qualitatum, aut quid, ad ipsa consequens, qualis profecto necessario foret, si esset mortalis, esset enim eductus, de potentia materiæ, quod nihil aliud est, quam sequi ad dispositiones, & qualitates materiæ. Tunc, duceretur ab ijs passionibus corporis, ad quas sequeretur; non autem ipsis resisteret, vel etiam, ipsas duceret, nemo enim dicet, Armoniam, alium sonum referre, ab ea moderatione, quæ in fidibus est, nec minus, Armoniam, moderare intentionem, & remissionem fidium; sed potius ab ipsa moderari, & consequi ad intentionem, & remissionem ipsarum. Quare, animus reluctari non posset, ijs cupiditatibus, quæ à corpore sunt, & dispositiones corporis consequuntur, quales sunt: appetitus sensus, & ij potissimum, circa quos, est incontinentia, Venereorum scilicet, ac cibi, & potus concupiscentia. At vero, contrarium experimur; possumus enim, cum libet, non solum à sensuum cupiditatibus, quamuis accerrimis, & importunis; non duci, & ipsis resistere, ac obluctari; verum etiam illas vincere, ac su-

perare, vt patet, in continentibus, & temperantibus. Et quamuis, vt Ecclesia Catholica docet, in Concilio Tridentino, Sessione quinta, de peccato Originali. Primus Homo, per transgressionem, mandati Dei; in Paradiso, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amiserit; atque incurrerit, per offensam præuaricationis huiusmodi, iram, & indignationem Dei; atque ideo, mortem, quam ante illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captiuitatem, sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli. Et totus Adam, per illam præuaricationis offensam: secundum corpus, & animam, in deterius commutatus fuerit. Tamen, non propterea liberum hominis arbitrium extinctum fuit, viribus licet, attenuatum, & inclinatum. vt sancte idem Concilium decreuit, Sessione sexta, de Iustificatione, cap. 1. Itaut, quamuis in Baptizatis, relinquatur concupiscentia, vel fomes peccati, ad pugnam, & agonem; tamen illis non consentientibus; sed viriliter, per Christi gratiam repugnantibus, non posse nocere, quin legitime certantes coronentur. Eadem sancta Synodus decreuerit, Sessione quinta, de peccato Originali, Canone vltimo. Cum igitur, quæ in nobis est, rationalis animæ, vis, ijs, resistere possit cupiditatibus, quæ à sensu sunt, vel etiam concupiscibili, & illis ipsis imperare, vt eius demonstrat nomen, propterea enim ἡγεμονικὸν, siue princeps, aut imperans, est appellata. Necessario concludendum est, ipsam eãdem à corpore prorsus immixtam, & separabilem esse. Validius vero, eiusdem generis, argumentum desumitur, ex fortitudine, qua ob honestum etiam vitam ipsam, voluntarie deponimus, quod, maxime, insito, & connaturali nobis appetitui repugnat; cuius innumera, Sanctorum Martyrum, extant exempla, qui non solum lubenter; sed etiam gaudentes, ob Christi Domini, confessionem, vitam prodigerunt, & quamuis hoc, speciali Christi munere, & gratia, sint assecuti, tamen, etiam voluntarie præstiterunt, cum gratia, Naturæ, vim non afferat; sed illam perficiat, quod non solum Sacri Theologi, verum etiam, & cum Theologis, Philosophi, docent. Ita namque Aristoteles *1. Ethicorum cap. 10.* dixit; verisimile esse fælicitatem, hominibus, à Dijs exhiberi, fælicitatem autem, in actione secundum virtutem, consistere, antea, dixerat, & *7. Eudemiorum, cap. 13.* expresse docuit. A Deo esse in nobis, primum principium, vt velimus. Hæc autem sunt eius verba, non multo ante finem, eius capitis,

Quæret forsan quispiam, an fortuna, eius, ipsius causa sit, vt quid, & quando oporteret, concupiscatur, aut sic omnium erit, nam, & cognoscendi, consultandiq;, neque enim consultans, consultauit, & hoc consultauit; sed principium

Digitized by Google

etpium eſt quodam, neque cogitans cogitauit, id prius cogitare, atque in infinitum, eiuſmodi fiat progreſsio, neque igitur conſiderandi, iunctum principium, neque conſultandi conſilium. Quid igitur, aliud, niſi fortuna? quo circa à fortuna omnia proficiſcuntur, & quodam eſt principium, extra quod aliud nullum reperiatur, ipſa autem, quaritur, cuiuſmodi facultate inſtructa, efficere eiuſmodi queat, quod perinde eſt; ac ſi principium motus, in anima quid ſit, inquiratur. Patet autem, ſic eſſe, quemadmodum in vniuerſo eſt Deus, & viciſsim, cuncta in illo, mouentur enim omnia, ab inexiſtente in nobis numine, rationis autem, non ratio; ſed præſtantius quippiam eſt principium, quid autem ſcientia præſtantius eſt, niſi Deus? virtus enim organum intellectus eſt, quo circa veteres dixerunt: Foelices ex fortuna, qui irrationabiles, ad recte agendum impellerentur; nec velle ipſis confert. Principium enim habent, & intellectu, & voluntate præſtantius.

Et hæc pro eo argumento, quod ex operatione, Intellectus practici, circa agenda, & ex libera hominis voluntate, circa vitia, & virtutes, deſumi poteſt, ad immortalitatem animi aſtruendam: quæ ſatis erunt, ſi adhuc aliqua conſideremus circa regimen, quo homines inter ſe vitam degunt, ex quo pariter, non minimum deducitur argumentum; eius diuinitatis, quam homo participat, præ cæteris animantibus. Quamuis enim, & plura alia animalia, gregariam, ac ſocialem vitam ducant, vt Formicæ, Apes, Grues, & alia, quæ breuitatis cauſa, non numero, quibus, ad ſtuporem, vſque, inſita, videtur eſſe prudentia ad regimen, vt, apud eos videre eſt, qui animalium Hiſtoriam conſcripſerunt. Formicæ enim ſibi conſulunt, pro hyeme futura, aceruando fruges, & cuſpidem Granorum exedunt, ne pullulans ſub terra, ipſas alimento priuet. Et Apes, non ſolum Regem ſibi conſtituunt, quem Ducem, & Immunem ab operibus faciunt, verum etiam, publica ſibi munera partiuntur, itaut, aliæ colligendo melli, aliæ excerpendis ceris, aliæ fingendis cellulis, aliæ, excipiendis comportatis, aliæ condendis, ſint deſtinatæ. Et Grues, volantes, cuneum faciunt, vt aerem cito diuidant, & facilius, & priorum dorſo, ſubnixo collo, quod illis, cum valde oblongum ſit, ponderi eſt, & impedimento, longiſsima, & arduiſſima permeant aeris ſpatia: necnon, permutatis vicibus, feſſum Ducem, cuius colla priori, non innituntur, ſubſtituunt. Adhuc, & conſiſtentibus ipſis, ac dormientibus, Ducem; excubias agere, detecto capite, vt proſpiciat, reliquis, condito ſub alis capite dormientibus, teſtis eſt Ariſtot. *9. de Hiſtor. animal. cap. 9.* Tamen, hæc omnia, ex præſcripto, naturæ, agunt, & propterea, ſemper vno modo, quod inde fit, quia ſine cognitione, ac proinde, non ex ſe ipſis; ſed alterius

Digitized by Google

ductu, ac insito, vel impresso ab vniuersali mouente, agendi in ipsis principio, quod Latinæ instinctum dicimus. Operantur; sed ab hominibus, secus fit, non enim vno vtuntur in Politicis regimine; sed varij vario, & idem ab ijsdem mutatur sæpius, pro ingenio, aut vtilitate, aut etiam libito. Alij namque Regio dominatu, alij Optimatum, alij Populari, alij Paucorum, alij etiam Tirannico delectantur. Vnum præter hæc Addam, quod maxime proprium est homini, ita vt soli, & omni, & semper insit, quodque eius Ingenium, ac proinde animũ, maximè diuersum à Brutis; Diuinum scilicet, & Immortalem arguit. Numinis cultus, & veneratio. Nulla enim est, neque vnquam fuit gens, tam barbara, & efferata. Nullus vnquam homo, tam agrestis, & disciplinæ expers, qui sensum aliquem numinis, non habuerit. Illudque tamquam optimum, & præstantissimum non colat, & veneretur, nisi tamen stultus sit, & insipiens. Et solus Homo id nouit, quamuis Elephantum proboscide manus loco, sursum erecta Orientem Solem adorare. Plutarchus referat, solus etenim homo, & templa ædificare, & sacrificia offerre, & ritus, ac Ceremonias colere instituit. Et semper homini hoc inest, ab ineunte enim ætate, & manus, & oculos in cœlum tollere, tamquam ad numinis sedem, & ingruentibus periculis propitium numen inuocare, etiam nullo docente; sed sola natura duce consueuimus, & non solum vigilantibus religionis, respectus adest; sed etiam dormientibus, multis enim occurrunt in somno à Deo monita, & non solum volentes, vt sunt pij homines, qui sæpe, ac multum de Deo, ac Religione cogitant; sed etiam nolentes, vt sunt impij, qui omnem à se ipsis religionem abiecerunt, quin immo, & omnem eius recordationem auersati obliterarunt; numinis, atque religionis, testes fiunt; in somnis territi, ac diris agitati. Iusta Dei vltione, scelerum reposcente pœnas, vt inter cæteros, de Nerone scribitur, qui post innumeras cædes, parricidium, & fœdissima alia commissa crimina, in somnis terreri, ac furijs agitari cœpit, & quamuis hæc aliqui furori tribuant, ob atræbilis copiam, qua semper scatuit, tamen negari non potest, quin ex hoc non arguatur conscientiæ, quidam stimulus, & numinis quidam mætus, siue respectus, à natura homini insitus, qui in prauis hominibus, etsi sopitur, non tamen extinguitur. Sed iam de Intellectu practico, quatenus in agendis versatur, prolixior nostra fuit oratio. Nunc ad ea opera accedamus, quorum idem Intellectus faciendo, est principium. Sunt autem hæc artificialia, quæ si diligenter considerem us, nobilius, ac præstantius principium arguunt. Quam possit esse forma ex mistione elementorum æducta, nec modo

mate-

Digitized by Google

materiali, & corruptibili corpori concreta, verum etiam; & ab ipso secreta. Quis autem non admirabitur, & varium, & multiplex artificij genus, quo homo, non in multis, aut plurimis; sed fere in omnibus naturam emulatur? Nec modo emulari, ac imitari contentus fuit, vel etiam superare agressus est, & obtinuit. Discriminauit natura, terras, aquis, & vasto maris gurgite, separauit. Homo, nautica arte, non solum peregrinas adijt regiones, & gentes, verum etiam vniuersum terrarum, & aquarum ambitum; solis æmulus, perlustrauit. Opposuit fluctibus montes, hos etiam, quamuis maximos, hominis audacia perfodit, vt mari peruij, & nauigijs essent, quod Xersem præstitisse in Monte Atho. Herodotus testis est, de quo Iuuenalis.

Creditur olim, velificatus Athos.

Impermeabiles, atque impenetrabiles quibusdam locis. Natura prouida constituit aditus, oppositis asperrimis montibus, & durissimis Cautibus, vt in Cottijs alpibus ad tutamen, & munimentum Italiæ. Hos etiam Hannibalis superauit Ambitio

Additur Imperijs Hispania Pyrenæum
Transilit, opposuit Natura, alpemque, niuemque
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto

Denegauit natura homini alas, ipsum tamen cupido inuasit væsana, tranandi aerem

Dedalus, vt fama est, fugiens Minoia Regna
Præpetibus pennis ausus se credere cælo
Insuetum per iter gelidos enauit ad Arctos.

Quid plura? naturæ authorem, & opificem rerum omnium, in parua, ac fragili sphæra, quamuis non de fragili, nec de parua re; sed de immortali, ac maxima, quale est, totum cœlum, Archimedes non erubuit imitari, *Nam cum Archimedes*, vt Cicero noster inquit, Tusculana prima. *Lunæ, Solis, & quinque errantium motus, in sphæram illigauit, effecit idem, quod ille, qui in Timeo Mundum ædificauit, Platonis Deus, vt tarditate, & celeritate dissimillimos motus, vna regeret conuersio.* De hoc autem scitum extat, & peruulgatum Claudiani, Poetæ facundissimi Epigramma, quod apponere non pigebit, vt Philosophiæ seueritas, aliquando Musarum dulcedine molliatur.

Iuppiter, in paruo cum cerneret Aethera vitro
Risit, & ad superos talia dicta dedit
Huccine mortalis progressa potentia curæ?
Iam meus in fragili luditur orbe labor.

Iura poli, rerumque fidem legesque Deorum
Ecce Syracusius transtulit arte senex.
Inclusus varijs famulatur spiritus astris
Et viuum certis motibus vrget opus.
Percurrit proprium mentitus signifer annum,
Et simulata nouo Cynthia mense redit.
Iamque suum voluens, audax industria mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.
Quid falso insontem tonitru Salmonea miror
Aemula Naturæ parua reperta manus.

Hæc Claudianus, de audaci Archimedis industria, ex qua Cicero loco citato, argumentum desumpsit diuinitatis humani animi, his verbis: *Quod si in hoc mundo fieri sine Deo non potest, ne in sphæra quidem eosdem motus, Archimedes sine Diuino ingenio, potuisset imitari.* At vero vltimis Epigrammatis carminibus, etiam Archimedes vaticinatus fuit, Dum Iouem dicit: Amplius non miraturum Salmonea, ipsumque insontem appellat. Quandoquidem nostrorum Auorum Ætate, Tormenta bellica, tum mariora, quæ à bombo, Bombardæ sunt dicta, tum etiam minora, quæ ab ictu pariter Sclopettæ dicuntur, inuenta fuerunt omnino ad similia machinamento illi, quo vsum fuisse Salmonea, vt Iouem Tonantem imitaretur, Virgilius fingit 6. libro Æneidos, his Carminibus.

Vidi, & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur olympi.
Quatuor hic inuectus equis, & lampada quassans,
Per graium populos; mediæque per Elidis Vrbem.
Ibat ouans, Diuumque sibi poscebat honorem,
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.

Ipsum quoque iure insontem appellauit, quandoquidem multo magis nocuit humano generi, inuentor tormentorum bellicorum, & Pyritis pulueris, ingenti vastatione ciuitatum, & innumera cæde hominum, quam Salmoneus Virgilianus, vana illa superbia; atque ambitione. Hæc vero omnia, ob intellectum, quo præ cæteris Animalibus est donatus. Diuino, & immortali; homo, audet, & facit. Duo nam que homini Deus Optimus Maximus est largitus; propter quæ, & Diuinum animal, eum appellat Plato in Timeo, & quodammodo finem omnium, vt Aristoteles 2. *Physico*. merito possumus appellare.

Mentem scilicet, & manum, præcipua animi, & corporis instrumenta.

Digitized by Google

menta, quorum opera, instrumentis extraneis omnibus vti, valeret. Est enim animo Mens, veluti manus corpori. Mens, quidem forma formarum. Manus vero, organum organorum, vt Aristot. *3. de Anima*, dicebat: *Præstantissimum vero quid, est Mens*. Non enim propterea homo prudentissimus, animalium omnium est, quoniam vnus omnium manus obtinet, vt Anaxagoras putauit; sed potius è conuerso, quia prudentissimus, omnium est, ideo manus recepit, vt Aristoteles *4. de Partibus animalium, cap. 10.* expressit, rationem afferens, his verbis: *Manus enim instrumentum sunt, Natura autem, vt homo prudens, ita tribuere solet, cuique rem, qua vti possit, Rectius enim tibia dabitur perito tibiæ, quam Tibiam habenti peritia, tibia addatur, rem enim minorem maiori, potiorique Natura addit, non maiorem nobilioremque minori, quod si ita melius est, natura autem ex ijs, quæ fieri possunt, facere solet, quod melius sit, Homo non propter manus, prudentissimus est; sed quia prudentissimus omnium animalium est, ideo manus obtinet, qui enim prudentissimus est, recte, plurimis vti instrumentis potest. Manus autem esse videtur, non vnum instrumentum; sed multa, est enim, vt ita loquar. Instrumentum ante instrumenta, Natura igitur ei, qui artes plurimas recipere potest, manum reddidit, quæ ad plura instrumenta vtilis est, qui autem Hominem, non bene; sed deterrime, omnium animalium, constare aiunt; nondum enim, atque inermem creatum referunt, non recte ij sentiunt. Cætera enim animalia, vnum auxilium habent, idque nullo pacto possunt permutare; sed quasi calceata semper dormire, ac omnia agere, nec vestitum vnquam deponere pleniorem, neque arma mutare, quæ semel acceperint, necesse est, vt homini multa habere auxilia liceat, eaque subinde mutare; arma etiam, quæ velit, & vbi velit capere potest: Manus enim, & Vaguis est, & Vngula, & Cornu, & Asta, & Ensis, & quoduis aliud genus Armorum, aut Instrumentorum, quippe quæ omnia hæc sit, quoniam omnia, & sumere potest, & tenere*. Sed obijciet aliquis. Nunquid, & Bruta animalia, ea, quæ homines, & maiora; ac magis admiranda non faciunt? ante sæpius decantata. Neque responsio satisfacit, ea fieri à Brutis naturæ instinctu, & absque cognitione, quandoquidem in faciendo Ars, non magis se habet, tamquam principium cognoscens, quam natura ipsa se habeat. Ars enim, vt Aristoteles docet: *2. Physico. partic. 85.* non deliberat, quemadmodum, neque Natura, quin immo subdit, quod *Si esset in ligno Nauis faciendæ Ars, haud secus, quam ipsa Natura faceret*. Si igitur Natura, sine cognitione efficit, ergo pariter, & Ars. Hoc vero, quod Aristoteles dixit: etiam vsus ipse demonstrat, neque enim qui scribit, consultat; quo ordine disponenda sunt elementa ad conscribendas syllabas, neque syl-

labæ,

labæ, ad conscribendas Dictiones, aut Dictiones ad conscribendam Orationem; sed neque etiam animaduertens, aut cognoscens conscribit. Neque qui pulsandi Citaram habet Artem, & habitum, consultat, quæ sint pulsandæ fides, vel quibus locis, ad moderandum concentū, adhibendi sint digiti; sed absque animaduersione, solo Artis ductu, tamquam si cognitione careret, Musicam facit.

Ad quæ dicimus, sufficientem esse, datam responsionem. Id vero, quod assumitur, ex Aristotele, Artem non deliberare, quemadmodum, nec Naturam; ac proinde similiter se habere, æque, ac sine cognitione agerent, Paulo diligentius, est considerandum. Si enim simpliciter, & absolute accipiamus Naturam, aut Artem, sine cognitione agere, falsum est, vt autem primum de Natura, id ostendamus. Supponendum erit, Naturam, prout sumitur ab Arist. loco citato, & toto, *2. Physicorum libro*, non esse primitiuum, & independens agens; sed secundarium, & dependens; ac proinde non aliter ad suum finem tendere, quam Sagitta ad scopum, à dirigente scilicet; ac veluti impulsus, quo Sagitta mouetur, ab alio est, nempe à Sagittario, qui est primum mouens. Ita Natura, quæ nihil aliud est, quam impetus, quidam ad motum. Hoc enim pacto interpretari possumus, illud Aristotelis, quod Natura sit principium motus, ab alio est, nempe à prima causa, à qua non solum dependet: verum etiam dirigitur ad motum, & ad quietem, quæ est finis motus. Hanc vero doctrinam, vt re ipsa veram, ita etiam apud Arist. legimus: *12. Metaphysic. part. 38.* vbi de primo Ente, siue de prima causa locutus, inquit. *A tali ergo principio, tum Cælum, tum Natura dependet.* Hoc autem supposito manifestum est, quod si Naturam accipiamus, tamquam directam à primo agente, à quo dependet, non possumus dicere, ipsam agere, sine consilio, & cognitione. Cum primum agens, tamquam sapientissima mens, omnia summo consilio agat, & ratione, quod Philosophus animaduertens, ibidem dixit: Naturam agere propter finem, quamuis non videatur deliberare, non posset autem agere, propter finem, nisi; aut ipsa, aut aliud quod ipsam mouet, finem cognosceret, & ea quæ sunt ad finem.

Quod autem de Natura dicitur, de Arte pariter est, dicendum, quamuis enim Artes aliquæ sine consilio, & deliberatione operentur, postquam inuentæ fuerunt, & traditæ, vt illæ de quibus iam dictum est, & aliæ quam plures huiusmodi, tamen minime negari potest, quin primus illarum inuentor, non solum consilio, & deliberatione, verum etiam solertia, ipsas inuenerit, & constituerit. Ars igitur, ita

se

Digitized by Google

ſe habet ad primum artificem, & Architectonicum, quemadmodum ſe habet Natura, ad primam cauſam, & veluti Natura, quamuis minime ſapiens, nec deliberans, in ijs, in quibus eſt, agit propter finem; nec ab eo, niſi raro, & per accidens aberrat; mota tamen, & directa, vt dicitur ab intelligentia non errante. Ita Ars aliqua, in artifice eſt principium operandi, & operandi recte, & ex præſcripto, quamuis ſine conſilio, & deliberatione, tamen vt directa, ab Architectonico, & inuentore, qui conſilio, & diſcurſu, vſum, & regulas Artis inuenerat, quibus poſtea ſecundarius Artifex, ſine conſilio, & deliberatione vtitur.

Dixi autem aliquas artes, & non omnes, ſine conſultatione, & deliberatione agere, quia non omnes circa eamdem materiam verſantur, aliquæ enim ex Artibus, circa materiam verſantur poſsibilem, & incertam. Aliæ vero circa materiam certam, vt ex Ariſtot. colligitur *3. Ethic. cap. 5.* Dico autem Materiam certam, aut incertam, non ſimpliciter, noui enim ſcientiam tantum, circa ſimpliciter certa, hoc eſt neceſſaria verſari, non autem Artem; ſed ſecundum quid, hoc eſt, reſpectu opificij. Sunt enim aliqua circa quæ operantur aliquæ Artes, quæ habent in ſe ipſis principium motus, & impetum ad finem artificis, & etiam ad oppoſitum, etiam ſine artifice, & propterea hæc dicuntur Materia, incerta Artis, & circa hæc ſunt Artes coniecturales, vt Medicina, Nautica, Politica, & huiuſmodi; Medicina enim verſatur, circa corpus ſanabile, quod ex ſe ipſo, ſanari poteſt, & interire, abſque merito, vel culpa Medici, & propterea oportet Medicum eſſe fortunatum, aliqua vero ſunt, quæ non habent in ſeipſis principium motus, ad finē artis; vel ad opificium, ſine artifice, & circa hæc, tamquam certam materiam verſantur artes, non coniecturales, vt ſunt ars Scribendi, Pingendi, Ædificandi; numquam enim elementa, vel ſyllabe, ex ſeipſis mouebuntur ad conſcribendam recte Orationem, aut male, neque materiæ colorum, ad Pingendam figuram, aut aceruus Lapidum, ad conſtruendam domum, & ſic de ſingulis, vt bene Ariſtot. docuit: *7. Metaphyſic. partit. 29.* & propterea nequaquam fortunatus, aut infortunatus, dici poteſt Pictor, vel ædificator; ſed peritus, aut imperitus; ex his igitur Artibus, ſolum poſteriores, quæ circa materiam verſantur certam, ſine conſultatione, & deliberatione, agunt in ijs, qui bene, ac perfecte illas norunt, non autem illæ, quæ circa dubiam, & incertam materiam, cum enim ſua natura coniecturales ſint, ſemper indigent conſultatione, alias, vt plurimum aberrant. Optimum igitur, ac validiſſimum deſumitur argumentum

mentum, ex Artibus, hoc est, earum inuentione, & exercitio ad ostendendam nostri animi præstantiam, & immortalitatem, quo etiam vsum fuisse Platonem, Aristot. refert *30. partic. Problematum Problemate 6*. cum respondisset Neocli interroganti, cur homini maxime credimus, Quia omnium maxime vim obtinet imitandi. homini autem præ cæteris creditur, quia præstantissimus, ipse vero Artibus maxime, & naturam, & Deum imitatur, vt dictum est, & hæc satis pro eo argumento, quod initio assumpsimus, ex eo quod Intellectus omnia intelligit, ad monstrandam solo naturali lumine, humani animi immortalitatem circumscripta omni Aristotelis, vel aliorum sapientum auctoritate.

Proponitur alia ratio, ex eo quod Intellectus non vtitur organo, quæ ex Naturæ principijs concludit eius immortalitatem. Caput XII.

VRE, & quidem merito: argumentum illud, quo dicebatur, Intellectum, quia intelligit omnia, oportere, esse immixtum, & separabilem, fusius prosequti fuimus, quandoquidem validissimum est, inter omnia, vtpote, ex propria Intellectus operatione desumptum, cum qua actio corporis non communicat, nisi mediate, & ab extrinseco, neque enim Intellectus corporeo, indiget organo, dum intelligit; sed phantasia tantum, opus habet, quæ organica est facultas, neque ipsa indiget, nisi quatenus phantasmata subministrat; quæ neque obiectum sunt Intellectus, cum Intellectus phantasmata non percipiat, vtpote singularia; sed materia tantum obiecti, intelligit enim in phantasmatibns, siue vt Aristot. inquit, *3. de Anima, partic. 39*. simul cum phantasmatibus vniuersalia. Nunc vero argumentum illud rursus examinabimus, quod ante, tamquam ab Aristotele propositum attulimus, nempe, Intellectus non vtitur organo, ergo est immortalis, verum quia multa de hoc argumento, eo loco diximus, propterea diutius in eodem, non immorabimur; sed pauca aliqua addemus, & aduersus aliquos, qui argumentum hoc labefactare, conati sunt, disputabimus. Quod Intellectus certa aliqua corporis parte, tamquam organo, non vtatur apud Peripateticos, adeo

est,

Digitized by Google

eſt compertum, vt neque ab aduerſarijs ſit negatum, quamuis ex ipſis aliqui, cum toto corpore, vti dixerint, tamquàm organo, cum anima corporis organici, ſit actus, & Intellectus, animæ ſit potentia, ſiue vt Ariſtoteles dixit particula. Cum Galeno tantum, & cæteris Medicis, eſt controuerſia, qui eum eſſe organicum putarunt, & in certa corporis parte, nempe in cerebro, pertinaciter collocant; ſed aduerſus ipſos validiſſimis argumentis, ſatis ſuperque antea pugnatum fuit. Nunc, cum Peripateticis aduerſarijs, res nobis erit, qui hoc accepto, quod Intellectus, certa aliqua corporis parte, vt organo non vtatur, tamquàm diſerte, & citra controuerſiam, ab Ariſtotele pronunciato, tum primo capite libri *3. de Anima*, tùm etiam *cap. 3.* Secundi de generatione; ſed maxime *particula 92.* primi libri *de Anima*, tamen negant ex hoc deduci Intellectum, eſſe immortalem, & incorruptibilem. Quia vero nunc eas rationes, quæ citra Ariſtotelis auctoritatem, ex rei natura tantum afferri poſſunt, proponimus. eapropter primo loco conſiderandum eſt, quod aſſumitur, vtrum ſcilicet verum ſit. Nullum eſſe corporis membrum, quo Intellectus, tamquàm organo vti poſſit: Zabarella in commentarijs, ſuper libris *de Anima, lib. 3. ſuper textu 6.* dixit, Ariſtotelem hoc non probaſſe; quia ſuppoſuit, tamquàm manifeſtum, ex Anatome, partium humani corporis, in qua nullum reperitur membrum, quod poſſit Intellectui, tamquàm organum aſſignari, ſi enim aliquod huiuſmodi eſſet, profecto eſſet Cor, & Cerebrum. Nullum autem ex his eſſe, inde patet; quia hæc eadem membra, in cæteris animalibus ſunt, quæ Intellectum non habent; ac propterea Ariſtotelem dixiſſe: *1. de Anima; partic. 92. Quam partem, aut quomodo Intellectus contineat, difficile eſt etiam fingere*; Sed hæc eius ſententia, mihi non placet, probauit enim Ariſtoteles, hoc aſſumptum; *3. de Anima, part. 7.* validiſſimo argumento, quod autem à Zabarella affertur, ex Anatome, iudicio meo ſatis debile eſt, & inualidum. Poſſet enim aliquis, ex aduerſo dicere, Cor, aut Cerebrum, eſſe organum Intellectus, neque obſtat; quod hæc in brutis Animalibus reperiantur, cum diuerſa temperatura præditum ſit, Cor humanum; aut Cerebrũ, à corde; vel Cerebro brutorum, & hoc ſufficit, vt ſint diuerſa organa. Validiſſimum autem eſt argumentum, quo id Ariſtot. probauit loco citato, nempe ex eo, quia Intellectus ab excedente, & valido intelligibili non corrumpitur; ſed perficitur, cuius contrarium in ſenſu fit, hoc vero ea ratione, quia ſenſus vtitur organo, & eſt ratio, ſiue proportio ipſius organi; proportio autem ab excellenti motiuo corrumpitur, vt patet in concentu fidium, quod ſi Intellectus haberet organum

num, idem pariter pateretur, quod sensus; sed non patitur, ergo non vtitur organo. Quod vero Intellectus non patiatur, vt sensus, fusius probauimus ante aduersus Galenum, & Pomponacium, qui Intellectum lædi existimarunt, & intelligendo defatigari. Vnum tantum nunc addam, vt declaretur, quod verum est, in ea defatigatione, quam experimur speculantes, non lædi Intellectum; sed imaginationem, quæ dum intelligimus, laborat: phantasmata efformans, & obijciens: nam si læderetur Intellectus, debilitaretur eius vis intelligendi; sed non debilitatur, ergo. Quod non debilitatur, vis intelligendi, patet, quia si debilitaretur percepto valido, & vehementi intelligibili, non perciperet minus intelligibile, veluti enim aspicientes Solē, non valent postea, percipere colores reliquos, ita qui valde intelligibilia, hoc est magis abstracta, intellexerunt; minus possent, quæ minus abstracta sunt intelligere, huius autem contrarium demonstrat vsus, melius enim; ac certius Intellectus, intelligit Physica, post Mathematica, & melius Mathematica, post Metaphysica. Marcescit igitur corpus, & languet, speculatione, & studijs Litterarum; at non Intellectus, quamuis enim, post longam, & assiduam intellectionem corpus emaciatum, & effetum viribus lædatur, animus tamen viget, & alacrior surgit, vt omnes experimur, itaut bene, & sapienter Aristoteles dixerit *1. de Anima, partic. 66. Ipsum igitur intelligere, & ipsum speculari marcescit, alio quodam interius corrupto. Ipsum autem impassibile est.* Sed aliquis dicet, nonne Aristot. inquit. *2. Metaphysico, cap. 1. Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita, & Intellectus animæ nostræ, ad ea, quæ manifestissima omnium sunt.* Sed lumen Solis aciem videndi debilitat, quinimmo etiam corrumpit; ergo pariter excellens intelligibile, Intellectum debilitat, & corrumpit. Huic vero respondebimus, Intellectum nostrum, non habere integram similitudinem, ad intelligibilia separata, quam habet oculus vespertilionis, ad lumen Solis, nec mirum, quandoquidem Exempla non sunt ad exprimendam identitatem; sed ad doctrinam. Integra autem similitudo non est, quia oculus nicticoracis, debiliter videt lumen Solis, & hoc non ex parte luminis fit, cum lumen ipsum, sit maxime visibile; sed ex parte oculi, & visiuæ potentiæ, quæ cum sit imbecillis, ob defectum spirituum, non solum non valet, percipere lumen diei; sed neque ipsum sustinere, quin debilitetur, & corrumpatur; Intellectus autem noster, in hoc conuenit, cum oculo vespertilionis, quod debiliter videt lumen Solis, ex parte sui, cum adeo perspicax, non sit eius acies, vt totam substantiarum separatarum, naturam, & essentiam percipe-

re

re valeat, non autem ex parte ſubſtantiarum, immaterialium, quæ omnium maxime intelligibiles ſunt, & manifeſtiſſimæ. At vero, in hoc ab eo differt, quia oculus veſpertilionis, corpus exiſtens, & vis eius viſiua, corporea, à lumine Solis, tamquàm, vehementer motiuo diſſipantur, & corrumpuntur. Vis autem intelligendi, cum ſit inorganica, & incorporea, neque debilitatur, neque corrumpitur à valde intelligibilibus; ſed potius perficitur. Præter hoc vero argumentum probari etiam poteſt duobus alijs, ſupra etiam à nobis recenſitis, intellectui nullum eſſe à natura deſtinatum, organum: Primo, quia Intellectus intelligit vniuerſale; ſi autem vteretur organo, quicquid perciperet, perciperet ſingulariter, quemadmodum, & ſenſus; Secundo, quia anima, ac præcipue Intellectus, eſt locus ſpecierum intelligibiliſſum, vt non ſolum Ariſtot. dixit *3. de Anima, partic. 6.* verum etiam aduerſarij conceſſerunt; tum Petrus Pomponatius, locis à nobis ſæpe ahtea citatis, cum hoc argumentum, ex Ariſtot. attulimus, tum etiam Zabarella *3. de Anima, comment. 6.* Hæc igitur propoſitio, Intellectus humanus non vtitur organo, non ſolum ab Ariſtotele fuit aſſumpta, ſed etiam probata, & ab aduerſarijs conceſſa, quare circa illam diutius, non immorabimur; ſed ad conſequentiam, inde deductam deueniemus, quam negãt aduerſarij; Negant enim huius conſequentis neceſsitatem. Intellectus humanus, non vtitur certa corporis parte, ergo eſt ſeparabilis, & immortalis. Cauſam vero negationis, aſſerunt duplicem, vnam quia, etſi concedatur, Intellectum abſolui ab hac vel illa corporis parte, cum nulla certa corporis particula vtatur, tamquàm organo, tamen non ſequitur, ipſum ſimpliciter, & omnino abſolui à corpore, cum vtatur toto corpore, tamquàm organo; vt non ſolum Alexander dixit; ſed etiam Ariſtoteles *2. de Anima*, dum, omnem animam, actum, & Entelechiam, corporis appellauit. Alteram vero, quia Intellectus, quamuis ſeparabilis ſit ab organo, quatenus Intellectus, hoc eſt, quantum ſpectat, ad actum intelligendi; in quo non vtitur organo corporeo, vt Ariſtot. dixerat *2. de Generat. animal. cap. 3.* & propterea non dicatur actus corporis, vt Ariſtot. pariter *2. de Anima, partic. 11.* ſtatuit. Tamen non eſt ſeparabilis à corpore, quantum ad actum informandi, & etiam, quoad alias operationes, quas habet in corpore, vt eſt appetendi, & mouendi, ſecundum locum, quin immo, cum neque in actu, & operatione intelligendi, omnino abſoluatur à corpore, quia intelligentem oportet, vna cum phantaſmate ſpeculari, neque quoad hunc actum, dicitur ſimpliciter à corpore ſeparabilis, vt Ariſtoteles etiam dixerat *1. de Anima, partic. 15.*

Si autem est, & hoc imaginatio quædam, aut non sine imaginatione, non continget vtique, hoc sine corpore esse.

Has responsiones, etsi antea primo libro, abbunde confutauimus, tamen etiam nunc, breuiter impugnabimus. Primum autem supponendum est, quod vltro conceditur ab aduersarijs, Intellectum, si forma corporis sit inseparabilis, & corruptibilis; æductum fore, de potentia materiæ, vt cæteræ mortales formæ, quare, & necessario consequeturum temperamentum corporis, aut totius, aut partium; non totius, ergo partium, quod iam ab ipsis negatum est; si enim consequeretur temperamentum alicuius partis, ipsam profecto, velut organum sibi determinaret. Quod non totius probatur, cum enim totum corpus constet, ex varijs partibus Omogeneis, necesse est, vt non vno; sed pluribus temperamentis, præditum sit; alio enim temperamento prædita sunt ossa, & alio carnes, alio nerui, & alio cartilagines; ac sic de singulis, ergo vna non potest esse anima educta, ex temperamento totius corporis. Hoc argumento, antea docuimus Aristotelem, vsum fuisse aduersus eos, qui animam dicebant esse temperamentum totius corporis, quod pari ratione, militat aduersus eos, qui dicunt animam esse formam eductam, de temperamento; cum talis forma immediate, & inseparabiliter, consequatur temperamentum. Quare neque totum corpus potest esse primarium instrumentum animæ, & quamuis anima sit, in toto corpore, quoad actum informandi; tamen primario; ac principaliter est, in certa, ac determinata corporis particula; videlicet in corde, aut in eo, quod cordi proportione respondet, vt bene docuit Aristot. libello *De Iuuentute, & Senectute, Vita, & Morte, cap. 1. & 2.* & libello *de Animal. motu, cap. 6 & 7.* vbi hæc habet verba: *Existimandum autem constare animal, quemadmodum Ciuitatem bene legibus institutam, in Ciuitate enim, cum semel constiterit ordo, nihil opus est, separato Monarcha, quem oportet adesse singulis, quæ fiunt; sed cimis vnusquisque facit, quæ sua sunt; vt ordinatum est, fitque hoc, post hoc per consuetudinem. In Animalibus autem, hoc idem propter naturam fit, & quia natum vnumquodque, sic constitutorum facere suum opus, quare non oportet in vnoquoque esse animam; sed in quodam principio corporis existente, alia quidem viuere, quia adnata sunt, facere autem opus proprium propter naturam.*

Impossibile igitur est, quod ipsi statuunt, Intellectum, cum non sit, in certa corporis parte, neque aliquo particulari vtatur organo, esse in toto corpore, tamquàm formam inseparabilem, & eductam de temperamento totius corporis, neque anima brutorum, possit consequi temperamentum totius corporis; sed certæ, ac determinatæ partis,

Digitized by Google

tis, in qua eſt, ſecundum eſſentiam, reliquæ autem partes, quia tali principio, in quo eſt anima, adnatæ ſunt, ab ipſa viuificentur. Hoc autem animaduertens, Portius libello *de Mente humana, cap. 7.* negauit ex Ariſtotelis ſententia. Intellectum eſſe in toto, ipſumque ſtatuit in corde, veluti, & ſenſum; vt vero Ariſtoteli non aduerſaretur, dicenti: Intellectum inorganicum, inquit non eſſe in corde, tamquàm in organo; ſed tamquàm in ſubiecto, quæ reſponſio, quam ſit inanis, vnicuique eſt manifeſtum; ſi enim eſt in corde; vt in ſubiecto, ergo quoad eſſentiam pendet à corde, itaut, ſit forma conſequens temperamentum Cordis, & conſtituens Cor, vt principium vitæ, ita enim formæ, dicuntur eſſe in ſubiecto, & non aliter, quod ſi pendet à corde, ſecundum eſſe; ergo, & ſecundum operationem, veluti enim ab operatione, arguimus eſſentiam, tamquàm ab effectu cauſam; ita ab eſſentia operationem, vt à cauſa effectum. Sed manifeſtius Zabarella, hoc eodem argumento, ſeipſum iugulat, loco citato *3. de Anima, in explicatione 7.* contextus, circa medium explicationis, vbi volens probare abſurdum, quod ſequeretur, ſi Intellectus in intelligendi opere, eſſet mixtus corpori, hoc eſt corporeo, vteretur organo, in receptione ſpecierum; hæc habet verba. *Si enim Intellectus, in receptione ſpecierum, eſſet commixtus corpori; videlicet, vt in corpore receptio fieret; neceſſe eſſet aſsignare, aliquam certam partem, in qua, & non in alijs, ſpecies reciperentur; nam in humano corpore, diuerſæ ſunt partes Omogeneæ, & diuerſa earum temperaturæ, quæ non omnes ſimiliter eſſent aptæ, ad receptionem hanc; vt in ſenſibus quoque videmus, ſola enim temperatura, oculi eſt apta, ad recipiendum ſpecies colorum, non temperatura carnis, & aliarum partium; ſimiliter temperatura oſsis, non eſt apta, ad recipiendas ſpecies tangibiles, quia eſt nimis terrea; vt ait Ariſtot. in poſtremo tractatu huius tertij libri, atqui habere certam corporis partem, in qua recipiantur ſpecies, nihil aliud eſt, quam habere organum proprium, cum nihil aliud ſit organum, quam certa pars corporis, à cæteris partibus diſtincta, in qua ſola ſit aptitudo recipiendi tales ſpecies; quod ſignificare volens. Ariſtot. dixit: Sicut ſenſitiuo, quaſi diceret, ita eſſet alligatus organo, vt ipſa potentia ſenſitiua, & hæ ita organum, habere dicuntur, quia habent certam corporis partem, in qua recipiuntur ſpecies, quare etiam Intellectus haberet, hoc modo organum proprium, ideſt, certam partem corporis, in qua ſpecies intelligibiles reciperentur, hoc enim eſt habere organum.* Quemadmodum vero Intellectus, ſi vteretur organo, in receptione ſpecierum, neceſſario certa aliqua, & determinata corporis parte indigeret, nec toto corpore, vti poſſet; cum corpus totum ex varijs partibus Omogeneis, & diuerſa temperatura, præditis ſit conflatum; certis au-

tem functionibus, certæ debentur disposiciones . Ita, si Intellectus esset forma, de potentia materiæ educta, & à corpore inseparabilis; in certa, ac determinata corporis parte esset, quia ad certas, & non ad omnes corporis disposiciones, & temperaturam consequeretur, & veluti, sensus, tactus, non est in ossibus, aut cartilaginibus, quia hæc temperaturam, aptam pro sensu tactus, non sunt sortita . Ita neque Intellectus, in toto corpore esse posset, tamquàm eius forma, & actus inseparabilis; sed in certa, ac determinata parte, qua etiam, tamquàm organo vteretur, quod tamen; ipsi Aristotelem sequuti, apertissime negant . Præterea, illud ipsum argumentum, contra eos torquendum est, quo vtitur Aristot. *1. de Anima, partic. 92. Si tota Anima, totum corpus continet, conuenit, & partium vnamquamque, continere aliquid corporis*. Sed ex ipsorum sententia, tota anima, totum corpus continet, hoc est commensurabilis est cum corpore (ita enim procedit argumentum, alias non concluderet) tota enim anima, educta est, à temperamento corporis; ergo, & Intellectus, cum sit pars animæ, erit in aliqua parte corporis, & non in toto corpore; sed aliquis, pro ipsis dicet. militat hoc argumentum, aduersus Platonem; contra quem ab Aristot. fuit allatum, quia Plato existimauit; Animam partibilem esse, non solum ratione; sed etiam Re, non autem contra Peripateticos, qui ipsam ratione tantum, & non Re, partibilem statuunt. Ad hoc dicimus, opus, esse distinctione: Animam enim esse partibilem, dupliciter sumi potest, aut enim diuisibilis sumitur penes partes; vt dicunt quantitatiuas, aut penes partes potentiales, dico autem penes partes quantitatiuas, non per se; sed secundum accidens, nulla enim forma est per se, quanta; sed secundum accidens, ratione corporis, cuius est forma; secundum partes, autem potentiales, dico; diuisibilem esse animam, non quod habeat partes potentia; vt continuum; sed, quia habet potentias, siue facultates, quibus operationes exercet, & exercere potest, quas, partes Philosophi appellare consueuerunt:

Hac posita distinctione, dico: quod rei veritate, argumentum non concludit, nisi aduersus Platonem, qui animam, partiebatur in suas potentias, non solum rarione; sed etiam Re, aut subiecto distinctas, scilicet; in partem principem, quam collocabat in cerebro, in irascibilem, quam in corde; & inconcupiscibilem, quam in iecore; vt apud ipsum, videre est in Timeo, non autem aduersus Peripateticos, qui animæ potentias, nec re, nec subiecto inter se, diuidunt (quamuis non omnes); sed ratione tantum . At vero, si hoc est. alio vrgentur argumento,

Digitized by Google

gumento, quo validius ipſorum reſponſio impugnatur; in qua enim parte corporis, erit vna potentia animæ, ibidem erunt reliquæ omnes; ſed ſenſus, & vegetalis, ſunt in corde; vt paulo ante docuimus, ex Ariſtotele, ergo pariter, & Intellectus erit in corde; non ergo in toto corpore. Hoc autem argumento vſum fuiſſe Portium, paulo ante dicebamus, & ex hoc apparet, quam falſa ſit ipſorum ſententia, qui adeo inter ſe ſe diſcrepant. Si autem conſideretur diuiſibilitas, animæ penes, partes quantitatiuas, longe maiora, ſequentur abſurda, poſito enim, quod Intellectus ſit corruptibilis, & toto corpore, vtatur tamquàm organo, & ſit Entelechia, ſiue actus inſeparabilis totius corporis, & non certæ ac determinatæ partis, vt ipſi ſtatuunt, ſequetur ipſum eſſe extenſum, ad extenſionem corporis, quare, & Intellectus erit in qualibet parte corporis, & ita etiam in calcaneo. Præterea ſi Intellectus eſt in qualibet parte corporis, tunc etiam, & ſenſus, & vegetalis, quia Intellectiuum, ſine ſenſitiuo, & vegetatiuo, non poteſt eſſe in mortalibus, vt dixit Philoſophus *2. de Anima, partic. 15.* huius autem contrarium, determinatum eſt; ex Ariſtotele locis citatis, vbi ſtatuit, animam eſſe in corde, ſanguineis animalibus, in eo autem, quod eſt proportionale, exanguibus, & quamuis animæ, omnes eductæ ex temperamento, neceſſario ſint extenſæ, ad extenſionem corporis, tamen non totius corporis; ſed illius partis tantum, ex cuius temperamento, ſunt eductæ, quæ princeps appellatur, & ſedes vitæ, hoc autem omnibus viuentibus competit, non ſolum animalibus perfectis, quæ ſunt maxime vnum; verum etiam imperfectis, cuiuſmodi ſunt inſecta, necnon etiam plantis; ac propterea, quælibet ipſorum pars, diuiſa viuit, quia ipſis, per totum corpus, hæc pars, in qua eſt vitæ principium, eſt diffuſa. & hæc ſatis, aduerſus primam reſponſionem ijs, quæ ante diximus, ſint appoſita. Nunc ad ſecundam reſponſionem, ſiue potius, fugam, accedamus; & primo ad illud, quod Intellectus, quantum ad actum informandi, non ſeparatur à corpore. concedo antecedens; at vero, nego conſequentiam, ergo non ſeparatur à corpore, ſiue non eſt ſeparabilis, quoad eſſentiam; quod ſi obijcient, nuper à nobis dictum eſſe contrarium, ab operatione, ſcilicet argui eſſentiam, ergo, ſi quoad operationem informandi, eſt inſeparabilis, etiã inſeparabilis erit, quoad eſſentiam.

Reſpondeo, aliud eſſe operationem propriam, ab operatione; vel operationibus communibus, ab operatione autem propria, diximus argui ſubſtantiam, vt ab ipſo intelligere, quod eſt propria Intellectus operatio, eius arguimus eſſentiam, non autem, ab operationibus ap-

Digitized by

petendi; vel mouendi, localiter, quæ sunt ei communes, cum sensu, & omnino cum corpore, vt autem sit forma, informans, sufficit, vt sit principium intrinsecum, alicui viuenti, alicuius operationis vitalis, vt dixerat *2. de Anima, partic. 13.* his verbis: *Multipliciter autem ipso viuere dicto, & si vnum aliquod horum insit, solum, viuere ipsum dicimus.* Quod si verum est, nonne Intellectum dicere possumus, formam, informantem, quatenus est homini principium; appetendi, mouendi, & etiam cogitandi, in quibus communicat corpori, & corporeo vtitur organo, non solum mouendo, verum etiam cogitando, cum cogitare dicat operationem Intellectus practici, quæ simul cum sensu est; & appetendo, cuius principium est pariter practicus Intellectus, quamuis quoad operationem propriam, quæ est Intelligendi, organo non vtatur, & ex hoc substantiam à corpore, separabilem ostendat, cum ad intellectionem, ipsi, corpus potius sit impedimento, quam adiumento. Melius enim est, Intellectui, sine corpore esse, quam cum corpore, dicebat Philosophus *1. de Anima, partic. 49.* potest igitur Intellectus, quoad operationem informandi, esse Entelechia, & actus inseparabilis corporis, quamuis quoad essentiam, sit separabilis; vt Nauta, Nauis, qui & si, quantum spectat, ad actum Nauigandi; vel regendi Nauem, sit inseparabilis à Naui, tamen quoad substantiam, & vt homo, separabilis est, à Naui; vt Arist. dixit *2. de Anima*, & nos, fusius infra Deo iuuante, declarabimus. Quid vero ad alteram partem responsionis, siue obiectionis? qua dicebatur, neque in ipsa intellectione, absolui penitus Intellectum à corpore, cum indigeat phantasia. Respondemus, vt iam initio huius capitis, breuiter diximus; nihil officere immixtioni, & separabilitati humani Intellectus, quod phantasia indigeat, quamdiu sensui est coniunctus, & corpori, si quidem indigere aliquo, vt obiecto non arguit, necessariam connexionem, cum obiectum sit quid extrinsecum, quare neque necessariam dependentiam, quin immo, neque Intellectum, dicimus dependere, à phantasia obiectiue, cum non intelligat phantasmata, vt dictum est, nisi valde remote, & vt suppeditat phantasmata, quæ sunt materia Intelligibilium. De hoc vero, plenius dicemus Libro tertio, cum ad obiecta aduersariorum respondebimus. & hæc prolixius, quam decreueram, pro hoc argumento, sint dicta.

Digitized by Google

Due Platonis rationes, pro animi humani immortalitate afferuntur, & expenduntur. Caput XIII.

DVAS adhuc, alias prædictis rationibus adnectemus, neque erit pœnitendus labor, quandoquidem viri multi, non ſolum doctrina, diſciplinarum, verum etiam religione; ac ſanctitate ingentes, ipſas in magno pretio habuerunt, & ijſdem, ad hanc demonſtrandam Hypoteſim, vſi ſunt argumentis. Inter quos Gregorius ille Sanctus, qui à magnis patratis miraculis, Taumaturgus, eſt appellatus connumeratur, qui in libello, quem de Anima conſcripſit, rationes à Platone, tum in phædro, tum in phædone, enarratas proſequitur; eaſque non minus docte, quam pie, huic tutandæ, atque communiendæ veritati accommodat. Primo autem primam conſiderabimus, quam in Phædro affert Plato, vbi cum de furore multa dixiſſet, hæc verba contexuit.

Oportet autem nos, prius de natura Animæ, Diuinæ, & Humanæ affectus, & opera, in mentes vera nouiſſe; hoc vero demonſtrationis huius, principium ſit. Anima omnis Immortalis, quod enim ſemper mouetur, Immortale eſt, quod vero aliud mouet, ab alioque mouetur, cum terminum habeat motus, terminum habet, & vitæ, ſolum ergo, quod ſeipſum mouet, quia numquam ſe deſerit, numquam ceſſat moueri. Immo vero, & alijs, quæcumque mouentur id fons, & principium eſt mouendi. Principium autem, ſine ortu eſt; ex principio enim, neceſſe eſt, quicquid generatur oriri; ipſum autem ex nullo, nam ſi principium oriretur, ex aliquo; ex principio vtique non oriretur, cum vero ſit abſque ortu, & abſque interitu ſit, neceſſe eſt; nam ſi principium interiret, neque ipſum ex alio, neque ex ipſo aliud naſceretur, ſiquidem ex principio omnia oriantur oportet; ſic ergo principium motus eſt, quod ſe ipſum mouet, hoc autem, neque mori, neque naſci poteſt; alioquin omne cœlum, omnisque generatio concidat, deſinatque neceſſe eſt, neque rurſus vnquam conſtare poſsit, vnde hæc motum nacta oriantur; cum igitur appareat, immortale eſſe, quod ſeipſum mouet; animæ ſubſtantiam, & rationem; hanc ipſam, qui dixerit, non erubeſcet; Omne enim corpus, cui motus extrinſecus incidit. Inanime eſt, cui vero intus, ex ſe ipſo, id ineſt, animatum, tamquam hæc animæ, natura ſit. Quod, ſi ita eſt, vt non ſit, aliud quicquam, quod ſeipſum moueat, præter animam, neceſſario ingenita; & immortalis eſt

anima: de Immortalitate animæ, ſatis eſt dictum. Ex his vero validiſſimum deſumi argumentum, nec modo validiſſimum; ſed etiam certiſſimum, quod à priori demonſtret animi Immortalitatem; Platonici omnes exiſtimarunt, quod ipſi neceſſarijs quibuſdam conſecutionibus diſponunt; vt apud Platonem legitur. Nos vero clarioris doctrinæ gratia, ad formam Chategorici ſyllogiſmi, hoc pacto, redigemus

Omne, quod à ſe ipſo mouetur, eſt Immortale,
Omnis Anima, à ſe ipſa mouetur.
Ergo, omnis Anima, eſt Immortalis.

Maiorem vero huius argumenti, duplici via probat Plato; & Primo ea, qua etiam vſus fuit, poſtea Ariſtot. *lib. 7. Phyſic. cap. 1.* vt oſtenderet omne, quod mouetur motu diuiſibili; vt eſt corpus, ab alio moueri. Ita enim arguit Ariſtoteles. *Id quod à ſe ipſo mouetur, numquam ceſſabit moueri, propterea, quod aliquid aliud ſtetit, quod mouebatur. Neceſſe eſt ergo, ſi quid deſinat moueri, eo quod aliud, aliquid ſtetit; hoc ab altero moueri. hoc autem cum manifeſtum factum ſit; neceſſe eſt omne, quod mouetur, moueri ab aliquo.* Plato vero, inquit, *Quod ſemper mouetur, Immortale eſt, quod vero aliud mouet, ab alioque mouetur; cum terminum habeat motus, terminum habet, & vita; ſolum ergo, quod ſeipſum mouet, quia numquam ſe deſerit; numquam ceſſat moueri.*

Secundo ea, quæ eſt ex vi, & ratione principij, tali pacto. *Quod à ſe ipſo mouetur, non ſolum, quia numquam ſe deſerit, numquam ceſſat moueri; immo vero, & alijs quæcumque mouentur, id fons, & principium eſt mouendi. Principium autem, ſine ortu eſt, ex principio enim neceſſe eſt, quicquid generatur oriri, ipſum autem ex nullo; nam ſi principium oriretur, ex aliquo, ex principio vtique non oriretur, cum vero ſit abſque ortu, & abſque interitu ſit, neceſſe eſt. Nam ſi principium interiret, neque ipſum ex alio, neque ex ipſo, aliud naſceretur, ſiquidem ex principio omnia oriantur oportet.* Huic vero, ad ſimilem omnino ſententiam, apud Ariſtotelem legimus *1. libro de Phyſico auditu. partic. 42.* his verbis. *Oportet principia, neque ex alterutris eſſe, neque ex alijs, & ex his omnia. & partic. 50. Oportet principia ſemper manere.* At minorem hoc argumento probat. Omne, quod alijs eſt cauſa, vt à ſeipſis moueantur, eſt per ſe mobile; ſed anima eſt huiuſmodi. Ergo anima eſt perſe mobilis. Maior propoſitio eſt euidens, etiam ex regula Ariſtot. *1. Poſteriorum*, propter quod vnum quodque tale, & illud magis, minor autem à Platone probatur, tali pacto. *Omne enim corpus, cui motus extrinſecus incidit, inanime eſt, cui vero intus ex ſeipſo id ineſt; animatum, tamquam hac Anima ſit natura.* Hac eadem ratione arguendi, videmus vſum fuiſſe Ariſtot. *2. Phyſico, cap. 1.*

Digitized by Google

cap. 1. vt ostenderet Naturæ essentiam, & quidditatem, his verbis: *Eorum quæ sunt, alia quidem sunt natura, alia vero propter alias causas. Natura quidem sunt, & animalia, & partes ipsorum, & planta, & simplicia corpora; vt Terra, & Ignis, & Aer, & Aqua, hæc enim, & huiusmodi Natura esse dicimus. Omnia autem quæ dicta sunt, videntur differentia, ab ijs, quæ non Natura existunt, quæ enim Natura sunt, omnia videntur habere in seipsis principium motus, & status. Hæc quidem secundum locum, illa vero secundum augmentum, & decrementum, quædam autem secundum alterationem. Lectus autem, & indumentum, & si quid huiusmodi, aliud genus est, secundum quod quidem fortitum est, prædicationem vnamquamque, & quatenus est, ab arte, ne vnum quidem habet impetum mutationis innatum, quatenus autem accidit ipsis, lapidea, aut terrea esse, aut mixta ex hu, eatenus habent. Tamquam natura sit principium aliquid, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est primum, per se, & non secundum accidens.*

Hæc est demonstratio Platonis, in Phædro, quam tantopere venerata est antiquitas, non solum ex Græcis, verum etiam, ex Latinis, inter quos noster Cicero, qui omnium recte sentientium iudicio, est instar omnium. Quia vero ruditer accepta, & crassa, vt aiunt Minerua; considerata multas patitur calumnias, propterea ipsam, iterum per singulas partes, diligentius expendemus. omnibus recensitis, & adamussim examinatis, quæ ad ipsam eneruandam, vel etiam euertendam, ab alijs afferuntur. Primo autem loco, id quod in maiori propositione, assumptum fuit, examinabimus, dictum enim fuerat. Omne quod à se ipso mouetur, est immortale, quod pariter, ab Aristotele concessum fuit; sed ex Hypotesi, non autem simpliciter, & tamquam absolute verum, volens enim Aristoteles probare, quicquid mouetur, ab alio moueri. ita arguit. *Quod à se ipso mouetur, numquam cessabit moueri, propterea quod aliquid, aliud fietit, quod mouebatur. Necesse est ergo, si quid desinat moueri, eo quod aliud aliquid fietit, hoc ab altero moueri.* Hæc autem argumentatio, est Hyppotetica, in qua demonstratur oppositum, antecedentis facta conuersione, cum contrapositione, vt simplicius inquit, tali pacto, si à se ipso motum, non est necesse quiescere, quia aliud quiescit, ergo quod, necesse est quiescere, quia aliud quiescit, non est à se ipso motum: sed ab alio. Supponit autem hoc argumentum, quod si aliquid moueretur à se ipso, necessario esset indiuisibile, quia non haberet partem, qua quiescente, oporteret quiescere, & ex hoc deducit; vt optime docet, idem Simplicius, quod omne diuisibile, quod mouetur, ab alio mouetur; sed non pro-

pterea affirmat, aliquid à se ipso, posse moueri, quin immo, ex hoc Aristotelis argumento, contrarium deducitur, cum enim dicat; si aliquid à se ipso moueretur, esset indiuisibile, quatenus à se ipso moueretur, & superioribus libris, ab eodem fuerit demonstratum; indiuisibile, non posse moueri. Necessario deducetur, quod nihil possit à se ipso moueri, probandum igitur erit hoc, quod in maiore assumitur, aliquid nempe, posse à se ipso moueri, non autem temere, aut gratuito supponendum, maxime vero, quia Aristotelem, & peripateticos omnes, validissimis rationibus, reclamantes habemus. Vt vero probari possit; Primo, declarandum est, quid motus nomine à Platone intelligatur, & quomodo animam moueri dicat Plato, ne in æquiuoco laboremus. Motus autem, cum dupliciter dicatur, nempe; aut latiori significatione, aut pressiori. Certum est, motum, quo animam per se ipsam moueri, dixit Plato, non esse Motum præ esse, & arctiori significatione sumptum; sed latius, & communiter dictum. Motus enim, qui proprie, & peculialiter ab Aristotele accipitur, est passio continui, quæ non nisi corporibus conuenit; ac propterea definitur ab Aristotele actus entis, in potentia, quatenus in potentia est. Ita vt diuisibilitatem necessario includat in sui essentia, non solum ratione subiecti, in quo fit, verum etiam ratione temporis, cum quo fit, ac generationem, & corruptionem, quæ alioquin competunt composito, Aristoteles inter motus, minime connumerauerit, cum de motu, exacte locutus fuit, eo quod non fiant in tempore; sed in instanti, quo vnum aliquid desse, aliud incipiat esse, & è conuerso.

At vero Motus, qui à Platone accipitur, pro qualibet operatione, siue etiam actione accipitur, quæ etiam indiuisibili competit, & ex consequenti, non modo, in alium transfundi; sed etiam in ipsomet mouente recipi, & produci potest, quod manifeste ostendit *Plato. 10. de legibus*, his verbis:

ATH. *Vniuersa ergo, qua in Cælo sunt, qua in Terra, qua in Mari, suis motibus, anima ducit, quibus nomina sunt; Velle, Considerare, Curare, Consultare, Recte, & non recte opinari, Lætari, Dolere, Audere, Metuere, Odisse, Diligere, & cæteris præterea motibus omnibus, qui horum affines primiq; sunt, qui & secundos corporum motus suscipientes, omnia in augmentum decrementumq; perducunt.* De his, igitur motibus, Plato loquitur; cum dicit Animam, se ipsam mouere, non autem de motu locali; aut augmentationis; vel diminutionis, neque etiam de alterationis motu, qui non nisi corporibus, competere possunt. Sed dicet, aliquis, competere hæc possunt, indiuisibili substantiæ initiatiue, vt dicunt; siue tam-

tamquàm principio, à quo originem habent, non autem ſubiectiue, & in quo recipiantur. Huic vero reſpondemus, huiuſmodi actiones, cum ſint immanentes, non autem tranſeuntes, poſſe in eodem recipi, à quo originem habent, neque obſtat, quod idem, ſecundum idem; ſimul ageret, & pateretur. hoc enim ſequitur, in ijs, quæ diuiſibilia ſunt, non autem, in indiuiſibilibus, quæ ſemper actu ſunt, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ immateriales, quod vt melius declaretur, ſupponendum eſt, propterea non poſſe, idem, ſecundum idem agere, & pari ſimul, ſiue moueri, & mouere, quia non poteſt idem eſſe actu, & potentia ſimul, & ſecundum idem, cum ſint hæc contradictoria, idem enim eſt, ac dicere actu, & non actu, vnumquodq; autem, eatenus agit, quatenus eſt actu, & eatenus patitur, quatenus eſt potentia, vt Ariſtot. placuit; ergo, idem non poteſt, ſecundum idem agere, & pati, nec mouere, & moueri; at vero in ipſis ſubſtantijs indiuiſibilibus, hoc non ſequitur, quia non ſunt compoſitæ, ex actu, & potentia; ac propterea ſemper ſunt actu, ita vt etiam earum operatio, ſit ipſarum ſubſtantia; quēadmodum de Intellectu Agente *3. de anima part. 19. Ariſt. dixit*, quem etiam à materia ſeparatum dixerat. Nullum igitur abſurdum, ſequitur ſi idem à ſe ipſo moueri ſupponatur, eo modo quo aſſumpſit Plato, motu ſcilicet non corporeo; ſed ſpiritali, vt dicunt, & qui etiam indiuiſibilibus competat. Hunc autem motum, neque Ariſtotelem negaſſe indiuiſibilibus, & ſeparatis ſubſtantijs, manifeſtum eſt, ex eodem *in primo libro de cœlo, partic. 100.* vbi ſtatuit extra cœlum, ipſas optimam, & ſufficientiſſimam vitam degere. Quin immo neque Deo Optimo Maximo, quem *12. Metaphyſic. partic. 39.* Optimum ſempiternumq; viuens eſſe, definiuit. Vitam autem hæc, nullam aliam viuere, quam ex Intellectu, & voluntate, certiſſimum eſt. Deus igitur, & ſubſtantiæ ſeparatæ, etiam Ariſtotele confitente, & intelligunt, & volunt, quin immo, & gubernant, & regunt, ita enim de Deo. Idem dixerat *12. Metephyſicor. part. 38. A tali igitur principio, tum cœlum, tum natura dependent.* Bene itaque Plato aſſumpſit, aliquid à ſe ipſo moueri poſſe, his motibus, nec ſolum initiatiue, vt dicunt; ſed etiam ſubiectiue. Hæc de maiori propoſitione. Nunc ad minorem deueniendum eſt, in qua dicitur omnem animam, à ſe ipſa moueri, ita vt ex ipſa, & maiori pariter vniuerſali, affirmatiua, concluſionem vniuerſalem affirmatiuam deducendam propoſuerit Plato; dicens: *Anima omnis eſt immortalis.* Aduerſus dictam propoſitionem minorem, multa inſurgunt, & Primum, ex hac propoſitione, deducitur falſa concluſio, & hoc nō ratione formæ, quia eſt in prima figura, quæ euidenter concludit de neceſ-

necessitate, & in primo modo, primæ figuræ, qui est omnium perfectissimus, quare ratione materiæ, nec ratione maioris, quia monstratum iam est, ipsam esse veram: Restat igitur ratione minoris. Quod autem conclusio sit falsa, manifestissimum est, deducitur enim omnem animam esse immortalem, quare, & Brutorum, & etiam Plantarum. Secundum vero, quia absolute falsum est, omnem animam esse à se ipsa mobilem, quin immo eius contraria est absolute vera, quia nulla anima est, à se ipsa mobilis, neque etiam motu metaphorico, cum nulla vitalis operatio sit ipsius animæ; sed compositi, neque illæ quas supra, ex Platone recensebamus; vt velle, cupere, amare, odisse, consultare, quin immo, nec etiam cogitare, aut addiscere, *vt Aristot. 1. de Anima partic. 64.* dicebat: Adhuc Tertium, quia modus ille, quo dicit animam à se ipsa moueri, est falsus, & impossibilis; statuit namq; animam, ita sibi ipsi, & alijs omnibus esse principium motus, vt ipsa à nullo alio principio dependeat, ab ipsa vero, reliqua omnia, principium habeant, etiam cœlum, & vniuersum, hæc enim post assignatam demonstrationem de anima, subnectit verba; *Hoc autem neque mori, neque nasci potest, alioquin omne cœlum, omniq; generatio concidat, desinatq; necesse est, neque rursus vnquam constare possit, vnde hæc motum nacta oriantur.* Quæ vtique, non nisi primo Enti, & primo rerum omnium principio, Deo Optimo Maximo, possunt tribui.

Addo, quod animam eamdem æternam, non solum à parte post; vt dici solet; verum etiam à parte ante, esse statuit, ingenitam ipsam, & immortalem dicens. quod non modo falsum est, verum etiam, ipsiusmet Platonis doctrinæ aduersatur, qui omnem animam in Timeo genitam facit. His tamen omnibus, si diligenter Diuini Platonis mentem perueſtigemus, non erit difficile respondere; & Primo ad primum dicere possem, quod verissimum est, Platonis propositum non fuisse concludere, ac demonstrare, simpliciter omnem animam esse immortalem; sed tantum Rationis participem, atque intelligentem, cuiusmodi sunt anima cœli, & humana, hoc vero ipse aperte docuit, cum primũ agressus fuit demonstrationem, his verbis: *Oportet autem nos prius, de natura animæ diuinæ, & humanæ affectus, & opera intuentes, vera nouisse hoc vero, demonstrationis huius principium sit.* Diuinam vero animam, cœli animam appellauit, quemadmodum totum cœlum, diuinum corpus etiam Aristot. sæpius dicere consueuit; simpliciter autẽ omnem animam immortalem dixisse, nullo addito discrimine, quia rationalis tantum anima, & intelligens apud Platonem, animæ dicuntur reliquæ autem, vt Brutorum, & Plantarum, potius animationes, quam animæ, vt luculenter

culenter Platonici omnes docent, & Simplicius inter cæteros *8. Phyſicor. comment. 52.* Verum, quia, vt hanc probaret propoſitionem, eo vſus eſt medio, quod omnibus animabus competit, non autem ſoli rationali. Nempe, quia animata, ab inanimis differunt, eo quod à ſe ipſis cieri, ſiue moueri poſſint, quod omnibus animatis ineſſe, certiſſimum eſt, propterea aliam afferemus reſponſionem, quæ etiam prædictam continet.

Accipiendum vero eſt, quod, moueri à ſe ipſo, nequaquam competit vniuoce omnibus animabus; ſed prædicatione, quæ ab vno, & ad vnum dicitur, Analogicam recentiores appellant. Primo etenim, & per ſe competit Rationali, ſiue intelligenti; Secundario vero, & ab ipſa rationali competit reliquis, ſenſitiuæ, & vegetali; vt videre eſt apud *Plotinum lib. 7. Enneadis 4. cap. 14.* Cum enim rationalis anima inſitas habeat rationes, ſiue ſpecies intelligibiles, & libera ſit. poteſt ex ſe ipſa intelligere, & velle, cæteræ autem animæ eatenus, à ſe ipſis mouentur, ſiue in ſeipſis habent initium, vt corpus moueant, non autem à corpore id accipiunt, quatenus à cœlo participatæ ſunt, & vt Plato dicebat, à diuina ipſius anima, quæ cum intelligens ſit, primo à ſe ipſa mouetur, vt dictum eſt, ea igitur ratione, & reliquas animas immortales, Platonem dixiſſe, cenſendum eſt, qua pariter, ipſas à ſe ipſis mobiles. Non autem primario, & ſui eſſentia, à ſe ipſis mobiles: ſed ſecundario, & per participationem, quatenus à cœlo, ſiue ipſius anima, vel anima vniuerſi, quam Plato poſuit, principium, & originem ducunt, non quod ſint partes animæ vniuerſi, quod falſum eſt, non ſolum ex vera Philoſophia; ſed etiam, ex Platonis doctrina, vt bene Plotinus, & Ficinus docent, verum, quia animæ, ex quibus genitæ ſunt, non modo Plantæ; ſed etiam animalia, animaſticum principium à cœlo ducunt; vt etiam *Ariſtot.* placuit *2. de generat. animal. cap. 3.* vbi, & hoc principium, diuinum appellauit. ita vt, etiam *Auerroes 2. de anima comment. 59.* exiſtimauerit animam ſenſitiuam, fieri ab intelligentia, & hac quidem ratione Platonis demonſtrationem à priore calumnia vindicabimus. Quid vero ad ſecundam, qua dicebatur, nullam animam à ſe ipſa moueri poſſe, neque etiam motibus metaphoricis, cum etiam illi motus, quos animæ Plato tribuit, non animæ; ſed coniuncto tribuendos eſſe, Ariſtot. demonſtrarit. Ad hanc dicimus; duplicem eſſe motum, alium qui competit animæ quatenus intellectiua; alium vero, qui illi competit, vt ſenſitiua, vel vegetalis eſt. Anima quoad motum, qui illi competit quatenus intellectiua, ſimpliciter, & abſolute à ſe ipſa mouetur, ita vt nullo indigeat corporis

poris adminiculo, hoc autem est, ipsum intelligere, quod metaphorice; vt sæpius dictum est, motus appellatur, in hoc autem, nihil omnino anima eum corpore communicat, non solum ex Platonis decretis, qui rationes intelligibiles, in anima statuit intelligente, ita vt, nullo ad intelligendum, opus habeat; sed ex se ipsa intelligat. Verũ etiam ex ipsiusmet Aristot. dogmatibus, qui & intellectum Immixtum oportere esse à corpore, vt intelligat, & nullo corporeo, vti organo, & cum eius operatione, nihil communicare actionem corporis, clarissimis verbis pronunciauit. Neque obstat, quod phantasia indigeat, vt speculetur, hoc enim est, ab extrinseco, & satis remotum, vt antea dictum est, & *Aristoteles* idem docuit *2. de anima partic. 59. & 60.* vbi statuens differentiam, inter sentire, & intelligere, inquit, quod sentire fit ab extrinseco, obiecto; speculari autem ab intrinseco, causam vero affert, quia sensus percipit singularia, quæ sunt extra animam. Intellectus vero vniuersalia, quæ in ipsa quodam modo, sunt anima. Non refert, quod dixerit, quodam modo, quasi non vere sint in anima; sed in composito, ob phantasmata, in quibus Intellectus, intelligit vniuersalia, quæ phantasmata, in facultate corporea, & organica sunt; hunc enim sensum, manifeste excluſit *Aristot. 3. de anima part. 6.* dicens, animam esse locum specierum, non totam; sed Intellectum. Sed hoc dixit, ad differentiam obiecti sensibilis, quod non solum habet esse intentionale, quatenus percipitur à potentia cognoscente; sed etiam esse reale, extra animam. Obiectum autem intelligibile, nullum habet, esse reale, & si aliquod habet, illud quodammodo habet in anima, quod idem pariter dixerat *1. de anima, part. 8.* inquiens: *Vniuersale, aut nihil est, aut posterius est.* Præterea, cum Intellectus intelligit se ipsum, non ne à se ipso mouetur? sed quid plura? nonne *Aristot. 3. de anima partic. 19.* sæpius citata, Intellectum agentem, quem *partic. 17.* differentiam animæ esse dixerat, se ipsum intelligere dixit, & adeo intrinsece, vt eius essentiam, eius actionem appellauerit.

Bene igitut à Platone, dictum est, animam rationalem, quantum spectat ad opus intelligendi, à se ipsa moueri, & hoc pariter Aristoteli est consentaneum, si rite accipiatur, vt dictum est. Maxime vero hoc patet, si consideremus actionem volendi, quod facile ex ijs, quæ dicta sunt, in præcedenti Capitulo cognoscemus. Si enim voluntas propositis, sibi contrarijs, obiectis, iucundo, & honesto, quamuis in iucundo; libere tamen eligere potest alterutrum, & eligit, quamuis alterum magis vrgeat, quis negabit; animam, dum vult, & in actu, vt ita dicam, volitionis, à se ipsa moueri. Sed quidnam dicere de intelligere, &,

velle,

Digitized by Google

velle? cum in multis alijs, quæ manifeſte compoſito, tribuenda videntur, anima à ſe ipſa moueatur, vt ſunt; amare, odiſſe. Quotus enim, quiſque hominum eſt, qui expertus non fuerit, vbi duos certantes viderit; aut litibus, aut ludo, aut etiam prælio, & armis, vel quomodolibet, alia occaſione, nullo impulſu, ſæpe etiam nulla ipſorum notitia præcedente: vnum diligere, & illi victoriam exoptare, alterum vero, nequaquam, aut etiam odio proſequi? Hinc fortaſſe arctiſſima, inter aliquos amoris vincula, amoris inquam, non concupiſcentiæ; ſed amicitiæ, quæ nullam certam, aut probabilem ſui cauſam habentia, admirationem nobis faciunt.

Nouit autem etiam Ariſtot. aliquos motus, in anima primum excitari, ab anima vero in corpus redundare. Cum enim *1. lib. de anima*, aduerſus hanc Platonis ſententiam, de motu animæ (male tamen, & perperam acceptam) diſputaret. dixiſſetque, animam non iraſci; ac melius eſſe non dicere, animam miſerari, aut addiſcere, aut cogitare: ſed hominem anima, hæc ſubdit verba. *Hoc autem non tanquam motu in illa exiſtente; ſed aliquando quidem, vſque ad illam, aliquando quidem ab illa, vt ſenſus quidem ab his, remiſcentia vero ab illa, ad motus, qui ſunt in ſenſuum inſtrumentis, aut quietes.* Quibus verbis, perbelle ſuam ſententiam explicauit, quæ cum præceptoris ſententia, minime pugnat, ſi recte accipiatur. Hoc vero, vt clarius explicemus, ſupponere oportet omnes prædictos motus, aut paſſiones (vtcumque libet appellare,) quæ communes ſunt animæ, & corpori, dupliciter conſiderari; ac proinde dupliciter definiri, vt *Ariſtot.* docuit *1. de anima partic. 16. & 17.* formaliter, ſcilicet, aut penes formam, & materialiter, vel penes materiam, vt, cum definimus iram formaliter, illam dicimus eſſe appetitum vindictæ, cum vero materialiter efferueſcentiam ſanguinis, circa cor, vtramque vero, eſſe conſiderationem Phyſicam. Hac ſuppoſita diſtinctione, dico negaſſe Ariſtotelem hos motus, ſiue has paſſiones eſſe in anima materialiter, non autem formaliter quod autem hoc ſit verum, patet ex verbis citatis, inquit enim. *Hoc autem, non tamquàm motu in illa exiſtente.*

Cum enim dixiſſet, non animam iraſci, addiſcere; ac cæteras paſſiones huiuſmodi, pati; ſed hominem anima, hoc eſt totum compoſitum, ex corpore, & anima. Volens declarare, quomodo tribuitur animæ, totum hoc, paſſionum huiuſmodi, & quomodo tribuitur corpori, inquit. *Hoc autem, non tamquam motu, in illa exiſtente.* Materialiter ſcilicet, non enim ira, quatenus eſt efferueſcentia, ſanguinis circa cor, poteſt recipi in anima, cum ſit paſſio corporea. *Sed aliquando, qui-*

Digitized by Google

quidem, vsque ad illam, hoc est terminatiue; *Aliquando quidem ab illa* hoc est initiatiue. Exemplum autem affert de sensu, & reminiscentia, & inquit. *Vt sensus quidem ab his*. Sensatio enim, siue sentire, incipit à corpore, nempe à sensorijs, quæ ab extrinseco obiecto mouentur, & terminatur ad Animam, quia ibi fit perceptio, quæ est formaliter sentire. *Reminiscentia vero, ab illa, ad motus, qui sunt in sensuum instrumentis, aut quietes* Reminiscentia enim, quæ est, cum discursu, & est magis spiritualis, cum sit opus, Intellectus practici, incipit ab anima, & terminatur ad motus, qui sunt in sensuum instrumentis, dum repræsentantur nota phantasmata, sensuum instrumentis, & ad quietes eorumdem, dum suscitantur igniota, ex quibus, cum quodam ratiocinio memoria reuocatur. Non igitur negauit Aristoteles, motus sensationum, aut reliquarum passionum, esse in anima formaliter; sed materialiter tantum, alias quomodo posset sensibilia percipere, vel quomodo sentire, esset pati? Hoc vero clarius, idem Philosophus docuit *2. de Anima partic. 121.* cum inquit, commune esse omnibus sensibus, recipere sensibile, absque materia, quod vtique, nihil aliud est dicere, quam formaliter, hoc autem, primo respicit, animam, cum corpus, non possit recipere, nisi materialiter, & cum materia. Sed obijciet aliquis, assignatam distinctionem inanem esse: quandoquidem, non solum anima recipit, sine materia; sed etiam corpus, cum enim oculus videt albedinem niuis, non recipit niuem; sed albedinem, sine niue, & sic de singulis. huic dicimus, quod etsi non recipitur à sensorio, species sensibilis, cum materia sensibili, in qua est, tamen non recipitur simpliciter, sine materia; quia non recipitur, in sensorio sine medio, in quo est, vt oculus non videt, nec recipit speciem visibilem, nisi aer illuminatus, attingat tunicam corneam, quæ est extima superficies oculi, & ita auditus, non recipit speciem audibilem, nisi medium habens facultatem ὑγρὸν, à Græcis dictam, quæ est communis aquæ, & aeri, attingat pelliculam, in quam disseminatus est, auditiuus neruus, qui est auditus sensorium, & sic in singulis, efficitur sensationibus. Maxime vero, hoc manifestum est, in tactu, quia habet medium coniunctum; ac propterea, necesse est, obiectum corporaliter recipi, ex quo dictus est, tactus, in alijs autem latet, quia sentiunt per medium non coniunctum, hoc est, non continuum; sed contiguum, vt sunt aer, & aqua, oculo; ac pariter instrumento auditus, & olfactus, vtrumque enim ex his, medium est transmictendi. Sensibilia ad dictos sensus, gustus vero, cum sit species tactus, & medium habeat pariter coniunctum, tangendo pariter efficitur, vt

Arist.

Digitized by Google

Aristot. docuit *2. de anima, partic. 114. 115. & 116.* Manifestum est autem hoc; quia non solum corrumpuntur sensus, ab excedentibus obiectis corrupta ipsorum proportione, & harmonia à valido, & corrumpente motiuo, verum etiam ipsorum organa, à materia, & corporibus, in quibus sunt sensibilia, scilicet ab habentibus odorem, aut saporem, vt *Aristot.* dixit *2. de anima, partic. 121.* & experientia testatur, in ijs, qui diutius intuentes ignem, excæcantur, non solum à lumine, verum etiam à siccitate consumpto cristallini humoris humido, vt Mulcassi Tunetanorum Regi factum fuisse à filijs, qui ipsum tamdiu ignitam lancem intueri coegerunt, quamdiu excæcaretur, historici narrant, & in ijs, qui ob validum, & frequentem bombardarum sonitum, surdi fiunt, dissipato auditiuo spiritu, quales ego aliquos noui. Optime igitur dictum est, ab anima, sensibilia, formaliter recipi, ab organo, vero, materialiter, quod optime expressit Aristoteles exemplo ceræ, quæ recipit imaginem insculptam, in annulo, non autem materiam, non quod recipiat imaginem, absque materia, annuli non enim posset imprimi in cera, imago, nisi imprimeretur materia, in qua est insculpta imago; sed quia post impressionem, remanet imago annuli, non autem materia. Ita, & in sensationibus, sensibilia, quamuis non sine corpore, in quo recipiuntur, moueant organa, tamen sine corpore, & materia imprimuntur in anima, quæ est actus organi. Sed iam plus satis, quam opus erat, digressi sumus. Vt vero, eo vnde discedimus reuertamur, vera est allatæ demonstrationis, minor propositio, animam scilicet omnem, esse, per se mobilem, si motu metaphorico loquamur, quod non solum, de sensitiua; sed etiam de vegetali verum est, quæ à se ipsa, corpus, ita vegetat, vt numquam ferietur, & semper in actu, secundo sit.

Quin immo etiam de motu proprie dicto, & locali, ex eiusdem Aristotelis sententia, verum est, omnem animam, vna excepta rationali à se ipsa mobilem esse, hoc autem expresse docuit *8. Physicorum summa 2. capit. 5. particula. 52.* vbi cum statuisset Primum mouens oportere esse prorsus immobile, non solum per se; sed per accidens, vt possit perpetuo mouere, ad differentiam animarum, quæ etsi principium sunt motus, per se immobile, tamen quia mouentur per accidens, non possunt semper mouere, hæc subdit verba. *Non est autem idem moueri, secundum accidens, à se ipso, & ab altero; moueri enim ab alio, & eorum, quæ sunt in cælo, quibusdam principijs ineſt, quæ secundum plures feruntur lationes, alterum autem corruptibilibus solum.* Id autem esse moueri per accidens, à se ipso, particula præcedente docuerat, nempe prin-

principium motus eſſe corpori, ad cuius motum ipſum etiam moueatur. aliquam igitur animam, à ſe ipſa moueri, motu locali, quamuis per accidens, etiam Ariſtoteles affirmauit. Hoc autem animabus corruptibilibus tantum competere, ibidem Ariſtoteles dixit: Rationem vero, ſapienter; vt ſolet, affert in commento ſanctus Thomas, quia nempe, animæ corruptibiles, conſtituuntur ineſſe ab ipſo corpore, quare neceſſe eſt, vt ad corporis, motum moueantur, quamuis, ipſi ſint principium, & cauſa motus, quæ autem animæ, non conſtituuntur, neque pendent in eſſe à corpore, vt ſunt animæ orbium, & humanæ non mouentur per accidens; ac propterea dixit Ariſtot. competere cœleſtibus quibuſdam motoribus, hoc eſt, ſub primo mobili, moueri ſecundum accidens, ab alio, non autem à ſe ipſis, quia, etſi ipſis motoribus orbium, nullo pacto competit moueri localiter, neque per ſe, neque per accidens, cum non conſtituantur in eſſe, ab orbibus; ac propterea non mouentur ad motum orbium, tamen competit ipſis moueri; ſecundum accidens ab alio; quia mouentur ipſorum orbes ab alio, nempe à primo mobili. Ex his vero, ita colligimus veritatem noſtræ propoſitionis. Anima rationalis mouetur per ſe, motu metaphorico, ſiue incorporeo, à ſe ipſa, vt iam probatum eſt, quale eſt intelligere, & velle; anima autem irrationalis, nempe ſentiens, & vegetans, mouentur motu corporeo, & locali, à ſe ipſis, quamuis per accidens; nam etiam augmentatio, quæ ex Ariſtot. attenditur penes formam, non penes materiam, eſt motus localis, cum ſit ad differentias loci. Ergo omnis anima, à ſe ipſa mouetur. Hoc autem, ita intelligendum cenſeo, quod ſupra etiam dictum fuit; vt per ſe moueri, primo competat Rationali animæ, quēadmodum ipſa proprie eſt anima, ex Platonis placitis; ſecundario autem reliquis animæ ſpeciebus, quæ rationalis animæ dicuntur vmbræ, & veſtigia. & hæc ſatis ad minoris propoſitionis explicationem, atque defenſionem. Nunc ad reliqua deueniendum, quæ pro calumnia afferuntur, & primo ad id, quod dicebatur animam; ita à Platone dici principium, quaſi non ſit à principio, ſtatuit enim ipſam, ſi interiret, à nullo alio poſſe oriri principio, & ſi ceſſaret, omnia ceſſatura, omne namque cœlum, omnemque generationem concidere, neceſſe eſſet. Reſpondemus, nullum ſequi ad Genuinum Diuini Platonis ſenſum inconueniens. Cum enim omnis anima, quatenus anima eſt, ad corpus referatur, non ſolum ex Ariſtotelis doctrina, verum etiam, ex Platonis Placitis, quamuis namque videantur pugnare inuicem, quod Ariſtoteles omnem animam, non modo, quoad operationem tantum; ſed etiam, quoad eſſe, corporis

formam,

Digitized by Google

formam, & perfectionem dixerit, Plato vero, non omnem; sed rationalem exceperit, tamen in hoc vterque ipsorum conuenit, quod anima omnis, quantum ad operationem, corpus respicit; & si neque in omnibus operationibus, vtatur corpore; vt est ipsum intelligere, & ita tam Plato, quam Aristoteles, animam actum corporis dixerunt; Aristoteles informantem omnem; Plato vero, non omnem; sed aliquam assistentem, vt puta rationalem. Inde sequitur, omnem animam esse primũ principium, quo mouetur corpus; ita vt, ipsa ab alio principio simili, hoc est, quod in corpore sit, non oriatur, neque oriri possit, hoc vero, de omni anima, accipitur à Platone, quatenus includit animam Mundi, siue cœli, à qua animæ brutorum, & vegetaliũ originem ducunt, communicato seminibus, à cœlesti corpore principio genitali. Non tamen propterea sequi dicendum est, animam ita esse principium; vt non sit simpliciter à principio. Cum anima apud Platonem in Timeo, à summo Deo originem habuisse dicatur, vt ab opifice, & inter cæteras rationalis, cum reliquarum productione, dijs iunioribus hoc est, intelligentijs demandasset.

Veluti autem Aristot. quamuis mundum ingenitum, primo de cœlo ostendisset, non tamen illum eumdem duodecimo Metaphysico. à Deo Optimo Maximo, pendere negauit. Sic, & Plato, quamuis, ita animam esse principium motus, dixerit, sibi ipsi, & reliquis; vt ab alio principio animastico, principium non ducat; tamen ipsam à primo rerum omnium principio, originem ducere, non negauit. Postremæ vero obiectioni, qua dicebatur Platonem sibi ipsi contradicere, hic, & in Timeo, vbi statuit animam genitam, hic vero ingenitam possem dicere, vt nuper dictum est, alio modo, hic, & ibi, loquutum fuisse, ibi enim, de ea generatione, quæ est simplex emanatio, absque motu, vel mutatione, hic autem de ea, quæ est, de non esse, ad esse, cum motu, & mutatione, loquutum fuisse; sed melius, cum Proclo dicendum censeo, existimasse Platonem, & mundum ingenitum, & animam, tum Mundi, tum hominum ingenitam, quemadmodum ex proposita demonstratione deduxit; neque propterea, sibi contradixit in Timeo, ibi enim cum Sistema vniuersi enarrare sibi proposuisset; ita omnium initia, & causas prosequutus fuit; vt si genitus aliquando fuisset; ita, & non aliter generari potuisse, dicendum foret, non autem, quod rei veritate aliquando, aut Mundum, aut animam, genita fuisse existimarit; hoc vero inde coniector, quia ipse non solum in Timeo animam, mundi, corpus præcelliſſe; statuit, verum etiam in phedro, animas humanas, ante ipsarum corpora, innumera annorum serie

per sidera, dispositas fuisse docuit, quod tamen, falsissimum est, & iure merito, in Quinta Synodo generali, inter errores Origenis, ab Ecclesia sancta damnatum. Sed iam satis, superque in hac Platonis demonstratione immorati fuimus, quæ si rite accipiatur, vt dictum est, validissimum erit, pro immortalitate argumentum, quod fortasse etiam à priori demonstrat, cum principium immortalitatis, tamquam medium terminum assumat, nempe à se ipso moueri, quod est causa perennis operationis, & incessantis. Nunc opere pretium est, ad alterum, quod polliciti fuimus, argumentum ex eodem in Phedone desumptum deuenire: Quod paucis omnino prosequemur; cum nimis in longum, iam nostra Oratio sit producta. Socrates in Phedone, cum longa inductione demonstrasset, vnum contrarium, non esse alterius contrarij susceptiuum, ostendit etiam, quod neque, id quod intrinsece; & necessario consequitur vnum contrarium, ab altero contrario, potest suscipi. Hoc probato, alterum accipit, tamquàm omnibus compertum, & manifestum, animam semper inducere vitam cum ex ratione sui intrinseca, & essentiali, hoc habeat; vt vitam afferat corporibus, quibus inest, quare veluti anima, cum sit causa vitæ, non potest suscipere ideam, & speciem sui contrarij nempe; vt sit causa mortis, quemadmodum, neque albedo, potest suscipere ideam, & rationem nigredinis, aut caliditas, frigiditatis; ita neque potest suscipere, illud quod consequitur naturam, & essentiam sui contrarij, quia hæc etiam sunt contraria. Anima igitur, numquam poterit suscipere mortem, cum ad eius essentiam consequatur vita, quæ est contraria morti. Ergo anima est immortalis. Hanc rationem, quamuis non ita euidenter efficacem existimauerit Socrates, vt illi necessario acquiescendum sit, vt patet ex postremis ipsius verbis, tamen si diligenter, quæ in ipsa, assumptæ sunt, propositiones considerentur, vt idem admonet, maximam, & ipsa, vim, atque efficaciam habere reperietur: Certum enim est, quod vnum contrarium, alterum non suscipiet, nec minus ea, quæ ad ipsa sequuntur, nisi alia sit, ipsis subiecta natura, quæ vicissim vtraque suscipere contraria; ac substinere possit, quemadmodum *Aristot.* docuit *1. de Physico auditu partic. 51. & 53.* at vero anima, ex materia non constat. tum ex Platonis, tum etiam ex Aristotelis sententia, cum enim nulla forma, ex materia sit composita, quanto minus anima, quæ est formarum omnium præstantissima? Anima igitur omnis, indissolubilis est, cum ex materia, non constet, & corruptionis incapax: cum non sit susceptiua contrarij, nempe priuationis, quæ est causa interitus, & cum materia semper reperitur, quare formam,

Digitized by Google

formam, neque generari, neque corrumpi, veluti neque materiam, ſed ex vtraque compoſitum, ſtatuit *Ariſtot. 12. Metaphyſico. cap. 3. & 8. Phyſico. partic. 46.* Animas non generari, neque corrumpi, pariter determinauit. Sed ſtatim aliquis dictis obijciet, inanem; ac friuolam eſſe rationem. Non enim ex his deducitur, animam ſemper manere, quemadmodum de ceteris formis, & reliquis animabus, præter rationalem, compertum eſt, quod non manent; ſed intereunt, quamuis non per corruptionem, de qua Ariſtot. & Plato loquuntur. Nihil enim refert, ſiue ita, ſiue aliter eſſe deſinant, modo tamen deſinant, formæ autem omnes huiuſmodi, quamuis non corrumpantur, deſinunt tamen eſſe, ad corruptionem compoſiti, & de animabus corruptibilibus, loco citato Ariſtot. dixit deſinere eſſe, & incipere eſſe, non tamen per corruptionem, & generationem.

His omnibus reſpondemus, dicentes eſſe aliquid materiale, aut immateriale ſumi dupliciter; aut enim eſſe materiale, dicit in ſui eſſentia, & quiditate includere materiam; vt materia, ſit eius pars eſſentialis, & ita, nulla forma, neque ſubſtantialis, neque accidentalis, materialis dicitur, cum omnis forma in ſuo eſſe ideali, & abſtracto, ſit ſimplex, & omnes formæ, ita acceptæ ſunt incorruptibiles, non ſolum formæ ſubſtantiales, quæ non habent contrarium; ſed neque formæ accidentales, quandoquidem, ſine materia, non poſſunt pati, vt optime docuit *Ariſtot. 1. de ortu, & interitu, partic. 55.* his verbis: *Si eſſet aliqua ſeparata caliditas, hæc nihil vtique pateretur.* Aut eſſe materiale, dicit inherere materiæ, & pœnes, ſuum eſſe à materia dependere, aut tamquàm eius perfectio, aut tamquàm accidens, & ita omnes formæ, non ſolum accidentales; ſed etiam ſubſtantiales, quæ non ſemper manent, materiales appellantur, quia cum materia, & ſubiecto, veluti incipiunt eſſe; ita etiam deſinunt eſſe. Pariter etiam immateriale, aliquid dicitur, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid. Simpliciter immateriale eſt, quod neque in ſui eſſentia, & quiditate admittit materiam, & eſt ſimplex, neque penes ſuum eſſe dependet à materia, talis autem eſt ſubſtantia ſimpliciter immortalis: ſecundum quid vero immateriale eſt, quod quamuis ex materia, non ſit compoſitum, tamen eſt in materia, & penes ſuum eſſe, à materia dependet, vt diximus, & hoc ſecundum quid, mortale eſt, & corruptibile; nempe ratione ſubiecti, in quo eſt, & ita pariter generabile. Quibus ſuppoſitis, bene Plato, ex eo, quod poſuit nullum contrarium, penes ſui ideam eſſe alterius contrarij ſuſceptiuum, deduxit omnem animam eſſe immortalem, omnis enim anima, hac ratione eſt immortalis. Quomodo verò cum

Digitized by Google

animæ brutorum, & plantarum sint mortales, simul cum corpore, in quo sunt, sola rationalis, siue intelligens, sit mortalitatis expers, cum iam antea declarasset, noluit iterum recensere, paulo autem antea, tum ex eo, quod animus à corporis passionibus non vincitur; sed potius illas vincit, tum etiam ex eo, quod præexistit corpori, quod patere ait, ex disciplinis, quas reminiscimur, non autem de nouo addiscimus. Animam rationalem, à corpore, nequaquã pendere fusius demonstrauerat, quod etiam Aristoteles noster docuit, ostendens illam esse à corpore prorsus immixtam, & nullo corporeo vti organo. Et hæc satis pro meis viribus, ad declarandam animi nostri immortalitatem, non solum ex Aristotelis sententia, & dogmatibus, verum solo naturæ lumine; ac ductu, quæ quantum momenti habeant cæterorum erit iudicium. Æqui bonique consulant reliqui, nec me spernant, qui fælicius hanc prouinciam agredientur. Scio, æquidem complures alios, viros primarios, non minus docte, quam copiose, disputationem, hanc prosecutos fuisse, & absoluisse è quorum libris, multa potuissem confarcinare; sed malui meis vestitus plumis populari plausu carere, quam alienis ornatus Æsopicus Graculus rideri. tandem vero disputationem hanc, quantum pertinet ad ea, quæ dicta sunt, ijs claudere visum est, verbis, quibus Socrates vsus fuit, post hanc eandem disputationem, quam cũ Simmia, & Cebbete habuerat. Cum enim interrogatus fuisset Simmias, an ne aliquid aliud dicendum haberet aduersus ea, quæ pro immortalitate adducta fuerant, respondisset q; his verbis. *Atqui, nec ego (inquit Simmias) habeo quicquam, quo minus superioribus assentiar rationibus, verumtamen rei ipsius, qua de agitur magnitudinem, & humanam imbecillitatem considerans, cogor intra me dictis nondum acquiescere*, Socrates illi, minime ob hoc infensus, ita respondit. *Quin immo, & hæc bene dicis Simmia, & positiones prima, quamuis fide, vobis digne videantur, diligentius tamen censiaeranda, atque si illas sufficienter, vt arbitror susceperitis, hanc sequemini rationem (quantum fieri ab homine potest) quod si hoc ipsum fuerit manifestum, nihil vlterius perquiretis.* Hæc vero, mihi Philosopho Christiano, magis libere eloqui licebit, qui in hac astruenda veritate, humanarum rationum certitudinem, minime necessariam existimo. Superiore diuino lumine, non dicam melius disposítus; sed melius, ac certius persuasus, quam si essem sciens.

An Intellectus sit hominis forma; ita vt tribuat esse, & intrinsece hominem constituat, vel potius illi assistat, vt motor, & largiatur operationem tantum.

Caput XIIII.

HVC vsque pro animi immortalitate, non solum ex Aristotelis sententia (qui fuit primarius noster scopus) verum etiam ex naturæ principijs, circumscripto superiori lumine, astruenda, quantum fuit in nostris viribus laborauimus. Nunc longe difficilius agrediendum est opus, maioris moliminis, & industriæ, & eo periculosius, quo veritati, falsitatem inuolutam habet, eamque non sensibus plaudentem; sed Rationi pernicioſissime insidiantem. Constito enim quod humanus Intellectus, sit immortalis, adhuc duo supersunt dubia adeo obscura, & difficilia; vt doctissimorum, quotquot extiterunt, & adhuc extant, torserint ingenia, & adhuc torqueant, nisi melioribus instructa dogmatibus adiuuentur. Vnum est, si Intellectus est immortalis, an sit in homine, tamquam eius forma, & perfectio intrinseca, quam Latini disputantes formam informantem dicunt: siue tribuentem esse, an potius tamquam motor, & perfectio operationem tantum tribuens, non esse, vt Nauta Naui. Hanc vero dubitationem, tamquam antiquissime controuersam, proposuit *Arist. 2. de anima partic. 11.* dicens: *Amplius autem immanifestum si sit corporis actus anima, sicut nauta nauis*, Alterum autem est, si Intellectus est immortalis, & tantum corpori assistens: An sit vnus in omnibus hominibus, vel potius, singulis, sint Intellectus singuli attributi. Hoc vero, & si nequaquam, apud Aristotelem, neque ipsius præceptorem, Platonem fuerit controuersum, qui manifeste, & apertissime singulis hominibus, singulas animas tribuerunt. Aristoteles enim adeo, propriã singulis animantibus formam, animam censuit; vt eam nouo, & inusitato vocabulo Entelechiam appellauerit, quod perfectionem, à perfectibili, inseparabilem significat, & quamuis Intellectum ab hac communi lege immunem dixerit, tamquam alterius generis facultatem, immixtam, & inseparabilem; tamen quia particulam animæ existimauit, ipsum etiam actum, & perfectionem intrinsecam; qua viuens in specie, & in numero constituitur, est opinatus, eumdemque

principium, quo intelligimus dixit, ex quo liquet, eum ſingularem ſingulis hominibus Ariſtotelem tribuiſſe, vt paulo infra fuſius oſtendemus. Plato vero adeo numerabiles animas exiſtimauit, non dicam brutorum; ſed hominum, vt eas antequam corporibus infundantur, per ſingula aſtra diſpoſitas, & à corporibus ſeparatas, poſt ſeculorum curricula, ad eadem redeuntes diſertis verbis, & rationibus, in phædro oſtenderit. Quin immo, ne apud peripateticum quemquam, aut Ariſtotelis interpretem, ex veteribus tamen, & genuinis, hoc figmentum vnitatis animæ, aut Intellectus repertum fuerit; vt optime animaduertit Albertus vere; ac iure merito dictus Magnius, in opuſculo de vnitate Intellectus contra *Auerroem cap. 5.* his verbis: *Nec inuenitur aliquis de peripateticis antiquis, qui hæc dixerit*: quod autem Auerroes hanc opinionem Themiſtio tribuit, & Theophraſto; ac Eudemo Ariſtot. auditoribus, falſum eſt; vt luculenter monſtrauit Sanctus Thomas, aureo illo opuſculo, de Vnitate Intellectus contra *Auerroem cap. vltimo*, & nos Deo dante proceſſu Sermonis pluribus oſtendemus. Nec minus falſum ſit, hanc opinionem fuiſſe Simplicij, aut alicuius Græci expoſitoris; vt aliqui auctoritate Auerrois, aut eodem quo Auerroes errore decepti exiſtimarunt. Tamen, quia hoc grauiſſimum offendiculum, ita ab Auerroe inuectum fuit; vt in eo maior peripateticorum pars, quæ poſt ipſum extitit periclitata ſit, vtrumque ex ipſis diſcutiendum; ac diligenter examinandum, in medium proferemus; ac primo, primum, An Intellectus ſit forma hominibus, in exiſtens, tamquam perfectio intrinſeca, & vſia; ita vt, illis non modo operationem; ſed etiam eſſe, tribuat, & largiatur; vel potius ipſis tamquam motor aſſiſtat, principium operationis exiſtens, non autem eſſentiæ, vt Nauta Naui.

Viſum autem eſt, quam plurimis Viris Doctiſſimis, & grauiſſimis, hæc neceſſaria quadam connexione inuicem ſequi, formam ſcilicet aliquam eſſe; vt dicunt, informantem; vel tribuentem eſſe compoſito, & ab eodem eſſe inſeparabilem. Hoc vero potiſſimum deſumunt ex Ariſtotele, qui cum *2. de anima partic. 2.* ſubſtantiam diuiſiſſet, in formam, materiam, & compoſitum ex ipſis; atque materiam dixiſſet potentiam, formam appellauit actum, cum autem actus inſeparabilis ſit à potentia cuius eſt actus, ergo forma quæ eſt actus inſeparabilis eſt à materia, cuius tamquam potentiæ, eſt actus, quod autem actus inſeparabilis ſit à potentia, cuius eſt actus, manifeſtum eſt; nam veluti potentia non habet vt ſit, niſi ab actu; ita actus non habet, vt exiſtat, niſi à ſubiecta potentia, quam perficit, aliàs

ex

Digitized by Google

ex actu, & potentia, non constitueretur vnum per se, cum ex duobus entibus absolutis, & completis, non possit constare, nisi aggregatum, quod per accidens compositum, & conflatum dicunt. Id multis prosequutus est Aristot. declarare de anima, quam statuerat esse corporis formam. Et Primo, quia esse, inseparabile est, ab eo, cuius est esse, cum Ens, & vnum conuertantur; sed esse est ab actu, & forma, quia cum multipliciter dicatur esse, & vnum; quod proprie est, actus est; ergo forma inseparabilis est ab eo, cuius est forma. Præterea Ratio, & quiditas alicuius rei, inseparabilis est ab eo, cuius est ratio, & quiditas. hoc autem est euidens, quia corrupta ratione, & quiditate, amplius non dicitur talis res, nisi æquiuoce, & improprie; vt patet, tum in artificialibus, tum etiam in naturalibus, si enim à securi auferatur ratio secandi, & incidendi, non erit amplius securis, nisi improprie, & æquiuoce; ac pariter ab oculo auferatur, ratio videndi erit improprie, & equiuoce oculus; vt marmoreus, vel depictus; sed anima est ratio, & quiditas corporis animati; quia pariter se habet anima, ad corpus animatum; ac acies ad securim, & visus ad oculum. Vnde si securis esset animal, acies esset eius anima; & si oculus esset animal, visus esset ipsius anima: ergo anima est inseparabilis ab eo, cuius est anima. Ex his vero Aristoteles; nouo; vt Cicero dixit vocabulo, animam ἐντελέχειαν appellauit, hoc est perfecti habiam; vt Hermolaus Barbarus ex Themistio vertit; vel potius, vt Philoponus interpretatus est, *2. de anima comment. 1.* ab ἓν, quod est, vnum, & τέλειον, quod est perfectum, & ἐνέχειν, quod est continere, quasi vnum perfectum continens, quæ certe vocabuli proprietas, ab Aristotele peculiariter adinuenta Naturam animæ inseparabilem significat, cum intrinsecum terminum motus, siue intimam perfectionem dicat, quæ proculdubio inseparabilis ab eo, cuius est perfectio censetur. Quapropter Aristoteles *2. de anima partic. 10.* cum ante statuisset animam esse actum primum corporis, Physici, Organici, potentia vitam habentis, subdit. *Non est autem, quod abiecit animam potentia existens, vt viuat; sed quod habet*; vt innueret, ita coniunctam esse animam cum corpore, cuius est anima, vt quamuis corpus animatum, dicatur potentia vitam habens, tamen ita dicitur potentia; vt sit potentia coniuncta cum actu, scilicet primo, veluti enim corpus, quod abiecit animam, non dicitur potentia vitam habere, ita & illud, quod nondum habet animam; vt est semen, non dicitur potentia vitam habere, nisi remote, quod autem actu habet animam, dicitur proprie potentia vitam habere, & huius corporis actum, Aristoteles dicit animam. His ra-

tionibus ductus Alexander Aphrodisæus libro suo 1. *de anima cap. 3 & 4.* docuit omnem animam esse à corpore inseparabilem. His etiam permoti Sanctissimi viri; Gregorius Nissenus, libro de Anima, & Resurrectione; & Gregorius Nazianzenus, Oratione prima de Theologia; & Iustinus Philosophus, & Martir, Oratione Parenetica ad gentes, existimarunt; Aristotelem putasse, omnem animam mortalem, etiam humanam. libet autem Iustini verba recensere. *Plato clamat, omnem animam esse immortalem, Aristoteles Entelechiam eam nominans, non immortalem censet; sed mortalem.* Aut igitur dicendum erit, ex Aristotelis sententia, animam esse mortalem: si ipsam informantem dicimus, aut si ipsam immortalem statuamus; vt iam ante probatum fuit, ipsam eamdem non amplius informantem; sed assistentem tantum, quod non minus Aristoteli, & veritati repugnat, dicere cogemur. Difficultatem vero auget maxime; Aristoteles, qui hac in re varie, & inconstanter, vbique videtur loqui, cum enim 12. *Metaphysicorum partic. 16.* dixisset formam simul esse cum eo, cuius est forma 2. *de generat. animal. cap. 3.* dixit Intellectum extrinsecus aduenire, & ita negauit esse formam, cum aduenire supponat præexistere, & eodem loco 12. *Metaphysico.* Intellectum posse, post compositum manere pariter affirmauit, quod de forma, & actu passim apertissime negauit; eum forma sit substantia incompleta, nec possit sine materia existere; ac propterea 2. *de anima partic. 21.* dixit Intellectum aliud animæ genus videri; & hoc separari posse, tamquam perpetuum à corruptibili, & 2. *eodem lib. cap. 1.* cum dixisset, omnem animam esse Entelechiam, corporis Physici Organici, potentia veram habentis proindeque inseparabilem. *partic. 11.* subdit. *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis nata est, non immanifestum est, quarumdam enim actus partium est ipsarum. At vero quasdam nihil prohibet, propterea quod nullius corporis sunt actus. Amplius autem immanifestum, si sit corporis actus anima, sicut Nauta Nauis.*

Per partes vero separabiles, Intellectum significasse nemini dubium est, quem propterea separabilem dixit, quia nullius corporis est actus. aperte igitur de Intellectu dixit, ipsum non esse alicuius corporis actum, quin immo, & de tota anima immanifestum; ac dubium esse pronũciauit, an sit actus corporis, vel potius motor tantũ, vt Nauta Nauis; at vero de Intellectu, vbique locorum Aristoteles sibi concors est, nam & 2. *de generat. animal. cap. 3.* cum eius actione, nihil communicare actionem corporis dixit; ac propterea extrinsecus aduenire, & 1. *de anima partic. 93.* difficile esse etiam fingere, quam partem

corpo-

corporis occupet Intellectus, & *3. de anima part. 6. & 7.* esse immixtum, & inorganicum, & separabilem à corpore, quæ omnia manifeste repugnare videntur formæ, quæ intrinsece constituat, & tribuat esse corpori; ac propterea, Plato, qui certissime fatetur, animam esse immortalem, ipsum nequaquam esse partem constituentem corpus, & formam existimauit, quemadmodum Aristot. sed tamquam motorem tantum corpori assistere, vt Nauta Naui; quare, & in Alcibiade, primo, hominem esse tantum ipsius animum dixit, non autem conflatum ex corpore, & animo, quod pariter in Phedone confirmauit, & in Cratilo corpus τόσωμα, hoc est sepulchrum dicens; eo quod in ipso, tamquam in sepulchro; vel in carcere anima claudatur. Hanc sententiam fuisse etiam antiquissimorum Peripateticorum, quam plurimi existimarunt, vt puta Theophrasti, & Eudemi, Aristotelis auditorum; postea etiam Simplicij; sed potissimum Themistij, qui disertis verbis Aristotelis sententiam fuisse, quod homo sit Intellectus agens, *3. de anima cap. 38.* docuit: Intellectum vero agentem esse idem, re, cum possibili existimauit. Ipsam vero potissimum tutatus est Auerroes, multis in locis; ac præcipuè *3. de anima*, in magna digressione *comment. 5.* & eodem libro *comment. 20.* Ita vt opinatus fuerit, hominem non constitui, nec habere esse vltimum, & individuale ab Intellectu; sed ab imaginatiua, quam vocat cum Aristotele, Intellectum passibilem, siue passiuum; quin immo, neque esse specificum; ita enim inquit citato *commento 20.* in fine. *Et per istum Intellectum, differt homo ab alijs animalibus, & si non, tunc necesse esset, vt continuatio Intellectus agentis, & recipientis, cum animalibus esset eodem modo.* Quod si homo per Intellectum passiuum, qui est imaginatio, differt à cæteris animalibus, ergo per Intellectum passiuum, & imaginationem constituitur non solum in esse numerico; sed etiam specifico, quia homo per suum esse differt à cæteris animalibus, non solum inesse numerico; sed etiam inesse specifico, quod diligenter est aduertendum, contra aliquos Auerrois asseclas, vt infra fusius monstrabimus. Hæc in priori dubio, quæ post constitutam animi immortalitatem, magnum faciessunt negotium, multamque afferunt difficultatem. Quibus non obstantibus certissime statuendum est, non solum ex vera Philosophia, vt sancte decreuit Concilium Viennense; sub Clemente V. & Concilium Lateranense vltimũ, sub Leone X. Sessione 8. Verum etiam ex genuina Aristotelis sententia, animam rationalem, & intellectiuam; ac proinde etiam Intellectum ipsum, esse veram hominis formam, tribuentem esse, & informantem, vt dici solet, eamdemque immortalem, & separabilem, vt

iam

iam ante, ex Aristotele probatum fuit, Ac primo id Aristotelis auctoritate monstrabimus, qui 2. *de anima*, cum tradidisset communem illam, atque vniuersalem animæ definitionem, qua dixerat: animam esse Entelechiam corporis, Physici, Organici, potentia vitam habentis; atque ex ea deduxisset omnem animam esse inseparabilem, aut quasdam ipsius partes, si partiri possit, cum aliquas separari posse non sit absurdum, quia nullius corporis sunt actus; pariterque determinasset, de intellectu, quod non eadem ratione se habet, cum cæteris animæ partibus, quæ ratione tantum, non autem loco sunt inuicem separabiles; sed videtur aliud animæ genus esse, & hoc separari posse, sicut perpetuum à corruptibili, tandem definitionem propriam, & specialem cuiusq; animæ dicturus, cum præfatus fuisset, id quo viuimus, & sentimus dupliciter sumi; vel tamquam principium, quo viuimus, & operamur; vel tamquam principium, quod viuit, & operatur, concludit dicens: *Anima autem idest, quo viuimus, & sentimus, & monemur, & intelligimus: Primo*, ex his vero deducit. *Anima vtique ratio quædam erit, & forma; sed non, vt materia, & subiectum*. Præsuppositio igitur, quod Intellectus non sit actus inseparabilis; sed separabilis, præsuppositio, quod sit aliud genus animæ, & hoc separabile; vt perpetuum à corruptibili, adhuc illum in animæ definitione concluserit, non minus; ac vegetatiuum, & sensitiuum, quin immo & eundem esse principium, quo primo intelligimus, quemadmodum, vegetatiuum, quo primo viuimus, & sensitiuum, quo primo sentimus asseruit. ex quo, ita arguo. Intellectus est principium, quo primo intelligimus, ergo Intellectus est forma informans, non autem assistens. Probatur sequela; nam si Intellectus esset forma assistens tantum, & non informans; tunc nos non intelligeremus primo; sed Intellectus, qui est in nobis, primo intelligeret, nos autem secundario, nempe, quia Intellectus, qui in nobis est, intelligeret, quemadmodum, neque Nauis, primo intelligit; sed secundario, quia Nauta, qui intelligit est in Naui; quare, & merito, ex hac definitione, deduxit Philosophus, animam esse rationem quamdam, & formam. hoc est formam informantem, quod melius in Lectione Græca exprimitur, quam in hac eius versione, quæ ita habet ὥστε λόγος τις ἂν εἴη καὶ εἶδος ἀλλ' οὐχ ὡς ὕλη καὶ ὑποκείμενον. Hoc est, *Ita vt ratio quædam sit, & species; sed non vt materia, & subiectum*. Quæ verba. si ita legantur cum superioribus, adeo apertum Aristotelis sensum referent, vt nullus amplius relinquatur dubitandi locus, tali enim pacto se habent. *Anima autem idest, quo viuimus, & sentimus, & monemur, & intelligimus, primo. Ita vt ratio quædam sit, & species; sed non,*

vt

vt materia, & ſubiectum. Animaduertendum autem eſt, quod illa particula ὑδος vertenda eſt: ſecundum propriam ſignificationem, ſpecies, atque ita clarior erit ſenſus. Species enim ſumitur, pro forma informante, & tribuente eſſe, quemadmodum eſſe ſpecificum, ſumitur pro eſſe ſubſtantiali, & intrinſeco. Præterea, ſi Intellectus eſſet forma, aſſiſtens tantum, & non informans; tunc eſſet vna ex intelligentijs, quod vltro concedit Auerroes multis in locis, & potiſſimum *3. de anima comment. 5.* his verbis: *Et hoc neceſſe eſt, in omni intelligentia abſtracta, & ſi non, non eſſet multitudo in formis abſtractis*. Ad hoc autem multa ſequuntur abſurda, contra Ariſtotelis doctrinam. & Primum, Intellectus humanus, non eſſet poteſtate omnia intelligibilia, neque eſſet veluti tabula agrapha, vt Ariſtot. docuit *3. de anima*, probatur ſequela; Primo, quia intelligeret ſe ipſum, vt cæteræ intelligentiæ. Secundo, quia intelligeret, alias intelligentias ſuperiores, quod Auerroes coactus fuit affirmare *3. de anima comment. 5.* dicens: *Et iſte Intellectus recipiens, neceſſe eſt, vt intelligat Intellectum, qui eſt in actu*. Tertio, quia oporteret habere aliquas rationes intelligibiles inſitas, vt dicebat Plato, vt poſſet ex ſe ipſo intelligere, veluti enim ex ſui natura, nullum haberet reſpectum ad corpus, niſi accidentalem, vt illi aſſiſteret, tamquam motor; ita, neque quoad ſuam propriam operationem, quæ eſt intelligere; ac propterea habitum principiorum inſitum, & coæternum in hoc Intellectu; Auerroes ſtatuit, loco citato *3. de anima*, in digreſſione *5. commenti*, dum inquit: *Neceſſe eſt, vt Intellectus materialis non ſit denudatus à principijs naturalibus, communibus toti ſpeciei humanæ, ſcilicet primis propoſitionibus, & formationibus ſingularibus communibus omnibus. Hæc enim intellecta, ſunt vnica, ſecundum recipiens, & multa ſecundum intentionem receptam, ſecundum igitur modum, ſecundum quem ſunt vnica neceſſario ſunt æterna*. Quæ omnia quantum ſint abſurda, & à dogmatibus Ariſtotelis aliena, non eſt opere pretium demonſtrare, cum id omnibus; vel leuiter in Peripatetica doctrina verſatis, apertiſsime ſit manifeſtum. Vnum tantum non prætermittam, quod vltimo loco attulimus, de habitu principiorum, quem intellectui inſitum, & coæternum Auerroes dixit (quod certe mirandum eſt, quo pacto non fuerit animaduerſum, ab homine Ariſtotelis ſtudioſiſſimo, & qui omnium accuratiſsime, eius Logicam totam eſt interpretatus; & in Poſteriora Analitica, talia conſcripſit Commentaria, vt magna fuerint appellata). Sententiam hanc validiſsime, & diſertiſsime, tamquam falſam fuiſſe ab Ariſtotele confutatam *lib. 2. poſteriorum Analiticorum cap. vltimo*, vbi oſtendit inductione à ſenſibus accepta, in nobis habitum prin-

principiorum fieri, non autem natura esse insitum, cum sit absurdum, nobis ingenitum esse habitum aliquem, nec intelligi. Secundum vero absurdum est, eo quod Intellectus non esset potentia animæ, cuius contrarium legimus apud Aristotelem, non solum loco citato, vbi dixit animam esse principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primo; sed etiam tertio de anima *part. 1.* vbi dixit, Intellectum particulam, siue partem animæ, cum nulla intelligentia possit esse pars, aut potentia animæ. At vero omnium maxime absurdum, non modo contra Aristotelis; sed contra omnium Philosophorum, quin immo contra omnium hominum sententiam, sequetur, hominem non constitui per Intellectum, neque esse rationalem, neque esse præditum alia anima, quam sensitiua, neque differre a Bestijs, cæterisque alijs ratione orbatis animalibus.

Hæc autem omnia, non erit difficile demonstrare, fatetur enim Auerroes, *3. de anima comment. 5. & 20.* & alijs quam plurimis in locis, hominem cogitatiua constitui, tamquam vltima differentia, non autem Intellectu, & nulla alia præditum esse anima, quam sensuali, cum cogitatiuam imaginatiue gradum, & speciem esse non neget, neque per aliquid aliud, quam per hanc ipsam à reliquis animalibus differre. His autem omnibus aduersantia Aristotelem decreuisse certissimum est, qui intrinsecum hominis principium existimauit Intellectum, dicens ipso animam humanam intelligere, & sapere, hoc est esse principium intelligendi, *De parte autem animæ qua anima intelligit, & sapit. 3. de anima partic. 1. & 2. de anima cap. penultimo, & vlt.* iuxta vulgatam Auerrois partitionem, hoc est à *partic. 150. vsq; in finem.* contra Empedoclem, & Homerum inuehitur, qui idem existimabant sapere, & sentire, & multis argumentis ostendit imaginatiuam differre, non solum ab Intellectu; sed etiam ab opinione, & apertissime eodem loco *partic. 152.* ex hoc statuit inter sensum, & Intellectum differentiam, quod sensus inest omnibus animalibus intelligere autem paucis, & nulli inest, cui non insit, & ratio, & statim infra sequenti particula differentiam statuit inter sensum, imaginationem, & Intellectum, his verbis. *Imaginatio enim aliud est, & à sensu, & à ratiocinatione.* Quare aduersus Auerroem, ita arguo. Homo constituitur per imaginatiuam, ergo homo non constituitur per Intellectum, probatur sequela, quia vnumquodque constituitur ineesse ab vltima forma; si igitur vltima forma hominis; vt existimauit Auerroes, est imaginatiua, & imaginatiua, non est intellectus; vt iam ex Aristotele ostendimus, ergo homo non constituitur ab Intellectu, ergo homo non est rationalis,

lis, eatenus enim dicitur rationalis, quatenus Intellectu præditus eſt. Dicere autem hominem non eſſe rationale animal, nemo hucuſque hominum, ne dicam Philoſophorum eſt auſus, præter Auerroem, & eius aſſeclas. Neque ſatisfacit, quod aliqui ex ipſis impudenter dicunt, hominem rationalem appellari à propria imaginatiua, quæ eſt apta nata, parere rationi; ac propterea differt ſpecie ab imaginatiua Brutorum, quod ſignificauit Auerroes 3. *de anima comment. 20. in fine* his verbis: *Et per iſtum Intellectum differt homo ab alijs animalibus, & ſi non, tunc neceſſe eſſet, vt continuatio Intellectus agentis, & recipientis, cum animalibus eſſet eodem modo.* Excluſit enim aperte Ariſtoteles hunc ſenſum *lib. 1. moralium cap. vltimo*, quo ex loco hanc doctrinam ſibi ſunt mutuati. Vbi cum partem animæ concupiſcentem, aliquo pacto Rationis participem ſtatuiſſet. Duplicem rationalem commemorat, vnam quæ proprie, & in ſe rationem habet; alteram vero, quæ talis dicitur, quia rationi obſequens eſt, vt is, qui dicto patris eſt audiens, quare, & duplex virtutis genus proponit, vnum intellectiuum, vt ſapientiam, perſpicaciam, & prudentiam. Alterum vero morale, vt liberalitatem, & temperantiam, hæc autem ſunt eius verba: *Quod ſi dicendum eſt, hanc quoque partem rationem habere, duplex erit ea, quæ rationem habet, altera enim propriè, & in ſe eam habebit, altera ita; vt is, qui dicto patris, audiens eſt virtus quoque; ſecundum hanc differentiam diſtinguitur, nam alias ex ipſis intellectiuas, alias morales dicimus, ſapientiam, perſpicaciam, & prudentiam intellectiuas, liberalitatem, & temperantiam morales. Cum enim de moribus loquimur, non ſapientem, aut perſpicacem: ſed manſuetum, aut temperantem aliquem dicimus. Laudamus etiam ſapientem ex habitu, habitus vero laudabiles, virtutes appellamus.* Ex quibus patet nequaquam hominem dici rationalem ab imaginatiua, quæ eſt apta nata parere rationi; vt perperam ipſi exiſtimarunt; ſed à ratione, & Intellectu, qui proprie illi ineſt, hoc eſt tamquam principium intrinſecum, & ſubſtantiale, ex quo non magis dicuntur humanæ, virtutes morales, quam intellectuales, quod fieri nequaquam poſſet, ſi Intellectus homini tantum aſſiſteret, neque illi vt principium intrinſecum, & formale ineſſet.

Sequitur etiam ad hanc Auerrois ſententiam, hominem nulla alia præditum eſſe anima quam ſenſuali, ſi enim homo conſtituitur per cogitatiuam, cum cogitatiua, ſit quædam imaginatiua, & imaginatiua intra ambitum ſenſitiuæ contineatur, Sequetur hominem nulla alia præditum eſſe anima, quam ſenſuali; quemadmodum, & reliqua animalia Bruta, quare homo non differet à cæteris animalibus brutis, penes rationale, & irrationale, cum vltima forma hominis ſit cogitatiua,

tiua, quæ proculdubio, differt ab Intellectu, & ratione ex Aristotele locis nuper citatis, hoc autem sponte confessus fuit Auerroes loco sæpius allato *3. de anima comment. 20.* dicens: per cogitatiuam differre hominem à cæteris animalibus, quare ex eius sententia, non magis differret homo ab equo, quam equus, ab asino: quod quantopere sit absurdum, declarare non est opere pretium, hoc enim, non nisi stultus, vnquam poterit affirmare; ita vt de his talia dicentibus propheticum illud, rei veritate vsurpari possit. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quare hominis definitio, non erit, animal rationale, vt hucusque Philosophi omnes statuerunt; sed animal irrationale, cum vltima differentia sit loco formæ, ratio autem, & Intellectus ex Auerroe, non est hominis forma, est autem forma cogitatiua, quæ vtique, neque est ratio, neque Intellectus.

Redarguunt etiam manifestissime positionem hanc, Aristotelis verba *2. de generatione animalium cap. 3.* paulo post principium, vbi enarrans ordinem, quo gradus animæ in genitis embrionibus acquiruntur, hæc habet verba: *Ergo animam in ijs, haberi vegetalem palam est; sed quamobrem, eam primum haberi necesse sit. ex ijs quæ alibi de anima disseruimus apertum est. Sensualem etiam, qua animal est, tempore procedente recipi, & rationalem, qua homo, certum est, non enim simul, & animal fit, & homo, nec animal, & equus, eademque, in cæteris animalibus ratio est, finis enim postea contingit, proprium autem est finis cuiusque generationis. Quamobrem de mente etiam, quo nam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant quæ principium, id participant plurimum dubitatur.* Quibus sane, luculenter demonstrat, rationalem animæ gradum, & non cogitatiuum esse vltimam hominis differentiam, quin immo Intellectum esse formam hominis informantem, non assistentem, inquit enim, rationali, hominem constitui, in, esse hominis, & eandem esse terminum generationis, quo, nihil clarius pronunciari potest; Illa enim proculdubio forma essentialis est, alicuius rei, qua aliquid constituitur in esse suo vltimo, & completo, quatenus tale est; sed huiusmodi dicit esse rationem, & mentem, in homine, ergo mentem, seu Intellectum formam hominis essentialem, & informantem statuit, non autem cogitatiuam; vt perperam Auerroes existimauit. Neque vero frigida, Achillini, Antonij Mirandulani; Buccaferrei; Hieronymi Pontani, & aliorum Auerrois tutelarium responsio, ipsi esse poterit adiumento, quin tot grauia, & absurda, quæ deduximus, non incurrat incommoda. Vanissimum enim est, quod statuunt, hominem quatenus homo est,

con-

Digitized by Google

conſtitui per Intellectum, hoc eſt, in eſſe ſpecifico. quare, & Intellectum formam informantem totam ſpeciem humanam, dicunt; ac proinde ab ea inſeparabilem; ſed cum illa pariter æternam: At vero quatenus ſingularis, puta, Socrates, aut Callias, & in eſſe numerico, ſiue indiuiduali, conſtitui per cogitatiuam. Cum, eſſe ſpecificum, non ſit diuerſum ab indiuiduali, quamuis peculiari quadam ratione dicitur indiuiduale, quatenus ſcilicet, choarctatum eſt in materia, & certis eiuſdem conditionibus determinatum, vnde ſpecies dicitur totum in indiuiduis, non autem indiuiduorum, & eſſe ſpecificum dicitur finis, & terminus generationis, quæ proculdubio eſt ipſius compoſiti, & indiuidui, vt ex Ariſtotele verbis, paulo ante citatis eſt manifeſtum, quare non eſt aliud ſecundum rem, eſſe indiuiduale, & eſſe ſpecificum, quod clare etiam docuit *Ariſt. 2. de anima part. 7.* his verbis: *Vnum enim, & eſſe cum multipliciter dicatur, quod proprie eſt, actus eſt*, expreſſe ſignificans, ab actu & forma non haberi, niſi vnum, & idem eſſe, quod, idem ſit, ſpecificum, & numericum; ac propterea paulo ante, dixerat non oportere quæri, cur ex forma, & materia fiat vnum. Patet igitur vaniſſimam eſſe Auerrois defenſionem, & Auerroi fauentium fugam, de duplici eſſe, ſpecifico, & indiuiduali; nec minus chimericam eſſe opinionem, quod Intellectus informet ſpeciem, & non indiuidua. Præterea, duplex eſſe, non eſt niſi à duplici forma, vnius autem compoſiti vnica eſt forma, puta cuiuslibet hominis, qui ſit ſub humana ſpecie, ergo in nullo homine poterit conſiderari duplex eſſe, ſpecificum ſcilicet, & indiuiduale. Hieronymus Pontanus, in Romana Schola, prædeceſſor meus *lib. 7. de immortalitate anima* (quod opus, poſthumum, cum eſſem Iunior, Cardinalis Sanctæ Seuerinæ iuſſu, Ego imprimendum curaui) *cap. 7.* reſpondens ad hoc argumentum, inquit. Nullum ſequi incommodum, ſi in vno compoſito, duæ ſunt formæ, quarum vna ſit incompleta, ſiue tribuat eſſe incompletum, altera vero completa; vt in homine, cogitatiua tribuit eſſe incompletum, quia ordinatur ad intellectiuam, quæ tribuit eſſe completum; ſed parcat mihi vir doctus, ipſe, ſibi, & Auerroi contradicit; nam paulo ante dixerat eſſe ſpecificum, tribui ab Intellectu, indiuiduale autem à cogitatiua; ergo cogitatiua complet intellectiuam, quia eſſe indiuiduale, ſuperuenit eſſe ſpecifico, tamquam minus vniuerſale, quemadmodum eſſe ſpecificum, ſuperuenit eſſe generico, prius enim eſt eſſe animal, quam hominem. præterea contradicit Auerroi, qui dicebat per cogitatiuam differre hominem, à cæteris animalibus; ſed homo differt à cæteris animalibus, penes eſſe ſpecificum,

& nu-

& numericum, ergo, tam esse specificum, quam numericum, est à cogitatiua, ergo cogitatiua dat esse completum, non autem incompletum, cum esse incompletum sit à forma generica, vt Aristotel. 8. *Metaphysic. decreuit*. Quod vero Auerroes inquit, Intellectum vniri homini, mediante cogitatiua; quia Intellectus, intelligit species intelligibiles, in phantasmatibus, siue cum phantasmatibus, repræsentatis sibi à phantasia; hoc nihil refert, vt homo dicatur intelligens, veluti enim paries, non dicitur videns, quamuis colores, qui in eo sunt, repræsentent oculo species visibiles. Ita homo non dicetur intelligens, quamuis phantasmata, quæ in eius phantasia sunt, repræsentent intellectui, species intelligibiles; sed ab Intellectu diceretur potius intelligibilis; quia in se haberet materiam obiecti intelligibilis, veluti, & paries, à coloribus dicitur visibilis; vt docte arguit S. Thomas in opusculo, de vnitate Intellectus, contra Auerroem *cap. 3. & 1. parte summæ quæst. 76. artic. 1.*

Quin immo sequitur ad hanc sententiam, Intellectum nullatenus coniungi, & copulari cum homine, neque etiam ratione obiecti; vt arguit Albertus Magnus, in opusculo, de vnitate Intellectus, contra Auerroem *cap. 5. ratione 29.* Intellectus enim Agens, cum abstrahit species intelligibiles à phantasmatibus, illas collocat in Intellectu, non autem in cogitatiua, quod expresse docuit Philosophus *3 de anima*, cum dixit: animam esse locum specierum, non omnem; sed Intellectum, quare si Intellectus nullo pacto copulatur, cum homine nisi extrinsece, & vt motor tantum; species intelligibiles, quæ sunt in Intellectu nullo pacto pertinent ad hominem, neque ad ipsius animam, hoc autem est destruere totam Philosophiam. vt idem Albertus docuit, neq; enim scientiæ, & habitus speculatiui, erunt in anima hominis; sed in Intellectu, qui non est forma hominis; sed quædam intelligentia, neque habitus actiui, & ad virtutem spectantes, erunt in homine, cum hi pariter sint habitus Intellectus, quamuis practici, quare, neque in homine erit liberum, quod proculdubio ad rationem, & virtutem superiorem spectat; sed spontaneum tantum, quemadmodum in Brutis, & ita in actionibus humanis, neque erit vitium, neque virtus, neque homo felicitatem vnquam consequi poterit, neque ciuilem, & actiuam, neque contemplatiuam, cum vtraque ad rationalem animam pertineat; vt Philosophus *1. moralium cap. vlt.* decreuit; Ratio autem, siue Intellectus, homini intrinsece non vniatur. Et quamuis contemplatiuam operationem, seu vitam, præstantiorem esse, quam homini conueniat, Philosophus dixerit *10. ethicor. cap. 7.* ac homini non conue-

nire,

Digitized by Google

nire, quatenus homo eſt; ſed quatenus in ipſo, diuinum quid ineſt. propterea tamen non negauit, hoc homini competere, ex principio intrinſeco, & formali, cum infra ſequenti capite felicitatem contemplatiuam, humanam pariter appellauerit; ſed eam homini, nequaquam propriã eſſe ſignificare voluerit, cum tali vita dij potiſſimum fruantur, & maxime: homines vero eatenus ipſa participant, quatenus diuinum aliquod in ipſis ineſt. Totam igitur, vt Albertus inquit, hæc poſitio deſtruit Philoſophiam, quare non ſolum à Philoſophis, & Sapientibus eſt reijcienda; ac protinus eliminanda, verum etiam à quolibet, qui ſe hominis nomine, dignum reputet deteſtanda. Nunc vero, ea oportunum erit, ſoluere argumenta, quæ initio diſputationis, in contrarium propoſuimus. Et primo, primam rationem conſiderabimus, quæ eſt, baſis & fundamentum totius diſputationis, ea autem huic principio innitebatur, nempe quod omnis forma, quæ dat eſſe materiæ, & informans dicitur, ex Ariſtotelis doctrina, inſeparabilis etiam dici debet à materia, quare & anima cum ſit forma, quæ dat eſſe viuenti corpori, iure merito ab Ariſtotele ἐντελέχια πρώτη, hoc eſt actus primus, ſiue perfectio prima, quæ ratio, & quidditas eſt, inſeparabilis, corporis cuius eſt perfectio, fuit cognominata. Hoc vero principium; vt manifeſte falſum, Ariſtotelis clariſſimis auctoritatibus reijciemus, & primo ex *particula 26. 2. Phyſicorum*, vbi Philoſophus formam aliquam Phyſicam ſtatuit, cuius conſideratio ad Phyſicum, ſeu naturalem pertinet, quia eſt in materia, & perficit materiam, quamuis ſecundum ſpeciem, ſiue ſubſtantiam, ſeparabilis ſit à materia, quare & eius conſiderationem, partim ad Phyſicum, partim vero ad Metaphyſicum ſpectare dixit. quatenus enim in materia eſt, eatenus ad naturalem pertinet, quomodo autem ſe habeat, ſeparabilis, & quid ſit; Philoſophiæ primæ, eſt officium determinare. Hæc autem ſunt, eius verba: *Amplius, eorum quæ ad aliquid, materia eſt, ad aliam enim formam alia materia. Quouſque ergo, Phyſicum oportet cognoſcere formam, & ipſum quid eſt? an quemadmodum medicum neruum, aut fabrum æs, vſque ad aliquid, alterius enim gratia vnumquodque, & circa ea quæ ſunt, ſeparabilia quidem forma, in materia, autem. Homo enim hominem generat, & ſol. Quomodo autem ſe habeat hæc, ſeparabilis, & quid ſit, Philoſophiæ primæ eſt officium determinare.* Sequẽtibus etiam verbis, illas huiuſmodi formas, deſignauit, dum dixit: *Homo enim hominem generat. & ſol*; anima enim hominis, & anima cœli, quamuis ſubſtantia ſeparabiles, tamen, quatenus in materia exiſtentes, hominem generant, præditum anima, pariter ſeparabili, ſecundum ſubſtantiam; ſed in materia, quæ

Digitized by Google

propterea terminus generationis existit, & forma informans, seu Entelechia, & anima quidem solis, vt principium generationis vniuersale, anima vero hominis, vt principium generationis particulare, seu proximum. Præterea *12. Metaphysic. partic. 17.* cum dixisset: Omnem formam simul esse, cũ eo cuius est forma, subdidit, quod nihil prohibet, formam aliquam manere post, veluti animam, non omnem; sed Intellectum. ergo aliquam statuit formam informantem; separabilem, tamen & hanc dicit Intellectum. Amplius *2. de generatione animalium cap. 3.* cum statuisset animam rationalem, esse finem & terminum generationis hominis, quod idem est; ac dicere formam informantem; vt paulo ante monstrauimus, tamen paulo post, eandem extrinsecus aduenire docuit, quod est separabilem esse. Falsum igitur, & à doctrina Aristotelis alienum est, principium, quod initio assumptum fuit; Omnem formam informantem materiam, ex necessitate etiam ab ea inseparabilem, atque corruptibilem fore. Hoc etiam expresse Aristoteles de anima docuit *lib. 2. cap. 1.* vbi cum statuisset, ex eo, quod mõstrauit animam esse formã, & alteram partem essentialem corporis viuentis, omnem pariter animam esse Entelechiam, siue perfectihabiam eiusdem corporis. Tandem, ne quis existimaret, hoc vna, & eadem ratione, de qualibet animæ parte fuisse dictum, atque omnem pariter animam, esse actum, & perfectionem inseparabilem, ab eo, cuius est anima, *in particula 11.* subdit. *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quadam ipsius, si partibilis nata est, non manifestum est, quarumdam enim actus partium est ipsarum. At vero quasdam nihil prohibet, propterea quod nullius corporis sunt actus.* Quibus verbis, & si dicat, quasdam animæ partes, propterea esse separabiles; quia nullius corporis sunt actus, tamen non propterea negat illas, easdem esse corporis formas; sed formas esse statuit, diuersæ, & alterius rationis, cum enim alique, ita sint formæ corporis, vt non solum dent esse, verum etiam accipiant esse à corpore; vel à determinatis partibus corporis, quarum sunt actus; quia ad certas corporis, vel alicuius partis dispositiones sequuntur, vt sunt, nutritiua & sensitiua, proinde sequitur, vt etiam sint à corpore inseparabiles, quasdam vero nihil prohibet separari, eo quod nullius corporis sunt actus, eo modo scilicet; vt à certis alicuius corporis qualitatibus, & dispositionibus, pendeant. cuiusmodi est mens siue Intellectus. cui paulo antea dixerat, ne figmento quidem, posse certam aliquam partem corporis assignari. Neque enim, quia in definitione animæ dictum fuerat, animam esse actum corporis Physici organici, propterea sequitur omnes partes organicos fore

actus,

actus, cum anima partibilis sit Ratione, neque idem æque, omnibus eius partibus sit esse, & aliqua eius pars, alterius etiam generis videatur, vt de Intellectu idem Aristot. dixit 2. *libro partic. 21*. Sed veniamus nunc ad rationes, quibus aduersarij suam sententiam tuentur. Sunt autem rei veritate validissimæ, & difficillimæ, vt soluantur, ex Aristotelis principijs, ita vt, non sit mirum, si viri, etiam grauissimi, ipsis perterriti, falsam, & erroneam sententiam Aristoteli tribuere coacti fuerint.

Præcipua autem ratio, ea videbatur, qua Aristoteles animam formam informantem corporis viuentis; statuit 2. *libro cap. 1*. dum illam esse alteram partem compositi, & actum, & quodquid esse, determinat, ita vt, ex anima, & corpore, vnum per se constituatur, quemadmodum, ex actu, & potentia. ex his vero; multa prodeunt argumenta. & primum. Forma informans, se habet ad subiectum, quod informat; vt actus ad potentiam. probatur maior, quia ex forma informante, & subiecto informato fit vnum per se. Sed Intellectus non se habet ad corpus humanum vt actus ad potentiam. Probatur minor, quia actus se habet ad potentiam, vt perfectio ad perfectibile, non autem, vt perfectum, quare, forma non habet, ex se ipsa esse, vel existere; sed in materia, alias ex forma & materia, non fieret vnum per se. Intellectus vero, habet esse completum, cum sit separabilis. Ergo Intellectus, non est forma informans. Cum hoc pariter argumento, aliud conuenit; quo dicitur, essentialiter competere formæ, quatenus forma est, vniri materie, ergo non potest esse absque materia. Præterea, certæ potentiæ, certus, atque proportionatus, debet respondere actus, si sit informans; non enim, ex quolibet, fit quodlibet, dicebat Philosophus 1. *Physicorum*; sed potentia corporis humani ad animam, est certa potentia, nempe, materialis & corruptibilis, ergo, actus pariter, debet esse materialis, & corruptibilis. Intellectus ergo, cum sit immaterialis, & incorruptibilis, non potest esse actus corporis humani, & forma informans. Cum hoc, coincidunt: duo alia argumenta, proposita à Sancto Thoma 2. contra gentes, vnum *cap. 68*. vbi inquit, quod substantia intellectualis, esse suum materiæ corporali, communicare non potest; quia diuersorum generum, diuersus est modus essendi, & nobilioris substantiæ, nobilius est esse, alterum vero *cap. 69*. dicens, formam & materiam, sub eodem genere contineri, Intellectum vero cum sit incorruptibilis, non in eodem genere contineri, cum corpore corruptibili, quod Aristot. docuit 2. *de anima partic. 21*. vbi dixit: Intellectum, esse aliud genus animæ.

Præterea si Intellectus esset forma informans, tunc esset vna substantia cum vegetali, & sensitiua; alias essent duæ formæ informantes, quarum vna alteri non esset subalternata, cum sint diuersi generis, ergo anima vegetalis, & sensitiua, pariter essent immortales, & extrinsecus aduenirent, & non solum Intellectus, vt Aristot. dixit. Vltimo, si Intellectus esset forma informans corpus, tunc esset proportionatus corpori, & ita, haberet naturam determinatam, à corpore, quare non intelligeret omnia, & amplius, reciperet cum corpore, quia esset forma corporis, & ita omnia perciperet singulariter, cum omne receptum, recipiatur admodum recipientis, & hæc vltima argumenta attulit S. Thomas *1. par. quæst. 76. artic. 1.* secundo, & tertio *loco*. Quibus omnibus argumentis, quamuis abunde satis fecerint, Albertus Magnus, & Sanctus Thomas, Philosophorum omnium, grauissimi, & doctissimi, tamen, & nos pro virili, ex Aristotelis germanis principijs, satisfacere conabimur. Præferentibus, tum prædictis, sacris Doctoribus, tum etiam, antiquissimis, Græcorum Peripateticis nobis facem. Singula vero argumenta, nuper vltimo loco digessimus, vt ex recenti ipsorum memoria eorumdem solutio euidentius eluceſcat.

Ad primum vero argumentum, dupliciter respondemus. Primo, ex Aristotelis doctrina: Secundo, etiam ex vera Philosophia. Ex Aristotelis doctrina, concessa maiore, dicimus ad minorem, quod Intellectus dupliciter consideratur, nempe; vt Intellectus, & vt pars animæ; vt Intellectus, eatenus, est quid completum, nec respicit corpus; vt actus potentiam, vt vero est pars animæ, eatenus, est quid incompletum, & respicit corpus; vt actus potentiam. Hanc vero distinctionem, esse Peripateticam. Primo ex Aristotele probabimus, deinde ex antiquissimorum expositorum sententia: Tertio, etiam, ex ratione. ex Aristotele *2. Physicorum partic. 26.* vbi animam humanam, specie, siue substantia separabilem, in materia tamen, & à Physico considerabilem statuit. Hoc autem, non posse animæ humanæ competere, certissimum est, nisi ratione Intellectus, qui, vt Intellectus est, corpore non indiget, cum eius propria operatio, non communicet cum actione corporis; at vero quatenus est homini principium appetendi, & discurrendi; vel etiam cum phantasmatibus intelligendi, oportet, vt sit in corpore. Ostendimus etiam, ex eodem Aristotele 1. de partibus Animalium, *cap. 1.* vbi determinat, ad Philosophum naturalem, non pertinere considerationem de Intellectu; ea potissimum ratione, quia Intellectus non est natura, cum non sit principium motus. Hoc autem totum non, modo erit contra, id, quod attulimus, ex *2. Physicorum*, nempe

ad

ad naturalem ſpectare, conſiderationem, etiam formarum, ſeparabilium, ratione, quatenus tamen ſunt in materia, verum etiam erit abſolute falſum; cum Intellectus non ſolum ſit principium motus, quo intelligimus, ſi motum pro operatione accipiamus, ſed etiam motus propriæ ſumpti; ſcilicet localis, cum Intellectus practicus, huius motus in nobis ſit principium, vt idem Philoſophus docuit, *3. de anima*. niſi hanc ſupponamus diſtinctionem, quod Intellectus aliquando ſumitur; vt Intellectus, abſolute, & ſimpliciter, & ita non ſpectat, eius conſideratio, ad Naturalem, ſed ad Metaphyſicum; ita enim eſt ſeparatus; vel ſeparabilis, & non eſt natura, cum non ſit principium motus in corpore. Aliquando vero ſumitur, vt pars animæ, & ita eius conſideratio ſpectat ad naturalem, cum ſit forma in materia, & tunc etiam eſt natura; ac principium motus, cum ſit Intellectus practicus, qui eſt Intellectus coniunctus cum ſenſu, & operans cum ſenſu, vt in vtroque loco, ſibi vndique concors Ariſtot. loquitur, *2. Phyſicorum*, & primo de partibus. Atque ita, cum S. Thoma, in opuſculo, de vnitate Intellectus, contra Auerroem, & prima parte ſummæ *quæſt. 76.* in reſponſione ad primum. Præciſe, ad minorem argumenti, qua dicebatur Intellectum nequaquam ſe habere ad corpus; vt actus ad potentiam, quia Intellectus, eſt actus completus.

Reſpondemus, quod Intellectus, non quatenus Intellectus, ſe habet ad corpus, vt actus ad potentiam, ita enim, non eſt actus corporis; ſed quatenus, eſt pars animæ; vt ipſum Ariſtot. accepit *3. de anima partic. 1.* dicens: *De parte autem animæ, qua anima intelligit, & ſapit.* Eatenus enim, Intellectus eſt actus corporis, quatenus eſt pars animæ, quæ eſt forma, & actus corporis, & ita, Intellectus, non eſt actus completus; ſed incompletus, quod optime ſequitur, ſi ſtatuamus diſtinctionem allatam à S. Thoma *3. par. ſummæ quæſt. 65. art. 2.* in reſponſione ad primum, videlicet; eſſe completum ſumi dupliciter, vno modo, prout diſtinguitur, contra inhærentiam accidentis, & formæ materialis, & ita verum eſt, Intellectum eſſe actum, ſiue ſubſtantiam completam. Alio autem modo, quatenus diſtinguitur contra imperfectionem partis, & ita dicimus Intellectum eſſe actum incompletum, cum ſit pars animæ; ac propterea Ariſtoteles, Intellectum, nunquam animam; ſed partem animæ appellauit. Hanc vero doctrinam, apud antiquiſſimos Peripateticos legimus. Apud Philoponum *2. de anima*, in expoſitione *11. partic.* his verbis: *Sic igitur, & anima rationalis, velut ea, quæ ſeparabilem ſubſtantiam habet, non eſt Entelechia corporis; vt vero, qua talem, ad corpus habitum ſuſceperit; ſecundum quem, etiam*

anima dicitur (namque anima ad corpus dicitur) & est Entelechia corporis, neque ab eo separatur, nam separata ab eo dimittit illas operationes, quas ex habitu ad illud consequuta fuerat, veluti viuum facere, & illi naturales omnes motus communicare, & si quid aliud tale est.

Et apud Simplicium *2. de anima* in expositione *partic. 4.* tali pacto. *Quod vero separabilis animæ circumscriptiuum, & determinatiuum est, id quidem, & ipsum, non omnino sui est iuris; sed alterius portio enadit, videlicet animæ, at non corporis; sed animæ. Quæ vero anima alterius est, ea omnino est actus corporis, & perfectio, atque huius quidem non omnis, sed naturalis.* Animaduertendum autem est, quod Simplicius quamuis existimauerit cum Aristotele, animæ humanæ aliam partem esse inseparabilem, vegetalem scilicet, & sentientem, aliam vero separabilem nempe intellectiuam, tamen putauit, vtramque esse constituentem, siue informantem, quare putauit Intellectum, partim tribuere esse, & operationem ipsi homini; vt cum est Intellectus practicus, partim vero operationem tantum; vt cum est speculatiuus. Ita vt tota quidem anima informet corpus; sed vna pars, tanquam separabilis; Intellectus, scilicet, altera vero, tanquam inseparabilis, vegetalis; vt puta, & sentiens. Hoc vero expresse docuit Simplicius, in fine citati commenti, his verbis: *Vna igitur est tota animalis anima; sed ea est, quæ seiunctam, & mouentem, & vtentem habet partem, alteram vero partem extensam, & dilatatam, & illius existentem; vt quæ ipsum determinet.* Sed manifestius etiam docuit Intellectum, quamuis sit separabilis, esse formam informantem eodem *2. de anima* super *partic. 21.* tali pacto. *Quo etiam perspicuum sit, atque manifestum, quod alterum est genere, animæ ipsa ratio: ab illis quæ sunt corporibus inseparabiles, quæ, vt separetur est, apta nata, atque aliquando quidem, vna cum ipsis vnam perficit substantiam, veluti, & cum corpore compositum perficit. Nonnumquam autem, & omnes has secundas deserens.* His autem verbis, duo Simplicius profitetur, vnum, quod Intellectus simul cum vegetali, & sensitiua vnam perficit substantiam. Alterum vero, quod simul cum corpore compositum perficit, quibus nihil clarius, ad hanc rem excogitari potest, quapropter, valde mirandum est, quo nam pacto Simon Portius, & alij quam plures, Simplicio contrariam sententiam impingere ausi sint.

Ratione etiam, hanc esse Peripateticam sententiam, probatur, illa enim est forma informans aliquod compositum, quæ dat vltimam perfectionem illi composito; sed Intellectus, quamuis extrinsecus adueniat, dat vltimum esse, & vltimam perfectionem homini, qua homo est; vt patet ex Aristot. *2. de generat. animalium cap. 3.* sæpius citato.

Ergo

Digitized by Google

Ergo Intellectus, quamuis extrinsecus adueniat, & separabilis sit, est forma informans hominem,& hæc pro prima responsione, ex Aristot. sententia. Possumus etiam, secundum veram Philosophiam respondere cum S. Thoma 2. contra gentes,*cap. 68. & prima parte quæst. 76.* in responsione ad quintum, quod anima intellectiua, cuius vnica est substantia diuersis prædita potentijs, illud esse in quo subsistit, communicat materiæ corporali, ex qua, & anima intellectiua fit vnum, ita quod,illud esse, quod est totius compositi, sit etiam ipsius animæ, & hoc nullum est inconueniens; quia compositum non est, nisi per formam. Scio æquidem,hanc doctrinam fuisse impugnatam à Scoto, in *4. sententiarum distinct. 43. quæst. 1.* & in quolibetis *quæst. 9.* tamen strenue illam tutatus fuit Ferrariensis, quem poterit consulere studiosus Lector 2. contra gentes, in explicatione *68. capitis*, & ita quidem soluta sit prima, & altera ipsi adhærens ratio. Ad secundum vero argumentum pariter dupliciter respondemus. Primo ex Aristotelis sententia: Secundo etiam ex vera Philosophia, ex Aristotele,supposita duplici consideratione Intellectus, quam supra statuimus, vna quatenus est Intellectus, & quo ad eius substantiam, altera vero, quoad eius habitudinem ad corpus, & vt est pars animæ. Dicimus ad maiorem, quod actus debet esse proportionatus potentiæ, & certe respondere potentiæ, tamen quatenus est actus, & certam habet habitudinem ad potentiam, alias non esset adæquatus potentiæ. Sed potentia est materialis, & corruptibilis, ergo actus est materialis, & corruptibilis,quātum pertinet ad id, quod respicit potentiam, & materiam quam perficit, non autem simpliciter, & quoad eius substantiam, nisi secundum substantiam haberet esse à materia, quod non competit omnibus formis, atque ita, non concluditur, nisi quod Intellectus desinit esse quatenus est forma informans, & pars animæ, corrupto corpore, non autem quod desinit esse, & corrumpatur simpliciter: quod vero aliud esse habeat Intellectus, dum est in corpore, & est pars animæ, aliud vero, cum est absolute Intellectus, patet ex eo; quia habet alium modum operandi; dum enim est in corpore, est Intellectus potentia, nec intelligit sine Phantasmatibus,quod illi non competit; vt est à corpore separatus; ac propterea dixerat Philosophus *3. de anima partic. 36. Vtrum autem contingat aliquid separatorum intelligere ipsum existentem non separatum à magnitudine, an non, considerandum est posterius.* Quasi supponens,ipsum separatum à magnitudine, separata etiam intelligere; vt bene deduxit S. Thomas. Hanc vero responsionem,legere est,apud Simplicium *3. de anima* super *partic. 20.* dum explicat illa Aristotelis

verba . *Paſsibilis vero Intellectus corruptibilis* , tali pacto . *cur autem hoc ſolum immortale eſt ? an quoniam ſubiungit manifeſte , paſsibilem Intellectum corruptibilem eſſe ? ſed dubitare poſſet aliquis , quomodo , cum & ille, Intellectus ſit , corrumpitur ſi ; vel ille immaterialis eſt , Statutum namque fuit , omnem Intellectum ſine materia eſſe , & ea quidem ratione quoque , omnem quidem Intellectum , intelligibilem eſſe , at non econuerſo , immaterialem formam, qua ſit intelligibilis , Intellectum eſſe . An paſsibilis Intellectus materialis erat , & poteſtate , & hoc ipſum paſsibilis , & imperfectus Intellectus , id totum exiſtens, quantiſper paſsibilis ſit , & idcirco etiam corruptibilis eſt , quatenus paſsibilis exiſtit .* Sed dicet aliquis , quod etiam ſupra tetigimus, ſi eſſentiale eſt, & intrinſecum formæ , vt ſit perfectio materiæ , quomodo hoc poteſt corrumpi abſque eo , quod eius ſubſtantia corrumpatur ? ad hoc dico, quod corrumpitur ; ſecundum actum, etſi non ſecundum aptitudinem. Quod ſi iterum inſtet , de hac aptitudine ; aut aliquando reducetur ad actum , & ita dabitur regreſſus animarum , à quo Ariſtot. abhorret , aut nunquam reducetur ad actum , quod abſurdum eſt, dicere de aptitudine naturali , ad hoc, pro tempore dicimus , nam fuſius in ſequenti libro reſpondebimus, quod aptitudo naturalis eſt multiplex, alia enim eſt, aptitudo naturalis , alicuius rei , ad aliquam operationem propriam illius rei ; vt aptitudo lapidis ad motum deorſum , alia vero eſt aptitudo naturalis , ad aliquam operationem communem ; vt aptitudo lapidis ad frangendum , vel comminuendum . de aptitudine naturali , ad propriam operationem alicuius rei , abſurdum eſt , quod nunquam reducatur ad actum , tunc enim ſpecies , & quiditas illius rei , eſſet fruſtratoria ; at vero de aptitudine communis operationis non eſt abſurdum ; quia etſi non reducatur ad actum in vno indiuiduo , vel ſpecie , poterit reduci ad actum in alio . Ita pariter in propoſito, cum actus informandi , non ſit proprius intellectui humano ; ſed competat alijs etiam formis , nullum erit abſurdum , ſi infinito tempore poſt mortem , ex Ariſtot. ſententia , non reducatur ad actum; at vero abſurdum eſſet , ſi Intellectus , ſecundum propriam operationem , quæ eſt intelligere; æterno tempore fruſtraretur . Sed melius reſpondent Theologi , ex principijs noſtræ fidei , quod non fruſtrabitur ſemper hæc aptitudo , cum omnes homines , aliquando ſint reſurrecturi . Poſſumus etiam cum Sancto Thoma locis ſæpius citatis 2. contra gentes *cap. 68. & 1. parte quæſt. 76. art. 1.* in corpore , & cum Alberto Magno, libello , de natura , & origine animæ *cap. 3. & 5.* non ſolum ex Ariſtot. doctrina ; ſed etiam ex vere Philoſophiæ principijs reſpondere , negando maiorem prædicti argumenti , in qua dicebatur actum debere

eſſe

Digitized by Google

esse proportionatum, & adæquatum potentiæ, tanquam falsam; vt enim præcisis verbis Sancti Thomæ vtar. *Quanto forma est nobilior, tanto magis dominatur materiæ corporali, & minus ei immergitur, & magis sua operatione; vel virtute excedit eam, vnde videmus, quod forma mixti corporis, habet aliam operationem, quæ non causatur ex qualitatibus elementaribus, & quanto magis proceditur in nobilitate formarum, tanto magis inuenitur virtus formæ, materiam elementarem excedere, sicut anima vegetabilis plusquam forma elementalis, & anima sensibilis, plusquam anima vegetalis. Anima autem humana, est vltima in nobilitate formarum: vnde intantum sua virtute excedit, materiam corporalem, quod habet aliquam operationem, & virtutem, in qua nullo modo communicat materia corporalis, & hæc virtus dicitur Intellectus.*

Hæc Sanctus Thomas, quorum omnium certissima principia, & demonstrationem videre est, apud Albertum Magnum, loco citato, quæ nolui huc transferre, ne aliorum verbis meum opus excresceret. Hac eadem solutione pariter respondetur alijs duobus argumentis; adiunctis. & Primum primo, in quo dicitur, non posse Intellectum communicare, esse suum, materiæ corporali, cum sit diuersi generis, & diuersorum generum, diuersus sit modus essendi, potest responderi. iuxta primam responsionem: ex doctrina Aristotelis; quod Intellectus, non tribuit esse simpliciter materiæ corporali, quinimmo, neque esse animatum, sine alijs formis materialibus: scilicet vegetali, & sensitiua, quæ sunt eiusdem generis; sed simul cum illis, & hoc est esse substantiale, cum sit vltima forma, qua constituitur homo, in esse hominis, ad quam vegetalis, & sensitiua se habent, tanquam potentia, & vice materiæ, ad ipsum actum; neque obstat, quod sint formæ diuersi generis, vt inuicem subalternentur, nam quamuis Intellectus; secundum substantiam, sit immaterialis, tamen quatenus est pars animæ, est forma in materia, & est terminus generationis compositi materialis, atque ita, sunt in eodem genere, & propterea Aristoteles, Intellectum, non excluſit à consideratione Physica; vt dictum est supra, & fusius dicemus infra, in propria disputatione: ex hoc etiam patet solutio ad secundum. Verum hæc ex Aristotelis sententia, dicta sunt, qui ex duplici substantia, tum materiali, tum etiam immateriali, humanum animum constare existimauit. Cum autem hæc sententia falsa sit, & erronea; vt fusius suo loco monstrabimus. Propterea, aliter, & vere, cum Sancto Thoma, vtrique argumento respondemus: & ad Primum dicimus, nullum esse inconueniens, si forma immaterialis tribuat suum esse materiæ corporali, at non eodem modo; sed

diuerso

diuerso, pro diuersa sui natura, atque conditione; non enim tribuit materiæ corporali, vt sit forma immaterialis; sed vt sit recipiens, & subiectum, ad aliquid altius eleuatum, cum tamen ipsius substantiæ intellectualis, esse, sit tamquam principij, & secundum propriæ naturæ congruentiam.

Ad secundum vero dicimus, cum Aristotele, in prædicamentis capite de substantia, & cum S. Thoma 2. contra gentes *cap. 69.* falsum esse, quod assumitur in argumento, scilicet, formam & materiam esse sub eodem genere; forma enim, & materia, non sunt sub eodem genere, tamquam species eiusdem generis; sed reducuntur ad idem genus; vt sunt principia constituentia speciem, quæ est sub illo genere. hoc autem expresse docuit Philosophus, qui in Categorijs capite, de substantia, sub genere substantiæ, non constituit, nisi substantias primas, & substantias secundas; de forma autem, & materia nullam habuit mentionem, quia non continentur sub Categoria, nisi, vt sunt principia substantiæ; ac propterea bene inquit S. Thomas, quod substantia intellectualis, & corpus, quæ seorsum existentia, essent diuersorum generum species, prout vniuntur, sunt vnius generis, vt principia. Ad aliud quoque argumentum, in quo dicebatur, si Intellectus esset forma informans, tunc esset vna substantia, cum vegetali, & sensitiua, & tunc vegetalis, & sensitiua pariter essent immortales, & extrinsecus aduenirent. Respondemus etiam cum Sancto Thoma, in opusculo, de vnitate Intellectus contra Auerroem; dupliciter. Primo, ex sententia Aristotelis, negando priorem sequelam; patet enim ex verbis Aristotelis, quod ipse hoc indeterminatum reliquit, vtrum Intellectus differat ab alijs partibus animæ, subiecto, & loco; vt Plato dixit, vel ratione tantum. Tamen si detur, quod sunt idem subiecto, sicut verius est, nec ad hoc inconueniens sequitur, dicit enim Aristot. in *2. de anima*, quod similiter se habet ei, quod de figuris, & quæ secundum animam sunt, semper enim in eo, quod est consequenter, est potentia, quod prius est, in figuris, & animatis; ad probationem vero consequentis, dicimus, vt etiam antea dicebamus, quod nihil impedit formas diuersi generis, esse inuicem subalternatas; nam quamuis sint diuersi generis; secundum substantiam, tamen quia sunt principia vnius substantiæ, quæ est sub tali genere, eatenus etiam, & ipse dicuntur eiusdem generis, vel dicendum; vt subiungit S. Thomas, quod quamuis trigonum separatū à tetragono, est alia species, tamen vt est potentia in tetragono, non est alia, ab illo species. Ita & sensitiua; ac vegetatiua, quamuis separata ab intellectiuo, sint alia species animæ

tamen

Digitized by Google

tamen coniunctæ, cum intellectiuo sunt idem specie, & substantia, quod si quis instet, aliam esse rationem, nam trigonum, & tetragonum differunt tantum specie; at vero sensitiua, & intellectiua differunt plusquam genere, cum vna sit mortalis, altera vero immortalis. Respondetur, falsum esse, quod differãt plusquam genere; immo quod differant genere, nam quamuis videantur differre, vt vna est mortalis, altera vero immortalis, genere, & plusquam genere, tamen non differunt; quia saltem in hoc communicant genere, quia vtraque concurrit ad constituendã speciem, quæ est sub eodem genere; quare optime concludit S. Thomas, quod veluti trigonum, & tetragonum, si essent diuersæ species à diuersis agentibus productæ, haberent diuersas causas suæ productionis; trigonum autem, quod esset eadem species, cum tetragono haberet eandem causam suæ productionis. Ita sensitiuum, & vegetatiuum distinctum specie ab intellectiuo, habet diuersam causam suæ productionis, non autem sensitiuum, & vegetatiuum coniunctum cum intellectiuo, & idem specie. Hoc vero nullum habet inconueniens; quia effectus superioris agentis, habet omnes virtutes, quas habet effectus inferioris agentis, & aliquid amplius, quare forma intellectiua, quæ est effectus superioris agentis, habebit omnes potentias animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, quæ producitur ab inferiori agente, & aliquid amplius hoc est potentiam intelligendi. Ad alia vero duo vltima argumenta respondet S. Thomas *1. parte quæst. 76. art. 1.* ad quartum; negando consequentiam, nam quamuis anima humana, sit forma informans, & actus corporis; tamen Intellectus, qui est eius facultas, nó est actus corporis, & ita, nõ determinatur à corpore, nec fit ab ipso singularis, ad cognoscendum. Verum, quia aduersarij suam ipsorum opinionem, etiam auctoritate fulciebant, Eudemi, Theophrasti, Simplicij, & Themistij: præter antiquissimam Platonis auctoritatem, propterea dicimus, quod falsum est, ipsorum assumptum nullus enim ex prædictis, putauit Intellectum, non dare esse homini, & quidem quantum ad Platonem attinet: Eius sententiam, ex grauissimis Platonicis, fusius explicabimus in sequenti: quoad Simplicium, & Philoponum; clare ostendimus, iam ipsos contrarium sensisse, idem etiam sequenti capite, de cæteris recensitis monstrabimus. Quod attinet ad auctoritatem Nisseni, Nazianzeni, & Iustini Martyris, facit pro nobis, quia ipsi affirmarunt Aristotelem, statuisse animam humanam, esse formam informantem, quamuis negemus consequentiam inde ab ipsis deductam, quod propterea existimarit Aristot. animam mortalem. dicimus vero, vt alias etiam dicebamus, vel ipsos fuisse de-

deceptos auctoritate Alexandri, celeberrimi inter Peripateticos nominis; vel, quod verius est, in odium gentilis sapientiæ, vt ostenderent primores Gentilium Sapientes, in rebus maximis, turpiter errasse, vt patet ex verbis Iustini, qui circa eandem rem, & Platonem, & Aristotelem reprehendit, & hæc pro disputatione proposita, parcat mihi, oro, studiosus Lector, in re enim, tam ardua, prolixitas vitari non potuit.

An putarint Aristoteles, & antiqui Peripatetici, Intellectum humanum, esse in omnibus hominibus vnum, vt Auerroes existimauit, vel potius, in singulis, singularem, & ad ipsorum numerum multiplicatum. Caput XV.

SVCCEDIT alia, præcedenti affinis, & proxima disputatio Auerroe auctore, non meo tantum; sed grauissimorum Philosophorum testimonio, & validissimis indicijs, vt infra fusius demonstrabimus, in Peripateticam Scholam primum inuecta, de Intellectus humani vnitate; vel multiplici eius substantia, hominibus singulis sigillatim attributa; quam consueto more, & pro suscepto instituto, ad mentem Aristotelis examinabimus, naturalis Philosophiæ limites non egressi. Existimauit Auerroes, ruditer Græcorum disciplinis imbutus, quippe qui, peregrinam immo extorrem sapientiam, barbaris vocibus balbutientem, auserat: Themistij potissimum obscuris verbis, & arcanis sensibus deceptus. Supposito, quod humanus animus, ex duplici constet substantia, vna mortali, scilicet, vegetali, & sentiente, altera, vero immortali, nempe intelligente, vnam esse in omnibus hominibus substantiam intellectiuam, quæ vna ex intelligentijs esset; vltima tamen, & infimi ordinis, quippe quæ non cælestibus orbibus; sed humanis, mortalibus corporibus adesset, at ipsis nequaquam per essentiam; sed per operationem tantum, coniuncta. Hanc vero eandem substantiam ex duabus conflari, vna, quæ se habet; vt materia, quæ cum receptiua sit formarum intelligibilium, quibus omnino caret, Intellectus potentia appellatur, & altera, quæ

se

ſe habet, vt forma, ſiue tamquam lumen, & habitus, & vt ars in artificialibus, efficiens, & de potentia, in actum, educens, quæ Intellectus agens, ſiue actu dicitur. Vtrum vero, hic Intellectus agens, ſubſtantia ſit, re diuerſa ab Intellectu potentia, an vero differat ratione tantum; ex Auerrois ſententia, quamuis apud eius aſſeclas ſit dubitatum, cum æque Intellectum agentem, partem animæ vocet, & Intellectum potentia; vt patet ex digreſſione, quinti commenti, tertij libri de anima. Tamen exiſtimo Intellectum agentem, alterius, & diuerſæ ſubſtantiæ, ab Intellectu potentia Auerroem poſuiſſe; ac Intellectum potentia, eſſe intelligentiam infimam, toti humanæ ſpeciei; vt proprio orbi aſſiſtentem, & ſingulis ſpeciei hominibus. Intellectum vero agentem, eſſe Deum, ſiue primam intelligentiam, qui intellectui potentia, ſiue poteſtate, coniunctus; Intellectum ſpeculatiuum generat; vt clare ipſemet, docuit, loco citato. quod vero Intellectum agentem exiſtimauerit Deum; patet ex eius verbis *3. de anima, commento 20.* prope finem, vbi inquit. *Et nos conuenimus, cum Alexandro, in modo ponendi Intellectum agentem, & differimus ab eo, in natura Intellectus materialis*. Certum autem eſt, vt ipſemet Auerroes dixit, multis in locis, Alexandrum exiſtimaſſe, Intellectum agentem eſſe Deum, Intellectum vero materialem eſſe corruptibilem, & propterea dixit Auerroes, ipſum conuenire cum Alexandro, in modo ponendi Intellectum agentem, & differre ab eo, in natura Intellectus materialis.

Statuit ergo Auerroes, Intellectum humanum, eſſe in omnibus hominibus, vnam ſubſtantiam, non ſolum, quia Intellectus agens, eſt vnus, quod etiam ab Alexandro dictum fuit, verum etiam; quia Intellectus potentia, qui proprie eſt Intellectus humanus, eſt vna quædam ſubſtantia, indiuiſe communicata omnibus, & ſingulis hominibus; ita vt, per ipſam, omnes, & ſinguli intelligant, & ſit vna quædam Intelligentia, omnium infima, toti ſpeciei humanæ, & ſingulis hominibus aſſiſtens; vel, vt aliqui alij Auerrois ſectatores loquuntur, totam humanam ſpeciem informans, ſingulis vero hominibus aſſiſtēs. Hunc vero Intellectum immaterialem, & ingenitum; ac immortalem & impaſſibilem, & immixtum, extrinſecus aduenire, vt Ariſtoteles dixit: Vniri autem ſingulis hominibus; ſecundum actum primum, per propriam phantaſiam, quæ peculiaris eſt homini; ac propterea rationalis dicitur, penes vero operationem, quæ actus ſecundus appellatur, per Phantaſmata, in quibus ſpecies intelligibiles percipit. Rationem vero affert multiplicem, ſuæ huiuſmodi ſententiæ, quam etiam fuiſſe Ariſt. cenſuit, *lib. 3. de anima* in digreſſione cōmenti quinti.

Et

Et primo; Quia si Intellectus humanus multiplicatus est, & numerabilis, ad singulorum hominum numerum, & multitudinem; erit aliquid materiale, aut corpus; aut virtus in corpore, hoc est forma corporea; sed consequens, est falsum, ergo, & antecedens, probatur sequela maior, ex Aristotele *12. Metaphysic. partic. 49.* vbi inquit: *Quacumque multa numero, materiam habent.* Minor autem supponitur, quia iam probatum fuit, Intellectum esse immixtum corpori, & immaterialem, & separabilem. Ergo Intellectus est vnus, & non multiplex ad numerum hominum. Secundo, si Intellectus non esset vnus in omnibus hominibus, tunc esset in singulis singularis; sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Maior sequela est euidens, minor vero probatur ab Auerroe, multipliciter; primo, quia Intellectus esset forma singularis, & tunc esset Phantasma, & intelligibile potentia, intelligibile autem potentia, se habet tamquam obiectum mouens; quia cum fuerit actu intelligibile, mouet Intellectum, non autem; vt subiectum motum. Secundo, quia reciperet intelligibile singulariter, cum omne receptum, recipiatur; secundum modum recipientis, & ita, reciperet se ipsum, quod est impossibile; quia, omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti. Tertio, quia non differret Intellectus à sensu; vel imaginatiua; quia Intellectus intelligeret singularia, quemadmodum sensus, & imaginatiua, existens ipse singularis, vt illa. Quarto; quia res in anima existentes, non differrent à rebus extra animam, cum ambo sint singularia. Præterea, probat tertio, Intellectum non esse multiplicatum; quia, si esset multiplicatus, tunc eadem res intellecta, siue conceptus eiusdem rei, intellecta à diuersis hominibus, esset numero diuersus, & idem specie, vt verbi gratia: equus, Intellectus, à me, &, te, siue conceptus equi, in me, &, te, erit numero diuersus, & idem specie, hoc autem est absurdum, & impossibile; quia tunc duo illi conceptus habebunt, alium conceptum formalem, in quo conueniunt, & rursus, ille conceptus, in quo conueniunt, cum recipiatur pariter, in intellectibus diuersis, singulariter, erit diuersus numero, & idem specie, & ita de singulis; dabitur ergo processus in infinitum. Amplius, & quarto, si Intellectus non est vnus, in omnibus hominibus; sed diuersus, tunc magister non poterit eandem scientiam communicare discipulo, quod est falsum, probatur sequela: quia, aut præceptor communicat discipulo, scientiam, vnam specie, & diuersam numero; aut vnam specie, & numero, non vnam specie, & diuersam numero; quia tunc, scientia quæ est in præceptore, esset forma quædam naturalis, generans sibi simile in

natu-

Digitized by Google

natura, vt forma ignis, cum generat alium ignem; ergo præceptor, communicat diſcipulo, ſcientiam eandem ſpecie, & numero, quod fieri non poteſt, niſi Intellectus, qui eſt ſubiectum ſcientiæ, in vtroque ſit idem numero. Quinto, hoc idem probat, alio argumento, in tractatu, quem inſcripſit, Deſtructio, Deſtructionum, Philoſophiæ Algazelis. Diſputatione prima, tali pacto, ſi Intellectus eſt multiplicatus numero, & immortalis, dabitur infinitum actu, quod eſt falſum. & impoſſibile; vt Philoſophus docuit 3. *Phyſicorum*. Ergo, probatur ſequela maior; quia ſuppoſito, quod Mundus ſit æternus, & pariter ſpecies humana, ſit æterna; vt Ariſtoteles cenſuit, erunt actu infinitæ animæ, ſiue infiniti Intellectus, infinitorum hominum, qui fuerunt. Sexto, colligit Auerroes *3. de anima commento quinto*, hanc ſuam ſententiam eſſe veram; quia hac poſita, ſoluuntur omnes quæſtiones, quæ emergunt ex immortalitate animæ, ſaluis omnibus principijs Ariſtotelis. Ita enim, & Intellectus ſemper intelliget, cum Phantaſia, quamuis enim ſeparabilis ſit, ab hoc, & illo homine, tamen inſeparabilis erit, ab omnibus hominibus, & non erit æterno tempore otioſus, nec erit ſemper, à corpore ſeparatus, & cum ſit immortalis, erit ingenitus, & cum extrinſecus adueniat, non incipiet eſſe, neque per generationem, neque per motum, & cum ſeparabitur, corruptis ſingulis hominibus, non deſinet eſſe, neque alium modum eſſendi, aut intelligendi coactus erit accipere, nec erit ſeparatorum intellectuum multitudo, infinita actu, neque alia multa, cogentur naturales Philoſophi ponere, quæ iuxta propria principia, ipſorum diſciplina abhorret, vel ſaltem naturali lumine non aſſequitur. Hoc vltimum argumentum, & aliud proxime recitatum, fuerunt tanti ponderis; vt omnes fermè, qui hucuſque, de animi humani immortalitate, ex Ariſtotelis dogmatibus, & principijs diſputarunt; vel etiam diſputationes monumentis conſignarunt, aut Alexandri ſententiam ſint ſequuti, vel, ſi ipſam ſunt auerſati, in hanc Auerrois conceſſerunt, duobus tantum exceptis, non ſolum Peripateticæ; ſed etiam veræ Philoſophiæ ſtrenuiſſimis defenſoribus: Alberto Magno, & Sancto Thoma, Viris, doctrina, non minus quam ſanctitate ingentibus, quorum nomine, Dominicana Familia, quamuis Eroum parens fæcundiſſima, non ſolum de Chriſtiana Republica, verum etiam de toto humano genere, bene merita ſemper erit; Dixi autem de toto humano genere, & non ſolum de Chriſtiana Republica, nam etiam Barbaris, tantorum virorum lumen affulſit. Conſtat enim fide digno, grauiſſimorum hominum teſtimonio; Selimum, Magnum illum Turcarum Tirannum,

Mariti-

Digitized by

Vnitate Intellectus contra Auerroem, tamen & ego, non ſolum pro veritate; ſed etiam pro Ariſtotelis ſententia, certare non dubitabo, nequaquam omnes, quas vnuſquiſque apud prædictos legere poteſt, rationes, ambitioſe congerens; ſed præcipuas tantum, atque validiores, quæ ex naturæ principijs petitæ ſunt, afferens, illasq; aduerſus recentiũ aliquorum reſponſiones, qui ipſis pro Auerroe reſpondere ſunt auſi, tueri, ac roborare, potiſſimum vero hæc ſententia Auerrois excuſſa, immo funditus extirpata fuit, ex ijs quæ præcedente capite diximus; vel potius demonſtrauimus, quod Intellectus tribuat eſſe homini, vt forma, & gradus, ſiue particula animæ, vt verbis Ariſtotelis loquar, non autem aſſiſtat tantum, vt motor, & operationem tribuens, quæ ſi vera ſunt (vt conati fuimus demonſtrare, & etiam ni fallor demonſtrauimus) profecto totum de vnitate Intellectus corruet figmentum: Contra quod primo ita inuehimur. Vnius rei vna eſt forma, ergo multarum rerum multæ ſunt formæ. conſequentia eſt euidens ex notitia terminorum. Antecedens vero eſt certiſſima, apud omnes homines; ſed potiſſimum apud Ariſtotelem, tum *7. Metaphyſic. partic. 45.* vbi inquit. *Quorum ſubſtantia eſt vna, & quodquid erat eſſe, eſt vnum, & particula 57. Cum autem, vnum dicatur, ſicuti & ens, & ſubſtantia vnius vna, & quorum, vna numero, vnum numero. Manifeſtum, quod neque vnum, neque ens, contingit ſubſtantiam eſſe rerum* & *2. de anima partic. 7. Vnum, & eſſe, cum multipliciter dicatur, quod proprie eſt, actus eſt.* Sed omnes homines ſunt multi homines. ergo omnium hominum ſunt multæ formæ, non vna forma, ergo omnium hominum non eſt vnus Intellectus, cum iam probatum fuerit Intellectum eſſe formam. Hieronymus Pontanus lib. 7. de Immortalitate animæ *cap. 7.* cum huius argumenti validitatem, & efficaciam aperte confeſſus fuiſſet. Reſpondet diſtinguens eſſe vniuſcuiuſque rei, quod à forma habetur, in eſſe ſpecificum, & in eſſe numericum, ex quo ad argumentum, & primo ad authoritatem Ariſtotelis, *quorum ſubſtantia eſt vna, & quodquid eſſe, eſt vnum.* Aut ſpecificum, aut numericum. Secundo ad minorem, in qua dicitur; ſed omnes homines, ſunt multi homines, ſiue multorum hominum, multiplex eſt eſſe, ſi de eſſe numerico intelligatur, concedit; ſi autem de eſſe ſpecifico negat; veluti enim omnes homines numero inter ſe differunt, & ſunt multi, ita vnius ſpeciei communione omnes homines dicuntur, vnus homo. hoc vero confirmat eiuſdem Ariſtotelis auctoritate loco nuper citato *7. Metaphyſic. partic. 57.* vbi dixit. *Cum autem, vnum dicatur, ſicuti, & ens, & ſubſtantia vnius, vna, & quorum, vna numero, vnum numero.* Quibus verbis aperte diſtinguere videtur, eſſe

numericum, ab alio esse, nempe specifico; vel generico. hanc vero responsionem sæpius vsurpat, in responsione ad argumenta, contra vnitatem; sed ipsa omnium vanissima est, & Aristoteli ex diametro aduersatur, supponit enim hæc responsio Ideas, cum esse specificum, re ipsa, ab esse numerico, distinguat; cuius contrarium vbiq; Aristoteles sensit; ac potissimum 7. *Metaphysic. partic.* 45. vbi Ideas impugnãs, hæc habet verba. *Videtur autem etiam vniuersale, causa quibusdam esse maxime, ac esse principium ipsum vniuersale, quare de hoc etiam tractemus. Videtur namq; impossibile substantiam esse, quodcumque eorum quæ vniuersalia dicuntur. Prima namq; substantia vnius cuiusq; est, quæ alij non inest. Vniuersale vero, commune, hoc enim dicitur vniuersale, quod pluribus natura aptum est inesse. Cuius igitur hoc erit substantia? aut enim omnium, aut nullius, omnium vero non est possibile, vnius autem si erit, cætera quoque hoc erunt, quorum enim substantia, vna, & quodquid erat esse, vnum: ipsa quoque vnum sunt.* Quibus idem prorsus affert argumentum, ad impugnandas Ideas, quod nos attulimus, ad oppugnandam Intellectus vnitatem; ac propterea eadem nuper assumpsimus. Et eodem libro *cap.* 19 *partic.* 57. *&* 58. vbi inquit: *Cum autem vnum dicatur, sicuti, & ens, & substantia vnius vna, & quorum vna numero, vnum numero. Manifestum quod, neque vnum, neque ens, contingit substantiam esse rerum, sicuti, neque elemento esse, aut principio; sed quærimus, quid ergo principium? vt ad notiora referamus. Magis igitur his, substantia est Ens, & vnum, quam principium, & elementum & causa; sed necdum ista, si nec aliud quidem commune vllum, substantia est, nulli enim inest substantia, nisi sibi ipsi, & habenti eam, cuius substantia est. Item ipsum vnum in pluribus non erit simul, commune vero simul in pluribus est, quare patet, quod nihil vniuersalium separatim præter singularia est. Sed, qui formas dicunt, partim recte dicunt, separantes eas, si substantiæ quidem sunt, partim non recte, quoniam vnam in multis formam dicunt, causa vero est, quod non habent reddere, quæ nam tales incorruptæ substantiæ præter singulares sensibiles sint. Faciunt igitur easdem specie his, quæ sunt corruptibiles, has enim cognoscimus, ipsum hominem, & ipsum æquum, addentes vocabulum ipsum, sensibilibus, attamen etiam si non videremus astra, nihilominus, vt puto, essent substantiæ perpetuæ, præter eas quas nos sciremus, quare nunc quoque, si non habeamus quæ nam sint, necesse tamen fortassis fuerit aliquas esse. quod igitur nec eorum quicquam, quæ vniuersalia dicuntur, substantia sit, nec vlla sit substantia ex substantijs, patet.*

Quæ verba adeo clara sunt, vt expositione non indigeant, & adeo ad rem, vt consulto ad oppugnandam Intellectus vnitatem, ab Aristotele videantur conscripta. Animaduertenda autem sunt illa.

Quare

Quare patet, quod nihil vniuerſalium ſeparatim præter ſingularia eſt. His enim præciſe aboletur figmentum hoc, de duplici eſſe, ſpecifico, & numerico, eſſe enim ſpecificum, non differt, re, ab eſſe numerico, cum nihil vniuerſalium ſeparatim ſit: præter ſingularia, quod idem 1. *de anima partic. 8.* Philoſophus dixerat: *Vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſtertus eſt.* Vana igitur eſt reſponſio, quod in homine ſit duplex eſſe, à duplici forma, vnum ſpecificum, ab Intellectu, qui vnus exiſtens, informat totam ſpeciem, & alterum numericum à cogitatiua, qua ſigillatim ſinguli homines conſtituuntur. Ad prædictum argumentum, quod primo contra Auerroem torſimus, reducuntur quinque, prima, quæ afferuntur à S. Thoma 2. *contra gentes cap. 37.* & alia 7. pariter prima ab Alberto recitata, in libello de Vnitate Intellectus, contra Auerroem *cap. 5.* Hæc autem, cum ex eodem fonte oriantur, & ab vno quoque, vt diſpoſita ſunt, apud prædictos legi poſsint, conſulto prætermittuntur. Satis enim eſt viris doctis, ad quos noſtrum hoc dirigitur opus; præcipua monſtrare loca, ex quibus multa argumenta, & ad libitum ſuppetere poſſunt. Alterum vero argumentum, ſiue alter locus, ad eruenda argumenta, in hac diſputatione eſt, ex operatione Intellectus humani, ſiue, vt aliqui Auerrois fautores dicunt, humanæ animæ, quam ipſi ex Intellectu potentia, & agente componunt, vt initio dicebamus. Exiſtimauit autem Auerroes prædictum Intellectũ, vniri ſingulis hominibus per phantaſiam, peculiarem ipſis, quam cogitatiuam appellat, atque ita huius Intellectus operationem, in ſingulis, ac diuerſis hominibus, diuerſam, & ſingularem fieri, ex diuerſis phantaſmatibus, quæ à diuerſis ſingulorum hominum phantaſijs, ipſi ſuppeditantur, ad opus intelligendi, quibus ſuppoſitis facile duas inſtantias, quas ipſe ſibi obiecerat *3. de anima comment. 5.* diſſoluit. Erant autem inſtantiæ, ſi Intellectus non eſſet in pluribus hominibus multiplicatus; ſed vnus, tunc vnicum eſſet in omnibus hominibus eſſe, & ita ego eſſem per eſſe tui, & tu eſſes, per eſſe mei, quod eſt abſurdum. Præterea, quando tu aliquid intelligeres, ego etiam, illud idem intelligerem, & ſic de ſingulis hominibus, quare vno tantum homine erudito, omnes eſſent ſcientes, & ita pariter; vno ignorante, omnes ignorarent, vnico exiſtente in omnibus hominibus principio intelligendi, & vno numero ſubiecto ſcientiæ, & ignorantiæ. Ex his vero duabus inſtantijs, multæ aliæ deducuntur, & primo ex prima. homo non eſſet corruptibilis, quatenus homo, cum ſit homo per Intellectũ, qui corrupto hoc, aut illo homine adhuc ſupereſt, in cæteris. Secundo, daretur Metempſycoſis, ſiue tranſmigratio animarum, quia ea-

dem numero anima, quæ fuit in Petro, erit poſtea in Ioanne; Tertio aliqua ſubſtantia vna in ſe, eſſet ſimul vna in multis, quod non datur extra cogitationem, & in re, modo Intellectus eſt vnum in ſe; quia eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, & vna intelligentia, vt dixit Auerroes, quare veluti vna intelligentia, non eſt in multis orbibus, ita vnus Intellectus, non poteſt eſſe in multis hominibus. Quarto vna & eadem ſubſtantia eſſet in extremis ſubiectis, ac locis, abſque eo, quod ſit in medio, hic enim Intellectus eſſet in Petro, qui degit Romæ, & in Alphonſo, qui degit apud Indos abſque eo, quod ſit in aere intermedio. Quinto poſita hac ſententia, adhuc remanent multæ, & difficillimæ quæſtiones, quæ ex ipſa non ſoluuntur; vtputa, quomodo ſine motu, aut generatione, ſingulis hominibus accedat in ipſorum ortu, & in eorumdem interitu recedat. Præterea latebit finalis cauſa, quæ præcipua eſt in naturalibus rebus, & omnium potiſſima, cur nam coniungatur corpori huiuſmodi Intellectus, cum ſit ſubſtantia completa, ex actu, & potentia; immaterialis, & immortalis, immixta corpori, & quoad eſſe, & quoad operari, nec ſit actus, aut forma corporis, quin immo, vna ſit quædam intelligentia, vt Auerroes docuit loco ſæpius citato *3. de anima comment. 5.* Ex altera vero inſtantia, non minora deducuntur abſurda, & primo, ſcire eſſet reminiſci, non autem de nouo fieret. Secundo Intellectus potentia, non daretur. Tertio aliqua forma materialis eſſet perfectior, & nobilior forma ſimpliciter immortali. Quarto poſſent ſimul eſſe in eodem duæ contrariæ, aut contradictoriæ opiniones, de eadem re. Si enim vnus opinaretur, ſolem eſſe pedalem, alter vero non; ſed eſſe maiorem terra; in vno communi vtriuſq; Intellectu eſſent hæ duæ opiniones contradictoriæ. Quinto iuxta hanc ſententiam, anima intellectiua, ſiue Intellectus, nullo pacto cum homine coniungetur, nec vt actus primus, nec vt actus ſecundus, quare homo nullo pacto erit rationalis. Sexto, ex hac poſitione non euitatur, quin Intellectus humanus, ſit mortalis, & alia quamplura, quæ breuitatis cauſa omittimus. Veluti autem Auerroes, ex ſuppoſitis, ad ea, quæ contra propriam ſententiam obiecerat argumenta, reſpondere conatus fuit, ita, & eius ſectatores, ex ijſdem, & alijs, proprio marte, excogitatis, inſtantijs reliquis, ſatisfacere, ſtuduerunt.

Hæc autem omnia, nunc ſigillatim examinabimus. Reſpondet Auerroes primo argumento, quo dicebatur ſi Intellectus eſſet vnus numero in omnibus, ego eſſem per eſſe tui, & tu per eſſe mei; negando ſequelam, nam quamuis in omnibus hominibus, vnus ſit Intellectus,

Digitized by Google

ctus, tamen non propterea sequitur, quod in omnibus sit vnum esse, cum ab intellectu non tribuatur esse; sed operatio tantum, esse autem vnicuique proprium, à cogitatiua, quæ singulis hominibus propria, ac singularis est, prouenit. Sed hæc responsio satis superq;, fuit præcedente capite argumentis validissimis expugnata tamquam fatua, & irrationalis, quæ homines brutos, & irrationales reddere nititur, quare non est iterum aggredienda. manente iam in suo robore argumento. Non tamen destitit Achillinus, vt semel susceptam prouinciam vnitatis tueretur, etiam reclamante Auerroe præceptore, aliter respondere, quolibeto 3. dubio 2. quem sequuti sunt; Antonius Bernardus Mirandolanus lib. 32. suæ Monomachiæ sectione 2. & eius discipulus Hieronymus Pontanus *lib. 6. de immortalitate animæ*.

Existimarunt hi viri, Intellectum illum vnicum, absolute totam speciem humanam informare, at vero simul cum cogitatiua, singulis hominibus tribuere esse, quo supposito respondent etiam ad argumenta, quibus præcedente capite probatum fuit, Intellectum tribuere hominibus esse, & inquiunt, non sequi; etiam si Intellectus tribuat esse, & sit vnus in omnibus hominibus, quod ego essem, per esse tui, & super esse mei: nam ad esse singulorum hominum, non sufficit Intellectus, qui est in omnibus vnus; sed adhuc requiritur cogitatiua, quæ in singulis hominibus est peculiaris, ex qua, diuersum est, esse meum, ab esse tuo. Volens autem hoc declarare Mirandulanus, exemplum affert de composito substantiæ, cuius essentiam complent, & materia, & forma, & tamen quamuis materia sit in omnibus vna, nihil impedit quin composita sint diuersa, cum à materia, non sit totum esse, & adhuc requiratur forma, à qua singulis tribuitur completum esse. In hac vero responsione, neque ipsi ad mentem Auerrois, cuius opinionem tueri studeut, neque ad mentem Aristotelis, neque ex veritate loquuntur. non ad mentem Auerrois, nam Auerroes nullibi affirmauit, hunc Intellectum informare; vt dicunt, speciem humanam, neque singulis hominibus tribuere esse, etiam imaginatiuæ coniunctū, quin immo contrarium statuit, loco toties citato 3. *de anima comment. 5.* dum inquit, illum esse, vnam quamdam intelligentiam, quamuis omnium infimam, quod si ipsis nihil absurdum videtur, intelligentiá aliquam, posse tribuere esse corpori, cum dicant etiam intelligentias orbium, eisdem hoc ipsum præstare. Meminisse vtiq; debemus Aristotelem, non de prima tantum; sed de omnibus 8. Physicorum contrarium demonstrasse, dum inquit: Motorem cœli, nullo pacto esse virtutem in corpore, siue in magnitudine, nam neque in magnitu-

dine finita, quia tunc finita virtus eſſet, nec poſſet perpetuo, & infinito tempore mouere, nec in magnitudine infinita, quia non datur. Neque ad mentem Ariſtotelis loquuntur, cum ipſi ex Auerrois ſententia, eſſe commune, hominibus ab Intellectu impertiri, eſſe autem indiuiduum, & ſingulare, à cogitatiua affirment. Cuius contrarium docuit Ariſtoteles, tum *2. de generatione animalium cap. 3.* dicens: in fœtibus primum vegetalem animam haberi, ſenſualem vero tempore procedente recipi, ac deinceps rationalem, qua homo eſt. Rationem autem reddit, quia non ſimul animal fit, & homo, nec animal, & equus, finis enim poſtea contingit, proprium autem eſt finis cuiuſq; generationis, volens autem hoc peculiariter generationi hominis applicare, ſubiungit: *Quamobrem de mente etiam, quo nam tempore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participat plurimum dubitatur.* Quibus omnibus ex verbis, manifeſte conſtat, Ariſtotelem ſtatuiſſe, quod in homine, eſſe ſenſuale, eſt eſſe genericum, & commune, eſſe autem rationale eſt eſſe proprium, & vltimum, quod eſt finis, & terminus generationis; ac propterea, cum dixiſſet, ex quo nam principio habeantur, anima vegetalis, & ſenſiens, magnam dubitationem eſſe, de mente, ſiue Intellectu, tamquam de vltima hominis perfectione aſſeruit, prædicta autem Auerrois ſectatorũ doctrina, ex diametro his, quæ hoc loco Ariſtoteles docuit aduerſatur, dicunt enim ipſi, ab Intellectu impertiri hominibus eſſe commune, à cogitatiua vero, quæ proculdubio eſt ſenſitiuæ gradus, dari eſſe vltimum, & conſtitutiuum hominis vniuſcuiuſque. Tum etiam *2. de anima partic. 29. 30. & 31.* vbi inquit, ita haberi in anima quemadmodum in figuris; vt in eo, quod eſt deinceps, id quod prius eſt contineatur. Recenſetur autem inter cæteros animæ gradus *partic. 29.* ab Ariſtotele Intellectiuus, tanquam vltimus & poſtremus, ergo ſenſitiuum in ipſo continetur tamquam, quid prius, cogitatiua igitur, quæ eſt potentia ſenſitiuæ, non poteſt ſe habere, vt vltima perfectio ad intellectiuam, vt ipſi ſtatuunt. Repugnat præterea hæc ſententia veritati, & rei naturæ, non enim poteſt intelligi, quomodo ab Intellectu, & phantaſia, quæ ſunt diuerſæ formæ tribuatur vnum eſſe, niſi quatenus, vna dat eſſe incompletum, & ſe habet in potentia, ac vice materiæ; altera vero dat eſſe completum, & ſe habet tamquam forma; vt clarum eſt ex Ariſtotele, & ipſimet aduerſarij confitentur, quod ſi hoc eſt verum, aut Intellectus dat eſſe incompletũ, & cogitatiua dat eſſe completum; vt ipſi ſtatuunt, & in hoc Ariſtoteli contradicunt; quia fatentur Intellectum tribuere eſſe commune omnibus hominibus, cogitatiuam vero, quæ eſt ſenſitiua,

eſſe

esse constitutiuum, vniuscuiusque hominis singularis, quod est esse vltimum, aut cogitatiua dat esse incompletum, & intellectiua dat esse completum, vt rei veritate dicendum est, si ex Aristotelis sententia loquimur, & tunc bene concludit argumentum, quod si vnus est in omnibus Intellectus, ego essem, per esse tui, & tu esses, per esse mei. Quod autem verum sit, posito quod homo habeat esse ab imaginatiua, & ab intellectiua forma; vt ipsi statuunt, ab imaginatiua haberi esse incompletum, ab intellectiua vero esse completum, manifestum est; quia imaginatiua est forma imperfectior, quare potest esse ordinata ad vlteriorem perfectionem, & ita, se habet loco potentiæ, & vt genus, genus enim materia est: intellectiua vero cum sit forma perfectior, se habet vt forma, & actus; ita enim ordinatur forma generica, ad formã specificam, vt fuse Aristot. docuit 7. *Metaphysico. partic. 43.* ac propterea optime Aristot. dixit, loco citato 2. *de generatione animal.* primo haberi formam sensitiuam, qua animal est, & vltimo rationalem, qua est homo, idem autem est homo, & hic homo, cum homo non differat, ab hoc homine, penes formam; sed penes conditiones indiuiduantes tantum, quæ sunt accidentia.

Primum igitur argumentum, neque ab Auerroe, neque ab eius sectatoribus soluitur; sed manet in suo robore. Nunc reliquas instantias, quas aliqui ex hoc ipso deduxerunt, & nos ante breuiter adnotauimus, considerabimus. Ego certe, vt ingenue loquar, aliquas ex ipsis non satis magnifacio, cum, aut nihil concludant, aut satis debiliter, tamen vt omnibus satisfaciam, percurram paucis. Erat prima, Si Intellectus esset vnus, homo non esset corruptibilis, quatenus homo; quia, in reliquis hominibus maneret. Hæc pariter concludit, si Intellectus sit multiplicatus, quare, si aliquam vim habet, illam habet contra immortalitatem, nos vero eam soluemus in sequenti libro, cum reliquis huiusmodi argumentis; sed nunc, pro tempore, respondemus, quod homo, vt homo corrumpitur, quia compositum perit, quamuis aliqua eius pars non desinat esse, vt in cæteris corruptibilibus sit, quãuis materia prima, ex qua etiam constant, non corrumpatur; sed maneat. Argumentum de Metemphycosi, siue transmigratione animarum, rei veritate, deducitur ex hac Auerrois sententia; sed non multum habet roboris, cum non apud omnes Peripateticos, absurda visa fuerit. Quinimmo Bessario Cardinalis Nicenus, libro 2. contra Calumniatores Platonis *cap. 7.* Aristotelem hoc minime negaturum dicit: & Gaspar Cardinalis Contarenus *lib. 1. de immortalitate animæ*, aduersus Pomponatium, in responsione ad quartum argumentũ, inquit,

opinionem hanc de animarum transmigratione, ex Aristotelis sententia, probabiliter sustineri posse, nec propterea in pytagoreas fabulas, quas Aristoteles *1. de anima* damnauit, nos incidere. Nec absurdum est, apud eumdem, Intellectus transmigrationem, in varia corpora, affirmare, quamuis hoc idem, de anima, absurdum, & impossibile dixerit, alia enim ratio est de anima, quam de Intellectu; anima enim, cum sit actus, & Entelechia corporis certum sibi atque determinatum corpus destinat, cuius est actus, nec ob aliam rationem in Pytagoram inuehitur, quam quod nulla habita corporum ratione, ipsis animas adaptabat, vt *1. de anima partic. 53.* testatum reliquit, his verbis: *Hi autem solum conantur dicere, quale quid sit anima, de susceptiuo autem corpore, nihil amplius determinant, tamquam possibile sit, secundum Pytagoricas fabulas, quamlibet animam, quodlibet corpus ingredi, similiter itaque dicunt, atque si quis dicat, Tectonicam infistulas ingredi, oportet enim artem quidem vti instrumentis, animam autem corpore.* At vero Intellectus, cum nullum sibi determinet organum, varijs corporibus poterit perfectionem tribuere, modo tamen sint humana, hoc est sensitiua, & humana imaginatiua prædita, quibus Intellectus aduenit tamquam vltima, & specifica forma, quæ constituit, & hominem, & talem hominem. Hæc autem sententia quamuis, secundum veram philosophiam sit falsa, tamen ab Aristotelis principijs non est aliena; quomodo vero ad hoc idem, non sequatur absurdum de reminiscentia, toties ab Aristotele impugnatum, paulo infra monstrabimus. Tertium argumentum, quo dicitur, naturam aliquam, vnam numero, non posse esse totam in multis, extra intellectum, est insolubile, supposito, quod Intellectus sit forma informans, vt iam probatum fuit, at vero si hoc non fuerit probatum, vt existimauit Auerroes, qui ipsum statuit assistentem, non concludit, nam quod omnino immaterialiter recipitur potest recipi totum in singulis, & totum in omnibus; vt patet de lumine, de sono, & alijs sensibilibus. Totam igitur vim accipit hoc argumentum, ex primo argumento; Hac eadem solutione satisfit etiam, propositæ quarto loco instantiæ. Quinta instantia, nihil habet peculiare contra hanc sententiam, nam eadem, quæ supposito vnico Intellectu, quomodo sine motu, aut generatione, accedat; vel recedat, in ortu, & interitu affertur, supposita multitudine Intellectuũ afferetur, quare si aliqua erit, pro multitudine, aduersus hanc instantiam solutio, erit etiam pro vnitate. Ad sextam, & vltimam instantiam, nullam video solutionem, si enim Intellectus non est forma corporis; sed est vna quædam intelligentia, non poterit assignari causa, quare vniatur corpori,

pori, cum namq; ipſi non vniatur, vt ſit principium dans eſſe, neque vnietur, vt ſit principium operationis, prius etenim eſt eſſe actum primum, quam eſſe actum ſecundum, neque poteſt eſſe actus ſecundus, ſine actu primo, quare ſi negatur de Intellectu, quod ſit vnicuiq; homini principium, vt actus primus, ſiue quantum ad eſſe, negabitur de eodem, quod ſit illi principium quoad operari, ſiue in actu ſecundo, niſi valde improprie loqui velimus, vt de operatione aurige in curru, aut Nautæ in Naui, non tamen vt auriga, aut, vt nauta ſunt; ſed, vt homines, Intellectus enim ita ſumptus, vt illum ſumit Auerroes, nullum habet reſpectum ad corpus, quemadmodum, neque homo ad currum, vel ad nauem quatenus homo eſt. Alterum vero argumentum, quod ſibi ipſi obiecit Auerroes, ab operatione huius Intellectus, quæ, vna numero eſſet in omnibus, & alia quæ ex ipſo pariter deducuntur, validiſſima omnino exiſtimo, & quæ nullam admittant ſolutionem, ex quo factum eſt, vt Sanctus Thomas, qui optime vim eorum cognouit ipſis potiſſimum, Auerroem, & eius ſectatores vrgeat, quare ipſorum validitatem, & efficaciam breuiter conſiderabimus. Erat primum argumentum, ſi vnus numero eſſet in omnibus Intellectus, vna numero eſſet in omnibus ſcientia, quare, cum aliquis rem aliquam intelligeret, & ſciret, eamdem alius, quinimmo, & omnes ſcirent. Negat Auerroes conſequentiam, & rationem reddit, quia phantaſia, quæ ſubminiſtrat Intellectui materiam obiectiuã, hoc eſt phantaſmata, non eſt in omnibus, vna; ſed diuerſa, pro diuerſitate ſingulorum hominum, ex quo fit, vt ſint diuerſæ in ſingulis intellectiones, at hæc reſponſio non tangit punctum argumenti, qualitates enim, & accidentia, ſi ſunt vnius ſpeciei, non multiplicantur ratione efficientis vnius ſpecie, numero diuerſi; ſed tantum ratione ſubiecti, efficiens enim vnius ſpeciei quamuis ſit numero multiplicatum, non producit in vno ſubiecto, niſi vnam actionem, vt ſi ſint duo ignes non producent in vno ſubiecto, niſi vnam talẽ factionem. Ergo ſcientia, cum ſit accidens, & qualitas, cuius ſubiectum eſt Intellectus non poterit multiplicari in multis hominibus, vnico exiſtente in omnibus Intellectu, ob numericam diuerſitatem phantaſmatum, cum phantaſmata in intellectione ſe habeant, vt motiua, & efficientia, vt docuit Philoſophus *3. de anima partic. 39.* vbi dixit: *quod phantaſmata ſicut ſenſibilia ſunt, præterquam quod ſunt ſine materia*. Quare, ſi vnus intelligat vnam rem; vel habeat vnum habitum alicuius ſcientiæ, & reliqui omnes homines, qui habebunt eadem ſpecie phantaſmata, illius rei; vel illius ſcientiæ, habebunt notitiam, quamuis phantaſmata ſint

numero

numero diuersa. Quinimmo cum phantasmata, nequaquam intelligantur, vt phantasmata, & singularia sunt; sed sub ratione vniuersali, quatenus representant speciem intelligibilem, quamuis ipsa sint numero multiplicata, tamen vnius speciei causant intellectionem, atque ita nullo pacto diuersitas, & multiplicatio phantasmatum, poterit causare diuersitatem intellectionum in multis hominibus, vno tantum Intellectu præditis, vnus enim equus semel ab Intellectu immaterialiter receptus, representabit omnibus hominibus totam equinã speciem. Hoc argumentũ proculdubio validissimum, & irrefragabile, inter cætera affert Sanctus Thomas *2. contra gentes cap.73.* Conantur aliqui, ex recentioribus responsionem colligere ex his, quæ vltimo diximus, atque ita concedunt, vnam esse specie vnius rei in omnibus hominibus intellectionem, non autem numero. Sed vana est ipsorum responsio, quamuis enim dictum sit, vnum esse specie obiectum representatũ per diuersa numero phantasmata, tamen non conceditur hunc eumdem conceptum esse vnum specie in omnibus hominibus, & numero multiplicatum; sed dicimus esse vnum numero in omnibus, ob vnum numero subiectum, in quo recipitur, nempe Intellectum, vt ipsi dicunt, cum qualitates & accidentia vnitatem, aut multiplicationem accipiant à subiecto, in quo sunt, vt diximus ante.

Conatus etiam fuit Auerroes, vt refert Sanctus Thomas eludere hoc argumentum negando Intellectionem, siue species intelligibiles, & habitus scientiarum recipi, in Intellectu, vt in subiecto, cum ipse statuerit, ea recipi potius in phantasia; sed infringit valide, responsionem hanc Sanctus Thomas: nam in eodem subiecto generatur habitus, in quo recipiuntur actus, ex quibus fit ille habitus, vel in quo est principium producendi actus similes, secundum illum habitum; cum ex *Aristotele 2. Ethicorum*, ex similibus actibus fiant similes habitus, & ex similibus habitibus producantur similes actus, at vero, actus intelligendi recipiuntur in intellectu, non in phantasia, & habitus scientiarum secundum quos potentes sumus ad actus sciendi, reperitur in intellectu; cum habitus sint ex parte potentiæ, & perficiant potentiam; non autem ex parte obiectorum. ergo habitus scientiarum siue intelligibilia, & intellectiones recipiuntur in intellectu; non autem in phantasia, quod si videatur phantasia esse causa, vt aliqui facilius, vel difficilius addiscant, vel intelligant, iuxta meliorem, aut deteriorem phantasiam; hoc prouenit, tamquam ex dispositionibus remotis, quemadmodum aptitudo mentis, ex mollitie, & bona temperatura carnis, vt Aristot. dixit; Molles carne, apti mente, con-

fert

Digitized by Google

fert autem bona disposítio imaginatiuæ ad præparanda phantasmata, vt clarius ab intellectu agente illuminentur ad clariorem, & faciliorem intellectionem; non autem ad disponendam potentiam, in qua recipitur intellectio, vel ex qua prouenit intellectio. præterea, alio argumento falsitatem huius responsionis ostendit, nempe, quia scientiæ sunt habitus per demonstrationem acquisiti, vt Philosophus primo posteriorum, conclusiones autem demonstrationum, & præmissæ ex quibus deducuntur; vniuersales sunt, quare in intellectu sunt, qui cognoscit vniuersalia, non autem in phantasia, cuius cognitio, vltra particularia non protenditur. Sed videamus, quomodo reliquæ deducantur instantiæ. erat altera instantia. scire non fieret de nouo, sed esset reminisci: hoc manifeste sequitur, si idem numero intellectus, qui fuit, in ante mortuis hominibus, sit denuo in alijs nascentibus, vbi enim talis intellectus fuerit prius habitibus, & disciplinis imbutus, salua remanente eius substantia; eisdem pariter in cæteris imbutus erit; vbi igitur aliquis addiscet, nequaquam nouam acquiret disciplinam; sed eam quam ante habuit recordabitur. Ad hoc argumentum responderet pariter Auerroes; & eius sectatores respondent, negando sequelam; cum enim imaginatiua perierit, non potest amplius fieri disciplinarum, quas antea habebat anima, recordatio. pro hoc vero clarum afferunt Aristotelis testimonium *3. de Anima particula 20.* vbi respondens tacite obiectioni, quæ ex eo poterat oriri, quod dixerat intellectum agentem, esse separatum; immortalem, & perpetuum; inquit: *Non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile, passiuus vero intellectus corruptibilis; & sine hoc nihil intelligit.* Passiuum vero intellectum phantasiam dixit; Omnium expositorum consensu, vno excepto Alexandro, siue eius assectis. Aduersus hanc responsionem dicitur, quod quamuis intellectus nihil intelligat sine phantasia, vt alibi etiam Aristoteles dixerat; tamen non propterea sequitur obiectum proprium, & adæquatum intellectus, esse phantasmata; cum intellectus phantasmata non intelligat quippe quæ singularia sunt, sed cum phantasmatibus. Quare male vertit *Argyropilus 3. de anima partic. 39.* (parcat mihi, vir alioquin summa laude dignus) dum vertit, ita Aristotelis verba. *Et cum speculatur, necesse est simul, phantasma aliquod speculari.* Cum in Græco codice ita legatur ὅταν θεωρῇ ἀνάγκη ἅμα φαντάσμα τι θεωρεῖν, quæ verba, si, vt manent reddantur, ita habent.

Et cum speculatur, necesse est cum phantasmate speculari. Causa autem erroris est, eo quod non est legendum, diuisim φαντάσμά τι; quasi, illa dictio τι; significet idem, quod, aliquid; sed coniunctim pro dati-

uo

to caſu, nominis φαντάσμα; cum quo, coniungitur illa propoſitio, ἅμα; quam vertit Argiropylus (ſimul) ſignificat autem pariter, & (cum) vt, ἅμα τῇ ἡμέρᾳ. cum die ἅμα τῇ νυκτί. cum nocte, atque ita verba conſona ſunt ſenſui Ariſtotelis, alias ſibi ipſe contradiceret, qui intellectum ſine conditionibus materiæ intelligibilia percipere ſtatuit. phantaſmata autem, cum conditionibus materiæ ſunt, & ſingularia. Intellectus igitur obiectum; ſunt ſpecies intelligibiles non phantaſmata; cum phantaſmata ita ſe habeant ad intellectum quemadmodum ſe habent ſenſibilia ad ſenſum; vt optime docuit idem philoſophus eadem *partic. 39. tertij de anima*; ſtatim atque dixerat, neceſſe eſſe, intellectum cum intelligit, cum phantaſmate ſpeculari; ſubdens. *Phantaſmata autem, velut ſenſibilia ſunt, præterquam quod ſunt ſine materia.* Quibus in verbis animaduertendum eſt, quod dicit phantaſmata eſſe, ſicut ſenſibilia, quæ ſunt in materia; nullã enim aliam aſſignat differentiam inter ſenſibilia, quæ mouent ſenſum & phantaſmata, quæ mouent intellectum, niſi quod ſenſibilia ſunt in materia, phantaſmata vero ſunt ſine materia. ex quo, ita arguo. Senſibilia quamuis ſint in materia, non mouent ſenſum niſi per ſpeciem immaterialem; ergo phantaſmata, quamuis ſint ſingularia non mouent intellectum niſi per ſpeciem vniuerſalem, ergo remanentibus ſpeciebus intelligibilibus in intellectu, etiam corrupta phantaſia adhuc poteſt intellectus intelligere, & reminiſci, quemadmodum & phantaſia, quæ ſenſitiuæ ſpecies ſiue facultas eſt, abſentibus ſenſibilibus, ſpecies ſibi impreſſas percipit, & memoratur. Neque obſtat quod Ariſtoteles dixerit ſine phantaſia intellectum nihil intelligere; veluti enim dicitur, ſenſum ſine ſenſibilibus nihil ſentire; tamen nihil obſtat ipſis remotis adhuc intrinſecus cognoſcere, ita de intellectu; quare illud, intellectum, nihil intelligere ſine phantaſia accipiendum eſt inchoatiue; non autem formaliter, & terminatiue. ſed adhuc contra ea, quæ dicta ſunt; Auerrois fautores inſurgunt, & inquiunt; totum hoc verum eſſe; ſi ſpecies intelligibiles imprimuntur in intellectu; tunc enim remanerent, & conſeruarentur, remanente intellectu, etiam corrupta imaginatiua. At ſi ſpecies repreſentantur tantum, vt imago in ſpeculo, tunc nihil remanet corrupta imaginatiua, & remotis phantaſmatibus quemadmodum nihil remanet in ſpeculo, remoto eo cuius imago repreſentatur. Ad euertendam hanc reſponſionem, quamuis ſuſcipienda eſſet prolixa diſputatio de ſpeciebus intelligibilibus; vtrum dentur in intellectu, ſpecies impreſſæ, vel expreſſæ, quod eſſet à propoſito noſtro, nimis diuertere. tamen pro tempore reſpondemus: falſam

eſſe

esse illam sententiam, quæ negat species impressas; quod multis & validissimis argumentis demonstrare possem, sed sufficiet nunc duo tantum afferre. Vnum *Scoti in 1. sentent. dist. 3. q. 6.* & alterum *S. Thomæ 2. contra gentes cap. 74.* Arguit autem Scotus. si darentur tantum species expressæ & non impressæ; tunc intellectus semper esset in potentia essentiali, ad intelligendum, hoc est in potentia ad actum primum intelligendi; sed consequens est falsum ex *Aristotele 3. de anima partic. 8.* vbi de intellectu in habitu, inquit, quod cum singula factus est, vt sciens dicitur, qui secundum actum est, & tunc in potentia quodammodo, non tamen similiter antequam addisceret, aut inueniret. Ergo & antecedens. Præterea arguit S. Thomas. sensus, cum sit potentia deterior, & ignobilior intellectu, tamen habet facultatem conseruandi species sensibiles; ergo intellectus habet pariter facultatem conseruandi species intelligibiles, quod etiam philosophus aperte docuit, dum dixit, intellectum esse locum specierum, quare & Theologi omnes statuunt memoriam in parte intellectiua, neque ausus fuit; quod ego sciam; quispiam ex ipsis, hoc negare. Non obstat quod *Aristoteles* dixit *libello de memoria & reminiscentia cap. 1.* quod memoria; secundum accidens sit intellectiui; per se autem sensitiui. Hoc enim de illa memoria dicit, siue de illa perceptione, quæ simul apprehendit cum re intellecta tempus præteritum, & confert cum præsenti tempore, quod est apprehendere; cum aliqua singularitate, & hæc memoria est per se sensitiui, & per accidens pertinet ad intellectum practicum, vt optime respondent vnanimi consensu, & Scotus, & S. Thomas locis citatis, & ipsemet Aristoteles ibidem docet in processu sermonis; non autem de perceptione intellectus speculatiui, qua res absolute cognoscuntur, vt sunt, sine aliqua conditione temporanea. Sed tamen esto, quod species impressæ non dentur; saltem ex Auerrois sententia dantur, *tertio* etenim *de anima commento 5.* hæc habet verba. *Necesse est vt intellectus materialis non sit denudatus à principijs naturalibus, communibus, toti speciei humanæ, scilicet primis propositionibus, & formationibus, singularibus, communibus omnibus. hæc enim intellecta, sunt vnica secundum recipiens, & multa secundum intentionem receptam. secundum igitur modum, secundum quæ sunt vnica, necessario sunt æterna; cum esse non fugiat subiecto recepto, scilicet motore, qui est intentio formarum imaginatarum; non est illic impediens, ex parte recipientis. generatio igitur, & corruptio non est ei, nisi propter multitudinem contingentem eis, non propter modum, secundum quem sunt vnica.*

Manifestum autem est, & ex his verbis; ipsum opinatum fuisse; species intelligibiles, non solum esse impressas, & conseruari in intellectu

Digitized by Google

lectu, verum etiam esse æternas, vt fusius etiam explicat verbis sequentibus, quare commentum hoc, de speciebus expressis, potius fuga est, Auerrois discipulorum, quam responsio ex ipsius sententia. Manet igitur inconcussum, tum primum argumentum, tum etiam prior instantia de reminiscentia ab ipso deducta. Ex his autem confirmatur etiam tertia instantia, qua dicebatur Intellectum, si esset vnus, numquam fore in potentia, cum enim species sit æterna, semper fuit repertus aliquis homo, qui sciret, & specularetur, ac pariter, semper reperietur, vt ipsemet Auerroes fatetur loco citato, ergo hic Intellectus, qui est vnus in omnibus, nunquam erit in potentia, quinimmo numquam feriabitur, quia, & si non reperiatur Romæ, qui philosophetur, reperietur in Persida. Tertia vero instantia, bene concludit aduersus Auerroem, quamuis afferatur etiam aduersus nostram sententiam à Simone Portio, supposito enim quod hic Intellectus sit vna quædam intelligentia, vt dixit Auerroes, absurdum esset ipsam intelligere res materiales, cum res materiales deteriores sint immaterialibus, quod autem intelligitur, se habeat, vt quid melius, & perfectiuum, vt Philosophus docuit *12. Metaphysic. partic. 51.* Hoc idem argumentum aduersus nostram sententiam contorsit Portius; si enim, dicebat ipse Intellectus humanus substantia est separabilis, quomodo intelligit materialia, quæ deteriora sunt? sed longe diuersa est ratio de Intellectu, quem statuit Auerroes, & de Intellectu, quem nos putamus humanum, Auerroes enim illum dicit intelligentiam, & propterea absurdum est, ex eius, & Aristotelis doctrina, illum intelligere materialia. At nos dicimus formam informantem corpus materiale, quamuis immaterialem, & propterea nullum absurdum est, si perficiatur à materialibus obiectis, immaterialibus tamen effectis. Nec minus valida est quarta instantia, qua dicebatur, Si vnicus esset Intellectus, in eodem possent simul esse duæ contrariæ, vel contradictoriæ opiniones, vno opinante, solem esse pedalem, & altero opinante, esse maiorem terra. quamuis aliqui putarint, nullum ex hoc, absurdum sequi; decepti ab eo, quod Aristoteles dixit, in prædicamentis in calce capitis de substantia, quod oratio & opinio; cum veræ, aut falsæ sunt; nihil ipsæ recipiunt, aut patiuntur, sed res, de quibus sunt. quare contrariarum rerum, aut contradictoriarum, orationes, aut opiniones, minime existimarunt esse contrarias, aut contradictorias; sed hi in magno errore versantur; impossibile enim est de vna & eadem re esse duas conceptiones contrarias, aut contradictorias in eadem potentia concipiente. salua re, de qua est conceptio, & eo, qui concipit, neque abiecta priore sententia

Digitized by Google

tentia, ob validiorem ſuaſionem, neque ſuperueniente obliuione; vt Ariſtot. docuit *2. de anima partic. 159.* & exinde probauit imaginationem non eſſe facultatem mixtam ex ſenſu & opinione. Ad authoritatem vero Ariſtot. in prædicamentis dicitur, ibi loquutum fuiſſe craſſa Minerua, vt Ammonius dicit. Quinta inſtantia, quam attulit Albertus euidens eſt; nam is intellectus, cum ſit vnicus, non poteſt ſingulis hominibus copulari, ſecundum eſſe, vel ſubſtantiam, neque per operationem, quia ipſe non recipit phantaſmata; ſed ſpecies intelligibiles, quæ generantur in intellectu poſſibili ab intellectu agente, quo cũ ipſo copulatur, non autem cum corpore. Sexta vero & vltima, quam pariter affert Albertus, non minimum vrget; quandoquidem poſſibili poſito, in, eſſe nullum ſequitur impoſſibile, vt Ariſtoteles inquit *1. de ortu, & interitu cap. 2.* Sed poſſibile eſt omnia indiuidua humanæ ſpeciei ſimul interire; ſiquidem, omnes aliquando intereunt, nec ſemper durant, niſi ſucceſſiue. Ponatur igitur, quod intereant; tunc huiuſmodi intellectum, neceſſe erit aut interire, aut ocioſum feriari. quinimmo ex ſententia Achillini, & aliorum, qui ſtatuunt ipſum informare totam ſpeciem humanam, neceſſe eſt interire, & de ipſo dici poterit, vt de iunioribus Dijs Maior ille Deus apud Platonem dicebat. *Vos quidem mortales geniti eſtis; ſed meo beneficio nequaquam diſſoluemini*, quod ipſe quidem mortalis eſt; ſed ſpeciei beneficio, quæ per generationem iugiter perſeuerat; nequaquam corrumpetur, quod quantum ſit abſurdum; fuſe demonſtrauit *Ariſtoteles 1. de cælo.* Abunde igitur confutatum eſt; Vaniſſimum hoc atque monſtruoſum Auerrois de vnico intellectu commentum, quod fere totam poſteriorum peripateticorum ſectam dementauit.

Nunc ad ſolutionem argumentorum ipſius, deueniendum eſſet. Verum quia prolixior fuit hæc diſputatio, quam decreueram, ne lectorem in hoc capite vlterius defatigarem, in ſequenti, hoc ipſum abſoluere deſtinaui.

Reſpon-

Respondetur argumentis Auerrois, & ostenditur, neque Platoni, neque Theophrasto, neque Themistio, neque Simplicio, neque vlli alio, ex antiquis Philosophis, tribui posse Auerrois, de Intellectus vnitate sententiam. Caput XVI.

NON est autem difficile, illis respondere argumentis, quibus perterritus, aut saltem persuasus Auerroes, in tam absurdam sententiam deuenire coactus fuit. Erat autem potissimũ argumentum, ex causa multiplicationis eorum, quæ eiusdem sunt speciei desumptum. Quæcumque enim, specie vnum existentia, multa numero sunt, materia participant, aut tamquam ex ipsa constent, aut tamquam in ipsa. Cum vero intellectum, neque corpus, neque corpori mixtum Aristoteles dixerit, ac proinde materiæ omnino expertem, & in omnibus hominibus vnum specie, nequaquam numero multiplicatum, sed vnum; dicendum necessario fore Auerroes existimauit. Possumus huic argumento dupliciter respondere. primo ex eiusdem Auerrois confessione, vt respondet Albertus in hac disputatione, in responsione ad secundum, & ad vigesimumquintum argumentum. Quod, etsi intellectus humanus, non est materialis, neque mixtus materiæ, qua ratione diuisibilis, ac numerabilis esse deberet in eadem specie; tamen natura sua diuisibilis est, ac numerabilis, diuisione adsimili, diuisioni quantitatis. Hoc autem ei competit, quia potentia est, & aptus determinari ab intellectu agente. Hæc autem sunt verba, quibus Auerroes hoc fatetur *3. de anima commento 5. Tertia autem quæstio, quæ est, quomodo intellectus materialis est, aliquod ens, & non est aliqua formarum materialium, neque etiam prima materia, sic dissoluitur; Opinandum est enim, quod istud est quartum genus esse; quemadmodum enim, sensibile esse, diuiditur in formam, & materiam, sic intelligibile esse, oportet diuidi, in consimilia hìs duobus, scilicet in aliquid simile formæ, & in aliquid simile materiæ. Et hoc, necesse est, in omni intelligentia abstracta, quæ intelligit aliud, & si non, non esset multitudo in formis abstractis; & ideo declaratum est in prima philosophia, quod nulla est forma liberata*

à potem-

à potentia; simpliciter, niſi prima forma, quæ nihil intelligit extra ſe, ſed eſſentia eius, quiditas eius; aliæ autem formæ & eſſentiæ diuerſantur, in quiditate, & eſſentia, quoquo modo, & niſi eſſet hoc genus entium, quod ſcimus in ſcientia animæ, non poſſemus intelligere multitudinem in rebus abſtractis, quemadmodum, niſi ſciremus hanc naturam intellectus, non poſſemus intelligere, quod virtutes mouentes abſtractæ, debent eſſe intellectus. Ob hanc eamdem rationem *Scotus 2. ſentent. diſt. 3. quæſt. 7 §. Dico igitur.* Statuit Angelos in eadem ſpecie, eſſe numero diſtinctos, atque multiplicatos. his verbis. *Dico igitur, quod omnis natura quæ non eſt de ſe, actus purus, poteſt penes illam realitatem, ſecundum quam eſt natura, eſſe potentialis, ad realitatem illam, quæ eſt hæc natura: & ſicut de ſe, non includit aliquam entitatem, quaſi ſingularem; ita non repugnant ſibi, quantumcumque tales entitates, & ita poteſt in quantocumque talibus inueniri; in eo tamen, quod eſt neceſſe eſſe, ex ſe, eſt determinatio in natura, ad eſſe hoc, quia tantum eſt, quantum poteſt eſſe, quia, quicquid poteſt eſſe in natura, eſt ibi, ita quod determinatio, non poteſt eſſe, per aliquod extrinſecum ad ſingularitatem, ſi poſſibilitas ſit in Natura, per ſe ad infinitatem. ſecus eſt in omni natura poſſibili, vbi poteſt eadem multitudo.* Quibus verbis, & alijs ſuccedentibus, in reſponſione ad primum, ſtatuit Scotus, omnem naturam, quæ includit aliqualem potentiam, poſſe determinari, ab intrinſeco, hoc eſt ab eſſe, vt dicunt, exiſtentiæ, quia tantum eſt, quantum poteſt eſſe; aliàs natura communicabilis pluribus, & ex conſequenti, infinitis, eſſet actu infinita, quod impoſſibile eſt, niſi in Deo. Hæc autem reſponſio ſufficientiſſima eſt, ad ſoluendum propoſitum, ab Auerroe argumentum; tum quia eſt ex ipſius confeſſione accepta; tum etiam, quia eſt rei naturæ, & veræ Philoſophiæ principijs conſentanea; tamen, quia Ariſtotelis dogmatibus non concordat, cum Ariſtoteles vbique dixerit, in ijs, quæ carent materia idem eſſe eſſentiam, & exiſtentiam, ac proinde, tales ſubſtantias eſſe ſimpliciter neceſſarias, vt ipſemet Scotus, Vir certe acutiſſimus, & ingenue peripateticus, confeſſus fuit, loco nuper citato, his verbis. *Sed diſcordamus ab eo, in hac propoſitione, omnis quiditas, non habens materiam eſt formaliter neceſſaria; & ideo, in concluſione, rationabilius eſt enim Theologo, diſcordanti à philoſopho in principio propter quod tenet aliquam concluſionem, conſequenter diſcordare in concluſione, quam errare cum eo in concluſione, & diſcordare ab eo in principio, propter quod ipſe errauit. Ita enim concordare, cum eo, nec eſt philoſophari, nec theologice ſentire, quia talis non habet rationem, quæ valeat apud philoſophum, quia nec philoſophus concederet concluſionem, propter principium illud, nec ad concluſionem ſuam habet principium theologicum, quia præciſe, ad ea eſt principium philoſophicum, quod ipſe negat.*

Propterea cum S. Thoma alteram afferimus responsionem, & dicimus, intellectum quamuis careat materia ex qua constet, tamen non carere materia, in qua sit, cum actus, & forma corporis sit, siue particula animæ & formæ informantis corpus; vt sæpius antea dictum est, & hoc illis sufficit ad distinctionem numericam, etiam postquam separata est, à corpore, cum in ipso hæc habitudo ad corpus, quam initio contraxit, semper maneat, quandoquidem, de ratione formæ est, & illi intrinsece, & substantialiter competit, vt est altera pars compositi. Ad secundum vero argumentum, in quo dicitur, intellectum, si non esset vnus, fore singularem, ac proinde potentia intelligibilem; respondetur; distinguendo, illud singulare; vel enim sumitur singulare, pro natura indiuidua, per se subsistente, omnibus *alijs* circumscriptis; & ita conceditur, intellectum cuiuslibet hominis esse singularem, quemadmodum etiam dicimus, vnam quamlibet intelligentiam esse singularem; vel sumitur pro natura subsistente in materia quanta, à qua accipiat esse, & conditiones singularitatis; & ita negatur intellectum in hac significatione esse singularem. Hac supposita distinctione, ad minorem dicimus, & ad eius probationem, quod si accipiatur, intellectum esse singularem, iuxta primam significationem, quemadmodum necesse est sumi, etiam ab Auerroe, qui ipsum statuit vnum in omnibus hominibus, quamuis enim non sit vnus in singulis, est vnus in omnibus, & vnus in seipso, quod singularitatem dicit; ac propterea ipsum, vnam quandam intelligentiam Auerroes esse dixit, hoc est, vnam quandam per se subsistentem naturam immaterialem. Nullum sequetur absurdum, eorum quæ deducebat Auerroes; sed tunc sequerentur, si statueremus, ipsum singularem, iuxta secundam significationem, sequeretur enim esse phantasma, & potentia intelligibile, si non esset abstractus, à conditionibus materiæ, atque ita haberet rationem mouentis, non autem moti. sequeretur etiam recipere intelligibilia singulariter, quia ipse esset natura singularis, hoc est contracta ad materiam. Ita etiam non differret à sensu, vel imaginatiua, cum vtraque reciperent singulariter, hoc est non sine conditionibus materiæ, ac pariter, res in anima, siue intellectu existentes, non differrent à rebus extra animam, quantum spectat ad esse indiuiduum, & singulare, quia à facultate singulari, hoc est materiæ quantæ mixta, & in materia contracta reciperentur. Ad tertium vero argumentum, in quo dicitur, si intellectus sit numero multiplicatus; tunc eiusdem rei conceptus esset numero diuersus, & idem specie, quare conceptus illi diuersi numero haberent

alium

alium communem conceptum formalem, ratione cuius intelligibiles essent, & sic de illo conceptu, cum pariter recipiatur in diuersis intellectibus, necnon de alijs, vsque in infinitum. Respondetur falsum esse totum hunc processum argumentandi; quod enim primo deducitur, si intellectus est multiplicatus, eiusdem rei conceptus est idem specie; numero autem diuersus, falsum est, nisi recte intelligatur. Conceptus enim rei dicitur esse vnus in multis; quinimmo in omnibus intellectibus, ratione rei extra intellectum existentis, cuius natura ita intelligenda est, vt manet, si vera futura est intellectio; & ita dicitur vnus specie.

At vero, ratione speciei intelligibilis, siue species intelligibilis sit obiectum intellectus, vt Scoto placuit, siue ratio intelligendi, vt S. Thomæ, multiplex est, siue diuersus numero; quia eamdem rem, variæ species repræsentare possunt, variis intellectibus; & ita idem conceptus, qui penes rem repræsentatam, est vnus specie, penes speciem repræsentantem, est numero multiplicatus. Cum vero deducitur, ergo hi conceptus diuersi numero, cum intelliguntur, necesse est, vt habeant vnum communem conceptum, ratione cuius intelligantur: neganda est consequentia; nihil enim impedit quamuis sint singulares, quin sint intelligibiles, cum eorum singularitas non sit cum materia, à qua impeditur intellectio, & quando intelliguntur, per aliam speciem intelligibilem, quæ dicitur secunda intentio, non intelliguntur nisi vt res repræsentata, & ita non dabitur processus in infinitum, vt falso deduxit Auerroes, sed oportebit sistere, in secunda intentione, vltra quam non datur alia. Quæ omnia adeo egregie docuit, *S. Thomas*, tum in *opusculo contra Auerroem*, tum etiam *2. contra gentes cap. 75. & 1. par. summæ quæst. 76. artic. 2. in responsione ad tertium*, vt nihil amplius addi possit. Hac eadem responsione, quartum soluitur argumentum, in quo supponebatur; præceptorem discipulo eandem scientiam communicare, ac propterea necessario eundem requiri in vtroque intellectum, nisi dicendum sit, scientiam esse formam naturalem, vt est forma ignis, quæ cum sit vna specie, numero multiplicatur in pluribus.

Quod enim supponitur, eandem scientiam, à præceptore, discipulo communicari, si de eadem numero scientia intelligatur est falsum; si vero de eadem specie, non concludit argumentum; vt vero hoc totum clarius intelligatur, repetendum est, quod nuper diximus, vnicam dici intellectionem, ac propterea scientiam, ex vnitate rei, quæ intelligitur, quæ cum vnico modo repræsentetur, vti est multis intellectibus,

ctibus, vnicam sui faciat notitiam, seu scientiam, quæ specie est vna, multiplicem vero dici, ob pluralitatem specierum intelligibilium, quæ in multis, ac diuersis intellectibus, quamuis eiusdem rei imagines, & species, multæ, ac diuersæ reperiuntur, ac propterea sunt distinctæ numero, quod si dicatur, scientiam in præceptore, & discipulo esse vnam specie, & diuersam numero, non concluditur intentum, habitus enim specie vnus, & numero multiplex, vnum specie arguit subiectum; sed numero multiplicatum. Neque obstat instantia, qua dicitur scientiam fore naturalem formam, quæ, vna specie communicatur numero diuersis, longe enim alia est ratio, cum scientia connumeretur inter formas artificiales, quamuis non inter formas mere artificiales, quæ habent solum principium ab extrinseco, vt ædificij forma; vel machinæ lignariæ; sed inter, medias, quæ etsi habeant principium ab extrinseco, tamen habent etiam ab intrinseco, impetum, & principium, quo possint produci sine extrinseco; vel simul cum extrinseco, tanquam coadiuuante, vt est sanitas, quæ etsi producatur, à Medico, tamen fieri potest etiam à natura ægrotantis; vel absque Medico, vel solum Medico adiuuante. Inest enim vnicuique principium insitum, quo possit adipisci scientias, nempe Intellectus, & habitus principiorum, assidua singularium cognitione ab Intellectu acquisitus, quo potest vnusquisque etiam ex se ipso scientiarum habitus sibi comparare, quamuis aliquando etiam ab extrinseco adiuuetur scilicet à præceptore, qui eadem via scientiam in discipulo producit, qua ipse proprio ingenio inuenire posset, nempe notiores primum discipulo conceptiones obijciens, & proponens, deinceps vero occultas ex ipsis deducens conclusiones, quemadmodum *1. posteriorum Aristot.* dixit: *Omnis doctrina, omnisq; disciplina intellectiua ex præexistente fit cognitione*. Et hæc pro solutione quarti argumenti sufficiant, quamuis non multi roboris, aut momenti, etiam ab aduersarijs habeatur, quare, & Hieronymus Pontanus Auerrois pariter, in hac opinione sectator, *lib. 6. cap. 6.* affert clarissimam contra hoc ipsum instantiam, quia, inquit ipse, si hoc esset verum, oportere vnum numero esse intellectum præceptoris, & discipuli, vt scientia à præceptore discipulo communicetur, tunc pariter necesse esset, vnam numero esse animam hominis, & aliquorum brutorum, quæ ab homine multa docentur. Ad quintum vero argumentum, fusius libro sequenti, ex Aristot. genuina sententia respondebimus; sed nunc etiam respondemus, quemadmodum, & præcedente capite, hoc attingentes respondimus, non esse conueniens, vt vnum vitetur absurdum, aliud maius, ponere quem-

admo-

admodum faciunt aduerſarij, qui volentes euitare infinitum actu, longe maius ſtatuunt incommodum, nempe vnum in omnibus hominibus Intellectum, quod numquam Ariſtoteles pronunciauit, vt ipſimet aduerſarij confitentur. tum Pontanus *lib. 6. cap. 1. & cap 14.* in principio, & *cap. 15.* in fine; tum etiam Antonius Bernardus Mirandulanus, *lib. 39.* de euerſione ſingularis certaminis *ſect. 9.* Non enim poſſumus ſcire, quid Ariſtoteles ad hoc argumentum de infinito in actu dicturus fuiſſet, vt bene animaduertit Sanctus Thomas in opuſculo contra Auerroem, cum hoc ſpectet ad Metaphyſicam, cuius libri ab Ariſtotele conſcripti, non extant omnes; vel etiam, quia de ijs, quæ ſpectant ad animam à corpore ſeparatam, nihil certi potuit Ariſtoteles pronunciare, cum naturali lumine conſequi minime poſſint, vt fuſe Gaſpar Cardinalis Contarenus, in tractatu de immortalitate animæ, contra Pomponatium demonſtrauit, quod ſi hæc reſponſio quibuſdam non ſatisfaciat, quamuis ſufficiens ſit: licebit adhuc, ex principijs Ariſtotelis certiſſime reſpondere, quemadmodum reſpondet *Sanctus Thomas 2. contra gentes cap. 81.* ſuppoſito enim, quod mundus ſit æternus, & ſpecies humana ſit æterna, & adhuc quod anima æterna ſit multiplicata ad numerum hominum, tamen non ſequitur, dari infinitum actu. Ratio eſt, quia finitum, & infinitum ſunt paſſiones quanti, vt quantum, vbi ergo non eſt quantitas, neque eſt finitum, neque infinitum, quare, & ſubſtantia, ſine quantitate, neque finita, neque infinita dicitur, vt Ariſtot. docuit *1. Phyſico. partic. 15.* & *8. Phyſico, partic. vltima*, cum igitur animæ ſeparatæ à corpore ſint omnino immateriales, & ex conſequenti, expertes quantitatis, quia nullam habent materiam, nec ex qua, nec in qua. reliquum eſt, vt neque ſint finitæ, neque infinitæ; ſed dicet aliquis; omnis multitudo eſt numerabilis, omne autem numerabile eſt finitum, quia omnis numerus eſt multitudo finita, vt dicebat Philoſophus *5. Metaphiſ. cap. 14. partic. 18.* ergo omnis multitudo eſt finita, ſiue ſit rerum materialium, ſiue immaterialium. Hoc argumento vſus fuit *Ariſtot 3 phyſic. partic. 40.* & *S. Thomas 1. par. quæſt. 7. artic. 4.* ex hoc eodem, ſtatuit impoſſibile eſſe, infinitum in actu, in multitudine, quare Caietanus eodem loco inquit, ex hoc S. Thomam ſibi ademiſſe omnem viam concordiæ cum doctrina Ariſtotelis: Exiſtimauit namq; Ariſtotelem ſtatuiſſe, animas multiplicatas ad numerum hominum, ex hoc autem & ſpeciei æternitate; ſequitur infinitum in actu, quod hoc loco dicit impoſſibile; ſed parcat vir doctiſſimus, melius mihi videtur, aſſequutus mentem *S. Thomæ* Ferrarienſis *ſuper cap. 81. 2. contra gentes*; ſtatuit enim, vt rei veritas eſt, non

esse idem argumentum, quo vtitur S. Thomas, cum argumento Aristotelis. Argumentum enim Aristotelis, ex eo procedit, quod ponit omnem numerum esse numeratum, hoc vero argumentum non probat, nisi de multitudine quanta, non autem de multitudine simpliciter; Omnis enim multitudo quanta, est mensurabilis, vnitate, modo sit actu; at multitudo non quanta non est mensurabilis; mensurabile enim fluit à quantitate, & propterea, omnis multitudo quanta actu, est finita; quod autem aliud sit multitudo simpliciter, à multitudine mensurabili, patet, quia multitudo mensurabilis est numerus, numerus autem non dicitur simpliciter multitudo; sed multitudo finita, vt patet ex *Aristot. 5. Metaphys. cap. de quanto*, vbi eodem Caietano teste, hoc Aristoteles dixit, quasi multitudinem infinitam excipiat. quare, hoc argumentum Aristotelis, est argumentum probabile si de multitudine simpliciter accipiatur, vt ipsemet Aristoteles fassus fuit, ac propterea logicum appellauit. Argumentum vero S. Thomæ, ex eo procedit, quod species multitudinis sunt proportionate speciebus numeri; species autem numeri sunt factæ per vnum, siue resultant ab vnitate vltima, quæ specificat numerum; cum enim numerus sit quid compositum ex multis vnitatibus, ordine dispositis, non potest esse quid vnum, nisi aliquod in ipso se habeat, vt materia, & aliquod, vt forma; forma autem habet rationem termini, necesse igitur est, in qualibet specie multitudinis, dari vltimam vnitatem, quæ det certam speciem multitudini, & propterea, vnitate addita, vel diminuta, corrumpitur species numeri, atque ita, vnitas constituit speciem multitudinis, per modum formæ. At secus est, speciem multitudinis mensurari ab vnitate; hoc enim est, per replicationem vnitatis, præcisum & certum numerum reddi. quare argumentum Aristotelis, huiusmodi est. Omnis multitudo, scilicet materialis in actu, est aliqua species numeri, sed multitudo infinita, non est in aliqua specie numeri; ergo & cætera. probatur minor, quia omnis species numeri, est multitudo mensurata per vnum, multitudo autem infinita non est mensurata per vnum, ergo. Ratio autem S. Thomæ in prima parte, est. Omnem multitudinem actu existentem, oportere esse in aliqua specie multitudinis, sed quælibet species multitudinis est finita; ergo, probatur minor, quia species multitudinis sunt speciebus numerorum proportionatæ, sed quælibet species numeri, est finita, quia est multitudo facta per vnum, ergo. Patet igitur non esse vnam & eandem rationem Aristotelis, & S. Thomæ; primo quia, ratio Aristotelis procedit ex numero. Ratio autem S. Thomæ ex proportione

Digitized by Google

tione ſpecierum multitudinis, ad ſpecies numerorum; ſecundo quia, ratio Ariſtotelis procedit ex menſuratione numerorum; Ratio autem S. Thomæ ex ipſorum formali conſtitutione. Hæc Ferrarienſis, in quo diſcurſu, credo rei veritate fuiſſe aſſequutum ſententiam S. Thomæ, quod patet ex ſubſequenti ratione, quam ibidem attulit, quæ confirmat priorem rationem, ſubdit enim S. Thomas. *Item multitudo in rerum natura exiſtens, eſt creata, & omne creatum, ſub aliqua certa intentione creantis, comprehenditur; non enim in vanum, agens aliquod operatur, vnde neceſſe eſt, quod ſub certo numero omnia creata comprehendantur.* Hæc autem ratio, procedit ex eo, quod omnis res creata, oportet, vt habeat determinatam ſpeciem ſuæ entitatis, iuxta certam ideam, primo intentam à creatore. Conſtat igitur, argumentum Ariſtotelis non tollere infinitum actu, ab omni multitudine; ſed tantum à multitudine quanta, cui repugnat infinitum, cum non poſſit pertranſiri, & contra hoc infinitum, ipſum argumentatum fuiſſe *3. phyſicorum*. Conſtat etiam S. Thomam ex alio principio, & non ex principijs Ariſtotelis, ſubſtuliſſe infinitum actu, ex qualibet multitudine, etiam immaterialium: Quare etſi impoſſibile ſit, rei veritate, dari multitudinem, actu infinitam; tamen, hoc non eſt ex principijs Ariſtotelis, cum Ariſtoteles nullo alio argumento, ſuſtulerit infinitum actu, niſi quia infinitum eſt paſſio quanti; quantum autem infinitum, actu non datur, ſiue ſit continuum, ſiue diſcretum. Sufficit autem nobis, ex hoc, concludere, quod male dictum ſit ab Auerrois ſectatoribus, non poſſe ſaluis omnibus Ariſtotelis principijs tueri immortalitatem animorum, niſi ad vnitatem ab ipſis confictam, tamquam ad ſacram anchoram confugiamus. Sed aliquis obijciens dicet, quomodo poterit multitudo, ſine quantitate reperiri, ſi neque concipi, neque definiri, abſque quantitate poteſt? Quare & Ariſtoteles loco citato *5. Metaphyſic. cap. 13.* multitudinem, vt ſpeciem quantitatis recenſuit. poſtquam enim, quantum definiuit, *eſſe diuiſibile in ea quæ inſunt, quorum vtrumque, aut vnumquodque, vnum quid, & quod quid, aptum eſt eſſe.* Ipſum diuiſit, in multitudinem, & magnitudinem, & in vtriuſque definitione, quantitatem aſſumpſit; Multitudinem enim dixit, eſſe diuiſibilem, in non continua; Magnitudinem autem in continua. Nulla igitur poterit eſſe multitudo, rerum immaterialium, quæ quantitatem non concernunt, vt ſuppoſitum eſt. Ad hæc dicimus, quod etſi, nobis non liceat definire, neque intelligere multitudinem, abſque quanto; tamen, non eſt negandum, quin multitudo detur, etiam abſque quanto. Veluti enim, etiam ſi, non videremus aſtra, ex quibus, tamquã corpori-

Digitized by

bus motis, nos deuenimus incognitionem ſubſtantiarum incorporearũ, mouentiũ, nihilominus, eſſent ſubſtantiæ perpetuæ, præter eas, quas nos ſciremus, vt Ariſtot. dicebat *7. Metaphyſic. partic. 58.* Ita, etiam ſi, nos multitudinẽ ſine quanto concipere non valeamus; nihil impedit, quin ipſa ſit, aut poſſit eſſe, quin immo, etiam alibi, Ariſtoteles multitudinem hanc, non ſolum ſine quanto; ſed etiam ſine loco, & ſine tempore, ac proinde, nullis terminis, nullaq; menſura concluſam apertiſſime ſtatuit, ita enim *primo de cælo partic. 100.* inquit: *Extra autem cælum, quod neque eſt, neque contingit eſſe corpus, oſtenſum eſt, manifeſtum igitur eſt, quod neque locus, neque vacuum, neque tempus eſt extrinſecus; quapropter, neque quæ illic ſunt, nata ſunt in loco eſſe, neque tempus, ipſa facit ſeneſcere, neque vlla tranſmutatio, vllius eorum eſt, quæ ſuper extima diſpoſita ſunt latione; ſed in alterabilia, & impaſſibilia, optimam habentia vitam, & per ſe ſufficientiſſimam perſeuerant toto æuo, etenim hoc nomen diuinæ enunciatum eſt ab antiquis.* Ex hoc autem loco; ita arguo. Datur ex Ariſtotele actu multitudo aliqua, incorporeorum, quæ non continetur loco, neque tempore: ergo datur ex Ariſtotele multitudo aliqua infinita actu. Probatur conſequentia, quia omne, quod eſt finitum, aut eſt finitum ratione termini quantitatis, aut ratione loci, aut ratione temporis; ſed nullum ex his competit multitudini ſubſtantiarum extra cœlum exiſtentium, ex Ariſtotele loco citato, ergo tali multitudini non competit eſſe finitum. Quare non ſine ratione dixit Algazel, dari poſſe multitudinem infinitam actu, in ijs, quæ non habent eſſentialem ordinem inter ſe; ſed tantum accidentalem, quam ſententiam Sanctus Thomas non improbauit, neque ſecundo contra gentes *cap. 81.* neque in opuſculo contra Auerroem, quin immo illam, vt ſatis rationabilem recenſet his verbis: *Ad hanc autem obiectionem, ſic reſpondet Algazel, in ſua Metaphyſica. Dicit enim, quod in quocumque fuerit, vnum iſtorum ſine alio, ideſt, quantitas; vel multitudo ſine ordine, infinitas, non remouebitur ab eo ſicut à motu cæli (& poſtea ſubdit) ſimiliter etiam animas humanas, quæ ſunt ſeparabiles à corporibus, per mortem, concedimus eſſe infinitas numero, quamuis habeant eſſe ſimul, quoniam non eſt inter eas ordinatio naturalis, qua remota, deſinant eſſe animæ, eo quod nullæ earum ſunt cauſæ alijs; ſed ſimul ſunt, ſine prius, & poſterius, natura, & ſitu. Non enim intelligitur in eis, prius, & poſterius; ſecundum naturam, niſi ſecundum tempus creationis, ſua in eſſentijs autem earum, ſecundum quod ſunt eſſentiæ, non eſt ordinatio vllo modo; ſed ſunt æquales in eſſe, è contrario ſpatijs, & corporibus, & cauſæ, & cauſato.*

Quamuis prima parte Summæ, Theologica, & veriore ratione permotus, hanc Algazelis ſententiam improbauerit, vt fuſe paulo ante mon-

monſtrauimus. Sed his prætermiſſis, adhuc dicimus, poſſe concipi aliquam multitudinem, vt rei veritate concipitur, ſine quanto, quamuis non ſine eo, quod ſit proportionale quanto, veluti enim, quamuis extra animam, multitudo, aut magnitudo, non ſit ſine quanto ſenſibili, quod eſt, quantum determinatum, anima tamen cum quanto intelligibili, quod eſt quantum indeterminatum illas percipit, ita poteſt Intellectus, etiam illas concipere ſimpliciter ſine quanto, quamuis, non ſine eo, quod eſt proportionale quanto, talis autem eſt quælibet natura etiam immaterialis, præter primam intelligentiam, cum talis natura includat potentiam, quamuis non poſitiuam; ſed priuatiuam, & propterea admittit multitudinem, vt paulo ſupra oſtendimus, ex Auerrois auctoritate *3. de anima comment. 5.* Et hæc pro reſponſione ad quintum argumẽtum, pro mei ingenij tenuitate, & exiguo captu, in re difficillima, & obſcuriſſima, dicta ſint, ſatis, quamuis adhuc alia via, ex genuino Ariſtotelis ſenſu, & antiquiſſimorum peripateticorũ, illud idem, in ſequenti libro ſoluemus. Ad ſextum vero, & vltimum, argumentum, in quo dicunt: Auerroes, & eius aſſeclæ, ex hac vnici Intellectus poſitione, omnes difficultates, omnesq; quæſtiones ſolui, quæ circa animi immortalitatem emergunt, ſaluis remanentibus Ariſt. principijs omnibus, quod fieri impoſſibile eſt, multiplici animarum numero conſtituto. reſpondetur, negando totum, quod ipſi aſſumũt. Primo, quia ab ipſis non præſtatur, quod pollicentur, aut ſi præſtatur, inaniter, & abſque vtilitate aliqua fit. Secundo, quia, vt vnum abſurdum vitent, aliud longe maius, non ſolum impoſſibile; ſed etiam inexcogitabile inuehunt. Tertio, quia quæſtiones omnes, omnesq; difficultates, quæ ad immortalitatem animi ſequuntur, ſaluis omnibus Ariſtotelis principijs, & ſolo naturæ lumine ſolui poſſunt. Primum quidem certum eſt. Pollicentur namque hi omnes, ſpecioſo titulo, immortalitatem animi humani tueri, quod non præſtant, non magis enim pertinet ad hominem, vel ad animam humanam immortalitas, quam tuentur, quam pertineat immortalitas Angeli, vt noſtro more loquamur, vel alicuius intelligentiæ. Intellectus, enim, quem ipſi immortalem dicunt, vna quædam intelligentia eſt, vt Auerroes aperte dixit, neque homini tribuit eſſe, vel quiditatem, vllo pacto, cum eſſe vltimum, quod conſtituit hominem, ſit à cogitatiua, non autem ab hoc Intellectu, cumque homini non vniatur, niſi mediantibus phantaſmatibus, quod eſt ab extrinſeco, & valde remotum, quin immo, cum neque eius operatio pertineat ad hominem, quandoquidem intellectio, non recipitur in corpore, neque in compoſito, cum ſit operatio

Digitized by Google

ratio immaterialis, neque in anima, cum anima hominis, ex ipsorum sententia, sit phantasia, non autem Intellectus; in phantasia autem non sunt intelligibilia, neque intellectio; sed in Intellectu, vt *Aristot. 3. de anima cap. 1.* docuit. Esto, quod animum humanum, aut Intellectum immortalem ostendant. Inane, & infructuosum est, & non minus impium, quam si mortalem dicerent, quid enim refert, superstitem esse animum, qui nullius hominis peculiaris sit; sed communis omnibus? vana prorsus erit religio, inanis pietas, & infructuosa colentibus ipsam, cum nullum post mortem magis ipsis, quam impijs, & irreligiosis maneat virtutum præmium, aut vitiorum pœna. Conturbat hæc sententia, totam moralem Philosophiam. Euertit politicam. quare & *Aristot. 1. Ethicorum cap. 11.* fortunas posterorum *ad defunctos*, aliqualiter pertinere, non negauit, ex quo loco fuit coactus Antonius Bernardus Mirandulanus *lib. 39. sect. 9. de euersione singula. certam.* dicere Aristotelem, & sensisse, & pronunciasse, animum humanum immortalem, & multiplicatum, quamuis antea dixisset eundem ratione naturali ex sensibus petita, aliter fuisse dicturum. Secundum vero, non minus patet, nam quamuis falsum & absurdum sit mortalem dicere, humanum animum, tamen longe maius, est dicere, vnum, nullum enim maius monstrum, Pictor aliquis delineare posset, vt Pomponatius inquit: & valde vehementi imaginatiua præditum esse oporteret eum, qui hoc sibi fingere vellet, vni etenim homini, multa capita finxit, fabulosa credulitas, vt Iano, at multis hominibus: vnum caput, nunquam excogitauit. Tertium vero Deo iuuante, etiam demonstrabimus. Reliquum, & vltimum est, authoritatibus respondere, & ostendere, hanc opinionem, non fuisse veterum Philosophorum: nec Platonis, nec Aristotelis, nec Eudemi, aut Theophrasti, Aristotelis auditorum: sed nec etiam Themistij, aut Simplicij, aut alicuius alterius ex vetustis, & antiquioribus Aristot. interpretibus, vt bene Albertus, & Sanctus Thomas dixerunt: sed fuisse peregrinum, ac proprium Auerrois inuentum, qui perperam Aristotelis, & prædictorum sententiam intellexit.

Quod rationalis anima, vel humanus Intellectus, non sit vnus: sed numero multiplicatus, apud neminem Platonicorum est dubium, cum id aperte multis in locis testetur Plato, & potissimum in Timeo, dum ex secundo cratere, vt Plotinus inquit, vel ex secunda mixtione in eodem cratere, quo animam mundi iam produxerat, humanum animum generauit, quo peracto, vt ipsiusmet verbis vtar: *Astris parem numerum distribuit animarum, singulis, singulas adhibens, eisq;*

tanquam

Digitized by Google

tanquam vehiculo impoſitis monſtrauit vniuerſi naturam, ac leges fatales edixit, oſtendens quidem, primam omnibus generationem, ordine quodam vnam fore, ne quis ab eo, minus aliquid ſortiatur, ſatis autem, & quaſi ſparſis animis, per ſingula, ſingulis conuenientia, temporum inſtrumenta, fore, vt animal naſceretur, quod omnium animalium maxime eſſet diuino cultui deditum. At vero, apparet dubium, quod pro hac ſententia aſſumpſit Auerroes, intellectum ſcilicet, homini operationem tantum, non autem eſſentiam præſtare, quod ex multis Platonis locis, & non leuibus argumentis, præcedentis diſputationis initio monſtrauimus. Quod, ſi diligenter conſideremus, neque in hoc articulo cum Auerroe, Platonem, aut Platonicos conueniſſe, facile intelligemus; cum enim Plato, humani animi naturam, mediam, inter omnino abſtractas formas, & omnino materiæ concretas exiſtimauerit, vt patet, ex ijs quæ de eius origine docuit, in timeo, vbi ex ea ſubſtantia, quæ indiuidua, & ſemper eadem, ſimiliſq; eſt, & ex ea rurſus, quæ circa corpora diuidua fit, mediam ſubſtantiæ ſpeciem, animi ipſius opificem miſcendo generaſſe, inquit, quæ rurſus eſſet, naturæ, ipſius eiuſdem, & naturæ, ipſius alterius, particeps: eamq;, per hæc, mediam conſtituiſſe, inter indiuiduam ſubſtantiam, & eam quæ circa corpus diuiditur. Manifeſte conſtat, ipſum, in hac ſententia, quam tuetur Auerroes nunquam fuiſſe, vt exiſtimauerit, ſcilicet, humanum animum, ſiue eius intellectum, eſſe vnam quandam intelligentiam, aut formã, omnino ſeparatam, quæ homini nullum tribuat eſſe; ſed operationem tantum. Neque obſtat, quod ipſi tribuunt, adeſſe animam corpori, vt nauta naui, hoc enim nequaquam ſenſiſſe optime oſtendit Plotinus *lib. 3. Enneadis 4. cap. 21.* his verbis: *Quid autem dicemus, ſi quis interroget quomodo anima adſit corpori, & ipſe quidem, modum hac de re nullum adducat in medium? Item, ſi quærat, nunquid tota anima ſimul inſit? an pars alia potius aliter? poſtquam igitur nullus, eorum, qui dicti ſunt, eſſendi in aliquo, modus, adhuc nobis probatur, velut animæ conueniens erga corpus. Dicitur autem, ſic eſſe in corpore, velut gubernator in naui. Dicendum eſt, id recte dictum eſſe, quantum ſpectat ad eam ipſam animæ facultatem, per quam valeat à corpore ſeparari, neque tamen, modum nobis exponet potiſsimum exoptatum, nam ſi tanquam nauigator accipiatur, ſecundum accidens aderit gubernator, ſin autem, vt gubernator dumtaxat, quomodo id conueniet? non enim in tota naue eſt, ſicut anima eſt in toto corpore; ſed nunquid ita dicendum? ſicut ars inſtrumentis ineſt, velut in gubernaculo ſi forte eſſet gubernaculum animatum, adeo vt Gubernatoria virtus, intus ſit, artificioſe mouens; ſed in hoc ſaltem differentia eſt, quoniam ars eiuſmodi, ab extrinſeco pendet. Si igi-*

tur,

Digitized by Google

tur, secundum illud gubernatoris exemplum gubernaculo seipsum insinuantis, animam collocemus in corpore. velut in instrumento naturali, mouet enim, sic ipsum quocunque placuerit, nunquid ad quæsitum, plus aliquid reportabimus? an forsan, iterum ambigemus, quomodo insit huic instrumento? at qui, & si modus hic diuersus est ab alijs, adhuc tamen planius inuenire, & accedere propius exoptamus; sed nunquid dicendum est, sic animam inesse corpori, vt ignis, idest lumen, inest aeri? etenim hoc, dum adest aeri, non adest, ac per totum præsens, nulli miscetur, & manet quidem ipsum, aer vero transfluit, & quando extra illud fit, in quo est lumen abit protinus nihil retinens, quamdiu vero est sub lumine illustratur, quapropter recte, hic licet dicere, aerem esse in lumine, potius, quam in aere lumen; ideoq; Plato in ipsa mundi generatione, dici noluit, animam in corpore positam esse; sed corpus in anima collocatum, aitque, aliquid esse ipsius animæ in quo sit corpus. Aliquid rursus, in quo corpus nullum, quantum videlicet ad eas vires animæ pertinet, quibus corpus minime indiget. Quibus verbis clare docuit, quomodo putauit Plato esse animam intellectiuam in corpore, est enim, vt nauta in naui, & non est, vt nauta in naui, quatenus enim, in esse, non dependet à corpore; sed potius ab ipsa corpus dependet, tanquam à forma, atque ita continet corpus, non autem continetur à corpore, eatenus est in corpore, vt nauta in naui, qui secundum suum esse non dependet à naui; sed potius nauis à nauta à quo regitur. Quatenus vero, ita est in corpore, vt sit in toto, & in qualibet eius parte, atque intrinsece ipsum perficiat, eatenus non est in corpore, vt nauta in naui, cum neque sit nauta in tota naui, neque intrinsecus perficiat nauem. Quare lumini potius ad similem dixit, quod intrinsece totum peruadit, & perficit diafanum, quamuis ab eo minime pendeat, ac potius contineat, quam contineatur. In hoc autem sensu, & non aliter videmus Plotinum negasse de anima, quod sit Entelechia corporis, hoc est talis Entelechia, & non simpliciter, vt ipsemet docuit *lib. secundo. 4. Enneadis cap. 1.* dicens: *Si quærentes quanam animæ essentia sit, ostenderimus, eam neque corpus esse, neque rursum in rebus incorporeis harmoniam, item quod dicitur de Entelechia, idest, actu quodam perfectioneq; corporu prætermiserimus, quasi (vt verba sonant) minime verum, neque quid ipsa anima sit, declarans.* Nomen etenim Entelechiæ actum & perfectionem inseparabilem, ex vi, & efficacia vocabuli refert, quamuis *Aristot. 2. de anima*, etiam de actu separabili vsurpari dixerit. Hoc idem docuit Simplicius, Platonis dogmatum obseruantissimus, multis in locis, ac potissimum *2 de anima comment. 8. in explicatione textus 4.* vbi distinctionem affert de anima rationali, vt perficit, siue informat corpus, &, vt vtitur corpore,

Digitized by Google

pore, quod perficit & informat, qua ſuppoſita diſtinctione, inqui t, ipſam, vt perficit, eſſe in corpore, tanquam actum & formam, vtv ero, corpore, quod perfecit, vtitur, eſſe in eodem, vt nauta in naui. Hæc autem ſunt eius verba: *Rationalis igitur actus eſt ipſa anima, nec ſui ipſius eſt, neque in ſe tota manet, vel ipſius tota eſſentia, ita conſtituta eſt, vt corporum ſit determinatrix, & circumſcriptrix, nec in ſeipſam conuertibilis ſit: ant, quia duas habet vitas, iuxta illam quam ad corpus facit declinationem, atque iuxta eam quam ad exteriora facit vergentiam, vel quidem, vt corpus viuificantem, vel, vt viuente vtentem. Etenim ipſa eſt actus naturalis corporis, potentia vitam habentis, quemadmodum nauis gubernator, vt qua moueat, & vtatur viuente corpore, quod idcirco inſtrumentum, ſiue organum dicitur, quod vtenti anime pareat.*

Non negat igitur Plato, neque eius ſectatores, quamuis aliquando dicat, animam eſſe in corpore, vt mouentem, aut vt nautam in nauigio, eandem ipſam eſſe formam, & actum corporis, quemadmodũ, neque Ariſtoteles, quamuis animam Entelechiam dixerit, tamen non negauit eamdem eſſe in corpore, vt mouentem, & vt nautam in naui, quod non ſolum de rationali; ſed de qualibet mouente, docuit *8. Phyſic. partic. 28.* Neque igitur, in figmento vnitatis, neque in altero, quod dicit, intellectum tantum aſſiſtere hominibus, non autem informare; Auerroes, Platonem, aut aliquem ex Platonicis ſibi conſentientem habet; ſed maxime diſſentaneos. Neque minus ex peripateticis Græcis, & vetuſtioribus quẽquã. De Philopono, nemo dubitat, quamuis Zabarella in hac quæſtione, ipſum ſibi contradicere exiſtimauit, circa informantem actum, quod tamen verum non eſt, loquitur enim varie Philop. vt varie accipit animam, vt ante diximus, ex Simplicio, attamen nemini dubium eſt, quod intellectum, non vnum in omnibus; ſed multiplicatum cenſeat. De Simplicio iam monſtrauimus; etiam præcedente diſputatione, ipſum ſtatuiſſe, intellectum multiplicatum, & informantem, multis in locis, vt optime animaduertit Zabarella, *in diſputatione de mente humana cap. 4.* vbi multos ad hoc citat apud Simplicium locos, quamuis Portius, Auerrois ſententiam illi tribuat. At neque Themiſtius illi fauet, & ſi omnes hucuſque Peripatetici, vno excepto S. Thoma, necnon Alberto, Auerroem, à Themiſtio hanc fuiſſe ſententiam mutuatum exiſtimarint. Hoc autem clariſſime apud eundem Themiſtium eſt legere *3 de anima cap. 32.* quod bene animaduertit, & ijſdem verbis recitauit Sanctus Thomas nunquam, certe, ſatis laudatus, quippe qui, non modo totum Ariſtotelem perlegit, omniaq; eius loca diligentiſſime expoſuit, & dilucidauit, verum etiam

omnes

omnes Græcos Aristotelis interpretes, quamuis ipse linguam non calleret, summo studio perlustrauit, vt ex hoc Themisti loco, quem solus inter tot alios animaduertit, manifestum est, non mirum autem quod alij tam oscitanter locum hunc prætermiserunt, aut si viderunt, & animaduerterunt, ab illo non sunt persuasi. Tanta enim, & tam præiudicata fuit apud Philosophos, non solum præcedentis sæculi, verum etiam antecedentium duorum Auerrois auctoritas, vt quicquid ipse dixisset: Ratum, & peripateticum haberetur, & pugnacissime ab eius discipulis, quos Auerroistas vocabant, defenderetur. Sunt autem hæc Themistei verba *3. de anima cap. 32. Iam vero si multi intellectus agentes, inuehendi essent, & ad singulos intellectus potentiæ, singuli agentes accomodandi, associandiq; viderentur, quo nam modo vicissim differrent? nam singularia, quæ eadem specie habentur, interstinctione materiæ discernuntur, intellectus autem agentes; si plures forent, eadem specie continerentur, tum quia, omnium eorum substantia definiretur actu, tum quia eadem genera constitui oporteret quæ promiscue ab omnibus vsurparentur, cognoscerenturque, si enim non eadem omnibus sint futura; sed diuersa, qualis nam obsecro isthæc sortitio, & distributio fuerit? Quo, item pacto intellectus potentia, omnia intelliget, nisi intellectus agens, qui illum ad actum perducit etiam intelligat omnia An, primum quidem intellectum illuminantem credi vnum oportet, illuminatos vero, & subinde illuminantes, multos, quemadmodum, quamquam Sol est vnus, tamen lux quæ de Sole prodit, & mittitur; quasi abiungitur ab eo, & diuellitur, atque ita in multos obtutus distrahitur, distribuiturque, quamobrem Aristoteles intellectum non soli; sed lumini comparauit; Plato autem Soli, quia intellectum, & animum hominis, Deo esse quam simillimum volebat;* Animaduertendum autem est, proponi quæstionem à Themistio de intellectu agente, vtrum sit vnus, non autem de intellectu potentia, supponit nãque intellectus potentia esse multos, quærit autem, vtrum intellectus agentes plures ponendi sint, ad plures, siue singulos intellectus potentiæ accomodandi, & associandi; ex his omnibus duobus intellectum humanum constitui, infra docebit: proposita autem ratione dubitandi, nempe quia illa quæ in eadem specie, sunt multa, causam multiplicationis, & diuisionis habent à materia, quæ in tali intellectu non est, cum dicatur ab Aristot. separatus. Respondet quæstioni, & inquit, duplicem esse intellectum agentem, vnum illuminantem, & non illuminatum, alterum vero illuminantem, & illuminatum; illuminantem quidem dicit esse vnum; illuminatum vero, & illuminantem, dicit esse plures, quare illuminantem tantum assimilat, Soli. Illuminatum vero, & illuminantem, assimilat lumini, veluti enim Sol, qui est fons, &

origo

origo luminis vnus eſt, lumen autem, quod ab ipſo manat in plures diuiditur obtutus, ita primus intellectus, vnicus ipſe eſt, intellectus autem, qui ab ipſo manat, qui eſt illuminatus, quia procedit à primo, tamquam à Sole, illuminans vero, quia illuminat intellectum potentia, multiplex eſt, & ad ſingulos intellectus potentia, adaptatus, atque coniunctus. Qua propter Plato, qui intellectum humanum Deo adſimilem eſſe volebat, hunc intellectum adſimilauit Soli; Ariſtoteles autem, non ſoli; ſed lumini. Hanc comparationem, apud Platonem legimus *dialogo 6. de Republica*, vbi eam proportionem habere bonum, ſiue Deum ad intellectionem, & ea quæ intelliguntur, dicebat, quam Sol ad viſionem, & ea quæ videntur habet, & veluti in oculo non eſt Sol; ſed imago Solis, hoc eſt lux Solis; ita in intellectu, non eſt bonum; ſed idea, & ſimilitudo boni. Ex prædictis autem Themiſtij verbis, duo manifeſtiſsime conſtant, vnum, quod intellectus potentia ſint multi, quod ipſe ſupponit, ita vt ſolum de intellectu agente dubitationem proponat, alterum vero quod Intellectus agens, qui humanus eſt, ſit multiplicatus etiam ipſe. Nunc Lector iudicet, quantum Themiſtij ſententia ab Auerrois opinione diſcrepet. Sed de hoc iterum infra, ſequenti libro *cap. 1.* cum genuinam Ariſtotelis, Themiſtij, Theophraſti, & Eudemi opinionem recenſebimus. Ad id, quod affertur ex Themiſtio appellaſſe intellectum agentem hominem, dicimus feciſſe denominationem, à parte magis præcipua, vt facit etiam *Ariſtot. 10. Ethic. cap. 17.* in fine, vbi hominem maxime eſſe intellectum dixit. Non me conturbat, Beſſarionis, Cardinalis Niceni auctoritas, qui Themiſtium, quin immo & Alexandrum, eadem cum Auerroe ſentire cenſuit, cum enim falſo putauerit; Ariſtotelem ſtatuiſſe intellectū non eſſe formam, non mirum ſi ex vno in alterum errorem decidit. Antonius Bernardus Mirandulanus, ſibi ipſi turpiſſime contradicit, cum enim oſtendiſſet *lib. 32. euerſionis ſingul. certam. ſect. 1.* Ariſtotelem, naturalibus rationibus, & ſenſu perſuaſum, coactum fuiſſe, vnitatem intellectus ponere, & aſtruere, quandoquidem, hoc verum eſt (dicit ipſe) ex naturæ fundamentis, quibus fides, & religio aduerſatur, quod certe male, & ſcandoloſe à tali viro, docto, & religioſo, fuit enim Epiſcopus Caſertanus, dictum eſt, cum verum, vero, non aduerſetur, & vbi philoſophia diſcrepat à noſtræ religionis dogmatibus falſa, non vera eſt Philoſophia, vt ſancte decretum fuit in Concilio Lateranenſi vltimo, ſub Leone X. *ſeſsione 8.* poſtmodū lib. 39. ſect. 9. hæc habet verba: *Sed ſtatim quaret aliquis, quare nos, & nunc, & in ſuperioribus dixerimus, animam noſtram rationalem immortalem eſſe, & vnam ex ſententia Ariſto-*

telis

tis naturaliter loquentis, quæ verba videntur significare, nos opinari, aliud sensisse Aristotelem, de ipsa rationali anima, quam quod concludit ratio naturalis, etenim, si ausi traremur ipsum posuisse, simpliciter, animi nostri immortalitatem, & vnitatē, non opus fuisset addere illa verba. Ad quam quæstionē respondemus; nos non sine grauissima causa, vt opinamur, addidisse illa verba, quoniam existimamus Arist. & demonstrasse, & credidisse, animi nostri immortalitatē; sed vnitatem ratione naturali demonstrasse, credidisse autem multiplicationem animorum, imò putasse rationes naturales, quibus videtur probari vnitas Animi nostri, inanes, vanas, atque etiā falsas esse, voluisse tamē ostendere, quod posset in hac re indicare ratio naturalis, ne videretur ignorasse, quid nam esset dicendum ab eo, qui solum lumen naturale sequeretur. Quibus, & alijs sequentibus verbis, ostendit Aristotelem aliter credidisse, quam rationes naturales illi demonstrassent, quod quantum sit absurdum, vnusquisque iudicet, Aristoteles enim cui nullum aliud lumen fuit, quam naturale, non potuit aliud credere, quam rationes naturales illi persuasissent, nisi dicere velimus ipsum alio supernaturali lumine fuisse adiutum, & hoc credidisse ex reuelatione, vt idem inferius dixit, quod ridiculum est, & gratis dicitur, præterea manifestè sibi contradicit, inquit enim Aristotelem ratione naturali demonstrasse vnitatem intellectus, & putasse easdem rationes, lumine naturali siue ex principijs naturæ demonstrantes, esse vanas, inanes, & falsas, quæ sunt contradictoria. In eandem ferme contradictionem incidit Hieronymus Pontanus, Mirandulani discipulus *lib. 6. cap. 14.* quamuis non adeo aperte, dum dixit Aristotelem nunquam disertis verbis affirmasse intellectus vnitatem, quamuis multis argumentis, ex eius alijs positionibus desumptis, videatur potius extorqueri, quā aperte ab ipso concedi. Cum tamen antea mordicus ex Arist. sententia ipsam tutatus fuisset, omniaque argumenta in contrarium allata soluere tentasset. Non potui autem, sine indignatione apud eundem legere *lib. 6. cap. 1. S. Thom. in 2 sententiarum* retractasse, id quod dixerat de Themistio, quod opinatus fuerit, intellectum possibilem, & agentem esse multiplicatos ad numerū hominum, in opusculo de vnitate intellectus contra Auerroem, nunquam enim retractauit hoc S. Thomas neque ibi, neque in alio loco: Sunt autem hæc eius verba *in 2. senten. dist. 17 q. 2. Vna est Themistij, & Theophrasti, vt commentator eis imponit in 3 de anima dicunt enim quod intellectus in habitu, qui est tertius, est vnus in omnibus, & aternus.* His autē verbis non inquit, ita rei veritate tensisse, Themistium, & Theophrastum; sed hoc illis imponere Auerroem, quod etiā dixerat in prædicto opusculo. & ita huic disputationi sit finis impositus; in professo solēnitatis Dñici corporis, ad gloriā omnipetentis Dei, in supercilio Quirinalis Montis.

Pro-

Proponitur, & examinatur Disputatio ex Aristotelis sententia, An plures sint; in vno, & eodem homine, animæ partes, non solum ratione; sed etiam genere, & substantia differentes. Ita vt, vna sit generabilis & corruptibilis; nempe vegetatiua, & sensitiua, altera vero ingenita, & incorruptibilis. Intellectiua scilicet, An potius vna tantum sit forma, & substantia, ingenita & immortalis, multis prædita potentijs, & facultatibus, inuicem ratione, aut etiam re distinctis. Caput XVII.

NON minus vtilis, vel necessaria, ad sensum Aristotelis declarandum, est disputatio alia, quæ proponitur. An plures sint in homine animæ partes, non solum re, aut ratione in eadem anima distinctæ, verum etiam substantia, ac genere differentes, vna scilicet generationi, & corruptioni obnoxia, quippe quæ mixta corpori, & organica sit, vegetalis, & sensitiua; altera vero ingenita, & interitus expers, corpori immixta, & inorganica, scilicet intellectiua. Vel potius vna simplex sit forma, & substantia, incorruptibilis, multis prædita potentijs, seu facultatibus, ratione, & re, diuersis; alijs quidem organicis, & corruptibilibus; alijs vero inorganicis, & immortalibus. Hanc vero quæstionem, non ex veritate disputandam proponimus; sed tantum ex sententia Aristotelis, certissimum enim est, ex rei veritate, vnã tantum in vno hominem esse animam, substantiam, & formam simplicem, non genitam; sed de nihilo à Deo productam. Immarcescibilem, & æternam, quæ tamen, multis prædita sit facultatibus, re, distinctis, alijs quidem caducis, & mortalibus; quippe quæ corporeo indigent organo, vt operentur; quẽadmodum vegetalis, & sentiens. Alijs vero immortalibus & sempiternis, qualis est intellectus, potissimum autem, speculatiuus, qui nullo pacto, corporeæ particeps est operationis. Contrariam vero sententiam, esse falsam, & iure merito à Sanctis Patribus damnatam; Augustino, de Ecclesiasticis dogmatibus *cap.* 15. & de Spiritu & anima *cap.* 19.

& Damaſceno 2. Orthodoxæ fide; *cap. 12.* potiſſimum vero ab 8. Synodo generali, *Canone 11.* Ita vt, à quolibet Catholico ſit explodenda, Quare, miratus ſum vehementer, Franciſcum Cardinalem Toletum *1. de anima*, capite, quo recenſet propoſitiones de fide tenendas, non ſine iniuria; Scoto Catholico Doctori, hanc notam inuſiſſe, quaſi & ipſe, duas in homine, cenſuerit eſſe animas: cum nullum afferat locum, in quo Scotus hoc dixerit, quin immo contrarium apud Scotum legatur, diſertis verbis: *lib. 4. ſententiarum diſtinct. 44. quæſt. 1.* tali pacto. *Præterea partes carnis, quæ generantur de nutrimento, ſunt veræ animatæ etiam anima intellectiua, ergo ſunt vere de ſubſtantia viuentis tali vita, antecedens, licet videatur manifeſtum, tamen probari poteſt, quia qualibet eſt animata anima ſenſitiua, quia in qualibet poteſt exerceri aliqua operatio ſenſitiue, vt tactus. Quælibet etiam eſt animata anima vegetatiua, quia qualibet debitæ quantitatis poteſt aliquam actionem vegetatiuæ habere. Senſitiua autem, & vegetatiua, in homine, eadem anima eſt cum intellectiua ex 2. lib. diſt. 1. quæſt. 6. & diſt. 11. art. 2. quæſt. 1.* Quamuis autem Scotus exiſtimauerit plures in eodem compoſito formas, reperiri poſſe, quarum vltima ſe habeat vice formæ reliquæ autem, vt diſpoſitiones, & potentia, vt infra fuſius monſtrabimus, tamen in anima humana, ſecus eſſe exiſtimauit; quia hoc aduerſari Sacris Doctoribus cognoſcebat. Quid igitur hac de re Ariſtoteles ſenſerit, præſenti diſputatione dicere aggrediemur. Sanctus Thomas, quamuis quæſtionem hanc, apud Ariſtotelem, Problematicam eſſe, aliquando cenſuerit, nam *1. parte ſummæ quæſt. 76. artic. 3.* in corpore concluſionis, & Opuſculo *de vnitate intellectus cap. 1. in fine*, ipſam indeterminatam ab Ariſtotele, his verbis aſſerit: *Quod vero tertio obijcitur, quod ſequeretur, ſenſitiuum, & vegetatiuum eſſe ab extrinſeco, non eſt ad propoſitum. Iam enim patet ex verbis Ariſt. quod ipſe hoc indeterminatum reliquit: vtrum intellectus differat ab alijs partibus animæ, ſubiecto & loco, vt Plato dixit, vel ratione tantum. Si vero detur quod ſint idem ſubiecto, ſicut verius eſt, nec ad hoc inconueniens ſequitur, &c.* Tamen *2. contra gentes cap. 58. & 1. par. ſummæ quæſt. 76. art. 3.* ex rei veritate, multis argumentis oſtendit, vnam tantum in vno homine, eſſe animam, & eam quidem intellectiuam, non autem plures, eſſentia differentes. Hoc autem, tribus potiſſimum argumentis probat. Primo, quia homo non eſſet ſimpliciter quid vnum, ſi plures haberet formas, cum vnumquodque habeat eſſe, à forma, & ab eodem, vnumquodq; habet, vt ſit ens, & vnum. quare ſi plures haberet formas, ſiue animas, plura haberet eſſe, & vnitates, & ita non eſſet ſimpliciter vnũ. Hoc etiam confirmat ex rei natura, quæ enim denominantur à diuerſis

formis,

Digitized by Google

formis, non ſunt vnum ſimpliciter, ſicut, homo albus, quare ſi homo ab vna forma corruptibili haberet eſſe viuens, & animal, vt puta à vegetali, & ſenſitiua, ab altera autem incorruptibili, haberet eſſe hominem; ſcilicet ab intellectiua, ſequeretur, hominem non eſſe vnum ſimpliciter, ſicut etiam Ariſtot. arguit contra Platonem *3. Metaphyſicorum*, quod ſi alia eſſet idea, animalis, alia bipedis, non eſſet vnum ſimpliciter, animal bipes. Secundo, quia eſſe animal, & eſſe rationale, vtrumque, prædicatur de homine in primo modo dicendi per ſe, quod fieri non poſſet, ſi ab vna forma homo eſſet animal, nempe à ſenſitiua, & ab alia eſſet rationalis, ſcilicet ab intellectiua. probatur ſequela, quia hæ duæ formæ, aut ſunt inuicem ordinatæ, aut non, ſi non ſunt inuicem ordinatæ, tunc prædicantur per accidens, de homine, vt album de dulci, contingit enim eidem ſubiecto eſſe album, & dulce, ſi autem ſunt inuicem ordinatæ, tunc prædicantur in ſecundo modo dicendi per ſe, vt cum dicimus ſuperficies eſt colorata, vtrumque vero ex his, & eſt falſum, nã & de homine prædicatur animal rationale in primo modo dicendi per ſe, & homo nec ſumitur in definitione animalis, nec in definitione rationalis; ſed econuerſo. Tertio, quia experientia patet, vnam animæ operationem intenſam, aliam impedire, vt cum vehementer quis, intentus ſit ſpeculationi, non videbit amicum prætereuntem, aut etiam compellantem, quod nequaquam fieri poſſet, niſi principium operationum eſſet per eſſentiam vnum. Non me latet, ſecundum argumentum, prima facie aliter procedere, vt inquit Scotus, ita enim illud propoſuit S. Thomas *2. contra gentes cap. 58.* Quæ attribuuntur alicui eidem, ſecundum diuerſas formas, prædicantur de ſe inuicem; ſecundum accidens, vt cum dicimus album eſt medicum; ſed poſitis pluribus animabus, & cætera, aduerſus maiorem autem aſſumptam, plures inſtantias affert Scotus, quas apud eumdem eſt legere, & apud Caietanum, qui illis reſpondet; ſed ego breuitatis cauſa, & ad euitandas Sophiſticas importunitates, aliter volui proponere, vt illud etiam proponit S. Thomas: nam & ita, æquipollet, & vitantur propoſitæ à Scoto obiectiones, ſi enim attributa quæ alicui competunt, ſecundum diuerſas formas, prædicantur inuicem, ſecundum accidens; prædicantur etiam, ſecundum accidens de ſubiecto, vt album, & medicum, non ſolum prædicantur inuicem per accidens, ſed, etiam coniuncta, ſimul prædicantur per accidens, de ſubiecto, cum enim dicimus Socrates eſt Medicus albus, prædicatio huiuſmodi, eſt per accidens, at vero, ſecus eſt, cum prædicantur ſimul, genus & differentia; diſiunctim enim, & coniunctim, prædicantur in

primo modo dicendi per se, vt cum dico, homo est animal rationale, & ita, non procedit Scoti instantia, qua dicit, quod ex prædicto argumento S. Thomæ, non concluditur, nisi quod forma posterior non prædicatur nisi per accidens de forma priori, vt animal est rationale, aut homo, quod gratis conceditur, quemadmodum etiam conceditur, conceptum generis, præcise sumptum, non prædicari per se, de conceptu speciei, aut vltimæ differentiæ, præcisæ sumpto, quandoquidem si illa duo attributa sumantur coniunctim, semper prædicabuntur in primo modo dicendi per se, de suo subiecto, & subiectum de illis, cum definitio prædicetur conuertibiliter; sed hæc obiter, non enim est meum institutum, Scoti instantijs respondere: hoc ante me, valde melius, multi S. Thomæ sectatores præstiterunt. Præter *dictas rationes*, tribus alijs, suam hanc sententiam confirmat S. Thomas *2. contra gentes loco citato*, quarum vna est. Quicquid aduenit enti in actu est accidens; sed si essent plures animæ in homine, posteriores aduenirent corpori actuato à prima, vel à primis; ergo essent accidentia. Ex hoc autem aliud sequitur absurdum, nempe quod generatio hominis esset motus, non autem mutatio, consequentia est euidens apud Aristotelem *1. de ortu, & interitu, & 5. Physico.* subiectum enim motus, est ens actu, subiectum vero generationis est ens potentia. Præterea arguit, si homo habet plures animas, vt existimauit Plato, aut erunt tres animæ, re, & loco distinctæ, & tunc, erunt tria animalia, non vnum, aut vna erit anima sensitiua, quæ informat, & altera anima intellectiua, quæ vtitur corpore à sensitiua informato, & tunc homo non erit animal; sed vtens animali. Amplius, si sunt in vno subiecto plures animæ, quæ non se habent ad inuicem vt materia & forma, vt esset de anima sensitiua, re distincta ab intellectiua, quia vtraque est principiũ per se operationum, tunc, aliquo ipsas vniente indigerent, vt animal esset vnum, hoc autem, aut erit corpus, aut aliquid aliud, non corpus, quia corpus magis continetur, quam continet, ergo aliud, & rursus de hoc alio, quæritur, aut est vnum, aut plura, & sic de singulis, quare, aut dabitur processus in infinitum, aut deueniendum est ad vnum quod continet. hoc vero est anima. Argumento hoc, vsus fuit Aristot. contra Platonem *1. de anima cap. vlt.* quemadmodum etiam, sequenti. Adhuc; si tota anima aggregata ex pluribus est in toto corpore; ergo & eius partes sunt in certis, & determinatis partibus corporis, vt etiam existimauit Plato, vna in cerebro, altera in corde, & alia in Epate, sed hoc est impossibile, quia neque est fingere partem in corpore, in quas sit intellectus, ergo. His apponendum est

aliud,

aliud; quod attulit 1. *part. summæ*, & etiam reliquis omnibus est magis validum, vt inquit Scotus, Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene; sed per vnam animam possunt produci omnes operationes vitales cæterarum animarum, ergo: minor probatur ratione, & auctoritate. Ratione, quia inter formas dantur magis perfectæ, & minus perfectæ, siue superiores, & inferiores, semper autem superior continet eminenter, & potestate omnes perfectiones inferioris; ergo. probatur etiam auctoritate Aristot. tum 7. *Metaphysic.* vbi dicit formas esse sicut numeros, in numero autē maiori, continetur minor, vt in septenario senarius, tū etiā 2. *de anima par.* 31. vbi ea quæ sunt in figuris animæ potentijs similia dicit, veluti enim in tetragono cōtinetur trigonum, ita in sensitiuo vegetatiuū, & in eo quod est deinceps, id quod est prius. Hæc S. Thomas, pro sua singulari pietate, attulit argumenta, ad tuendā veritatem. Potuissem aliud afferre, quo aliqui vtuntur, si anima non esset vna, non posset ponere discrimen inter vniuersale, & singulare; sed quia illud reputo satis debile, & quia eius occasione Antonius Mirandulanus longas contexuit ambages, consulto omisi, ne præter consuetum digrederer à proposito. Ipsis tamen, minime acquieuit Scotus; non quod existimauerit in homine esse plures animas, dicit enim esse de fide, quod in vno homine vna sit tantum anima; sed quia hæc argumenta destruunt multitudinem formarum partialium, pro qua Scotus pugnat. Quapropter *lib. 4. sentent. distin. 11 quæst. 3.* Cum tueretur, formam corporeitatis esse distinctam ab anima, & propterea remanere, etiam post vitam, & animam; ipsa conatur soluere, ex principijs Arist. & naturali Philosophia. Opere pretium igitur erit, & Scoti sententiam considerare. Existimauit Scotus, esse, non dicere aliquid præter essentiam, & ita vnamquamque rem, tale habere esse, qualis sit eius essentia, quorum igitur essentia est composita, & esse est compositum. hæc autem sunt ipsius verba loco citato, in responsione ad rationes, non longe à principio. *Nescio enim istam fictionem, quod esse est quid superueniens essentiæ, non compositum, si essentia est composita. Hoc modo, esse totius compositi, includit esse omnium partium, & includit multa esse partialia multarum partium, vel formarum, sicut totum ens, ex multis formis, includit illas actualitates partiales.* His suppositis, respondet Scotus ad primum argumentum, quod inde petebatur, quia, vnum esse pendet ab vna forma. Concedendo totum, si accipiatur de esse formali totius compositi, quod est, esse completum; quod quidem habetur ab vna forma, quæ est vltima, & completiua, non autem si accipiatur de esse simpliciter totius compositi, cum illud non includat præcise vnam

formam; sed plures, non tanquam specifice constituentes illud compositum; sed tamquam quædam inclusa in potentia ipsius compositi. totum enim compositum diuiditur in duas partes essentiales, in actum proprium, scilicet, vltimam formam, qua est illud quod est, & propriam potentiam illius actus, quæ includit materiam primam, cum omnibus formis præcedentibus. Ex his etiam, explicat Aristotelis doctrinam *7. Metaphysic. cap. 14.* ex quo desumitur confirmatio prædicti argumenti, cum Aristot. dicat, genus simpliciter nihil esse præter eas, quæ, vt generis species sunt; & in vltima differentia, includi omnes alias præcedentes, cum fissio pedum, sit pedalitas quædam, ex quibus videtur deduci, Aristotelem putasse, vnam tantum esse vltimam formam, significatam per vltimam differentiam, quæ eminenter contineat reliquas omnes præcedentes formas, & ita non requiri aliam formam. Ex prædictis inquam, etiam explicat Aristotelem, non enim absolute dixit Arist. *Genus simpliciter non est præter eas quæ vt generis species sunt.* Sed subiungit. *Aut si est quidem, sed tanquam materia est*, quod declarat genus non esse simpliciter, nihil, præter species, ita enim superflue apponeretur in definitione; sed significare esse potentiale, & incompletum. quod accipitur à materia, & formis partialibus incompletis, ac propterea se habere, tanquam materia, ad esse completum. pariter etiam, negat dixisse Aristotelem, omnes antecedentes differentias, in vltima contineri cum enim dicit: *Fissio pedum, est quædam pedalitas*, nihil aliud significat, nisi quod fissio pedum diuidit pedalitatem, ita vt, cum assignatur definito per diuisionem, non sit necessarium assumere pedalitatem; sed sufficit dicere, animalium, aliud findit pedes, aliud non findit; ad euitandam nugationem, & ita concludit Scotus, posse dari in vno, & eodem composito duas formas, quarum vna se habeat vt potentia, altera vero vt forma, & ita illud compositum habebit, vnum esse simpliciter, quod negatur in primo argumento S. Thomæ. Præuidit S. Thomas hanc distinctionem, siue responsionem, locis citatis, & illi occurrit, dicens quod si quis dicat diuersas formas in vno composito, habere ordinem ad inuicem, vt vna se habeat tanquam potentia, altera vero, se habeat tanquam actus, tunc sequetur, quod ea quæ denominantur à tali forma, quæ prior est, & se habet vt potentia, prædicarentur in secundo modo dicendi per se, quia non acciperentur secundum formam; sed secundum materiam, vt cum dicimus; superficies est colorata, quod est falsum: nam animal prædicatur de homine in primo modo dicendi per se, & in definitione animalis nō sumitur homo; sed ecōuerso. ad hæc respon-

det

det Scotus, negando quod assumitur; talem prædicationem, fore in secundo modo dicendi per se: exemplum vero, quod affertur, vt cum dicitur, superficies est colorata, habet dissimilem rationem, talis enim prædicatio, dicitur accidentalis, quia eius conceptus est accidentalis, color enim cum superficie, non faciunt vnum per se, at vero forma prior cum forma vltima faciunt vnum per se, quia se habent, vt potentia, & actus, quare, & conceptus, & ex consequenti prædicatio est per se, & ita, cum prædicatur animal de homine, non prædicatur tanquam de habente formam præcisam, hoc est formam vltimam tantum, sine priore, quæ est animalis; sed tanquam de habente vtramque formam, ex his autem patet responsio ad secundum: nam ratio S. Thomæ concluderet si diuersæ illæ formæ non essent inuicem ordinatæ, vel subalternatæ, ita vt, prior semper sit ordinata ad posteriorem, tanquam ad vlteriorem perfectionem, nec motus qui est ad generationem cesset, quousque vltimus actus sit acquisitus. Ad tertium responderet aliquis pro Scoto, non sequi, ex eo, quod vna operatio animæ impedit alteram, vnum esse principium, quo fiunt tales operationes, animam scilicet, sufficit enim esse vnum principium, quod, nempe compositum, ad instantiam, qua dicitur, non posse corpus; hoc principium esse, quia aliqua est operatio animæ, cum qua non communicat corpus, vtputa intelligere, respondetur, quod etsi intellectus non vtatur corpore, primario, & per se, dum intelligit, tamen secundario ipso indiget, dum vtitur phantasia, quæ est virtus corporea, & hoc sufficit. Ad reliqua argumenta, & primo ad illud, quod aduenit enti in actu, accidens est, statim respondent, quod aduenit enti, in actu completo, accidens est. Sed forma posterior, cum aduenit, aduenit enti in actu incompleto, quod idem est, atque ens in potentia. Ad absurdum, quod inde deducebatur, generationem fore motum, & subiectum generationis, ens actu, respondet Scotus, nullum esse absurdum, aliquod subiectum generationis non habere esse simpliciter, & tamen habere aliquam formam, quæ det illi, esse simpliciter; sed non esse simpliciter, ad quod est impotentia, siue quod aptum natum est accipere à forma, quam non habet, & hoc bene potest intelligi, quia vltimum non esse rei corruptæ, est primum esse, rei genitæ, quod confirmatur ex Aristotele, qui dixit, generationem esse mutationem totius in totum, nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem. Ad aliud argumentum, allatum primo loco ab Aristot. contra Platonem, iam responsum est, quod concludit, si animæ non sunt inuicem ordinatæ, vt actus, & potentia; si enim ita sunt ordinatæ, non indigent alio vin-

culos sed faciunt, vnum per se, vt materia & forma. Ad reliquum vero, secundo loco ab Aristot. recitatum, dicendum est, bene concludere aduersus Platonem, qui tres animas, re, & subiecto distinctas, statuebat; sed non aduersus eum, qui vnam animam nempe sensitiuam potentia continentem vegetatiuam, tanquam generabilem, & corruptibilem, in corde statueret, intellectiuam vero, tanquam ingenerabilem & incorruptibilem, nulli corpori, aut corporis parti assignaret, vt Aristoteli placuit. Ad argumentum vltimum, cui quarto loco respondetur à Scoto, quamuis dicat esse validissimum, respondet tamen, quod quamuis non sit necesse ex via operationum diuersarum, vel diuersorum animæ graduum, arguere, diuersas animas, quia potest superior continere omnes gradus, & perfectiones inferioris, tamen secundum aliam viam, est necessitas ponendi plures, nempe ex contradictione, quæ est ratio immediata, distinguendi plura subente, vt puta, si hoc & illud, recipiant contradictionem, in essendo, quia si hoc est, & illud non est, non sunt idem ens, in essendo, sic in proposito, forma animæ non manente, corpus manet, & ideo vniuersaliter, in quolibet animato, necesse est ponere illam formam, qua corpus est corpus, aliam ab illa, qua est animatum. Hæc Scotus, ad auctoritates vero ex Aristot. *7. Metaphysic. & 2. de anima*, respondent huius sententiæ assertores, esse longe diuersam rationem exemplorum, quæ afferuntur ab Aristotele, & eius de quo disputationem habemus: nam & numeri, & figuræ sunt eiusdem generis, & propterea quod est deinceps, valet continere id quod prius est, & ita in septenario, potestate est senarius, & in tetragono, trigonum, at secus est, de anima intellectiua, & cæteris animabus, quæ prius sunt; quia anima intellectiua, cũ sit prorsus diuersi generis à sensitiua, & vegetatiua, vt puta, ipsa immortalis, illæ vero mortales, vt Aristot. dixit *2. de anima part. 21.* nullo pacto potest illas continere, & propterea *2. de anima part. 31.* non dixit, intellectiuum continere sensitiuum, sed sensitiuum vegetatiuum, quæ sunt eiusdem generis; at, hæc responsio non suffragatur Scoto, cum Scotus loquatur de forma corporeitatis, quæ non est diuersi generis cum anima vegetali, & sensitiua, cum omnes sint corruptibiles, quare nihil vetat, quin vegetatiua, & sensitiua contineant ipsam, quinimmo, potest contra hanc responsionem retorqueri, illud argumentum, quo vtitur Scotus contra Henricum. Quicquid continet perfecte, & formaliter aliquam formam, continentem formaliter aliam formam primam, continet formaliter, & illam primam; Sed anima sensitiua, continet formaliter vegetatiuam, vt patet ex prædicta auctoritate

dioritate Aristot. vegetatiua autem continet formam corporeitatis, ergo sensitiua etiam continet formam corporeitatis. Sed negabit Scotus, vegetatiuam continere formam corporeitatis, cum iam dixerit, anima non manente, corpus manere. At si diligenter consideremus, hoc simpliciter non est verum, quod anima non manente corpus maneat, secundum esse perfectum, & quietum, vt Scotus inquit, & rationem affert, quia, etsi forma corporeitatis requirat alios gradus dispositionis imperfectiores, quam requirat intellectus, vel anima, & ideo posset manere sine anima, tamen, quia non conseruat eam dispositionem, quæ consequitur ipsius esse in statu perfecto, & quieto, quia tales qualitates & dispositiones sunt corruptæ, propterea corpus non manet recedente anima; sed semper, tendit ad resolutionem in elementa. Hæc autem omnia docet Scotus prædicta quæstione, post instantiam, quam fecerat sibi ipsi, contra responsionem ad argumentum quartum, in paragrapho. *Respondeo, aliquæ qualitates consequuntur formam.* Libet autem vltima tantum huius paragraphi verba apponere, quæ sunt clarissima; quibus ita inquit. *Sed illa alia etiam non manet, in esse perfecto, & quieto, quia qualitates consequentes eam, sunt corruptæ, secundum gradum, secundum quem consequuntur eam in esse perfecto, & quieto, & ideo, nullum corpus animabile, habet simpliciter, esse perfectum, & quietum recedente anima, immo, statim est incontinua tendentia, ad resolutionem in elementa.* Ex his autem verbis, clare patet; Scotum non omnino dissentire à S. Thoma, de resolutione corporum corruptorum, vsque ad materiam primam, cum Scotus non neget, ipsa in qualibet corruptione, resolui vsque ad materiam primam, dicit enim recedente anima, quodlibet corpus, esse in continua tendentia ad resolutionem in elementa, quæ proculdubio est resolutio ad materiam primam, cum subiectum elementorum sit materia prima, neque existimandum est, S. Thomam sensisse, quod corpus, statim post interitum resoluatur, vsque ad materiam primam, hoc enim esset contradicere sensibus; sed statim amittere illam perfectionem, cum qua posset manere, quare & semper tendere, ad resolutionem. Quod, si aliquis dicat, multa corpora quæ fuerunt animata, post interitum, diutius sine putredine perdurare, vt maior plantarum, siue lignorum & arborum pars, & inter hæc, imputrescibilia, Cedrum, Cupressum, Ebanum indicam, quinimmo, & quorundam animalium corpora, aut ex seipsis, aut condita medicamentis, diutius asseruari. Inter ea animalia quæ nullo artificio post mortem sine putredine asseruantur, est auicula passeris magnitudine, glauco, & ceruleo colore, gratissime tincta,

Auem

Auem Annuntiatæ, aliqui appellant. Hanc ego, mortuam, per annum integrum, exenteratam tantum, integris plumis, nunquam deficientibus, quod si aliquæ expilarentur, nouis renascentibus, nullo artificio asseruaui. Artificio vero, & medicamentis, etiam humana corpora, quæ maxime putredini sunt obnoxia, conseruantur. ad hæc dicimus; omnia mixta, quæ violentia corrupta non fuerint, vtputa, combustione, vel sectione, & talibus, tandem marcescere, hoc est per putrefactionem corrumpi, & tandem in cinerem & fimum verti, vt Aristot. dixit *4. Metheor. cap. 2.* non solum prædicta; sed etiam gemmas, & aurum, quod omnium maxime resistit putredini, ob perfectissimam mixtionem; sed hoc, in quibusdam mixtis clare & statim animaduerti, vt sunt, quæ humidum non satis bene habent mixtum, cum ficco, vel multa scatent excrementitia humiditate, ad cuius euaporationem, humidum, quod compingit siccum, etiam euaporat, in quibusdam vero obscure, & multo post tẽpore, ob cõtrarias causas, ita vt, difficillimum sit, cognoscere hanc continuam ipsorum vergentiã ad dissolutionem, quamuis rei veritate, in omnibus sit. his quidem clarius, his autem obscurius. Ita igitur, tum ex sententia Scoti, tum ex sententia S. Thomæ, dicendum erit, vnius compositi naturalis, vnã esse formam totalem, & completiuam. Ita etiam, ex eorumdem, & omnium recte philosophantium sententia, vnam tantum in vnico viuente animam, & non plures. At vero, si Aristotelem consideremus, inueniemus eum aliter sensisse, & quidem perperam, putauit enim, duas in homine esse animas, substantia, ac genere, inter se, diffitas, vnam quidem, mortalem, ac de potentia materiæ æductam, & genitam. Alteram vero, immortalem, ingenitam, & extrinsecus aduenientem; ac propterea, neque ipsas, eodem tempore in embrione acquiri; sed prius quidem vegetalem innasci, cum, semina, & conceptus, vita non omnino careant, deinceps vero, sensualem, qua animal est; ac tandem vltimo rationalem, qua homo est, extrinsecus aduenire. Quod etiam validissima ratione confirmauit, ibidem *2. de generatione animal. cap. 3.* Quia scilicet, illæ formæ, quæ corpore indigent, vt operentur, simul etiam, cum corpore sint, necesse est, vt ambulatiua facultas, pedes necessario requirit, simul igitur cum pedibus sit, necesse est. quare, tales huiusmodi formæ, neque ante corpus existunt, vt ipsi adueniant, neque post corpus manere possunt. Quæ autem formæ nullo indigent corporis adminiculo, hæc & sine corpore possunt esse, & corpori superuenire. ex his autem deducit, vegetalem quidem, & sentientem, tamquam organicas, & corpori addictas, simul etiam, cum corpore incipere,

pere, & cum eodem desinere. Intelligentem vero, tanquam corpori minime cooperantem, & cum eius actione nihil participantem, solam diuinam, solamq; extrinsecus aduenire. Hoc idem 2. *de anima docuit*, vbi, cum dixisset, clarum esse, & euidens, quod quædam animæ partes non separantur ad inuicem, substantia aut loco; sed ratione tantum; *particula 21*. subdit. *De intellectu autem, & speculatiua potentia, nihil adhuc manifestum est; sed videtur, genus aliud animæ esse, & hoc solum posse separari, sicut perpetuum à corruptibili*. Ita autem, ex corruptibili, & incorruptibili, animam humanam constare, Aristot. dixit, tanquam ex partibus; quapropter, intellectum, particulam appellauit, quatenus sensitiuæ coniunctus, humanam animam complet. *De parte autem anima qua anima intelligit, & sapit*, sensitiuam enim se habere, vt materiam & potentiam, intellectiuam vero, vt formam & actum, ac veluti ex actu & potentia, vnum constat compositum, ita ex his duobus actibus, vno imperfecto, & potentia ad vlteriorem perfectionem, altero vero perfecto, & completo, vnum constare actum formalem, & completiuum ipsius hominis: neque obstat, quod sint diuersi generis, quatenus sunt substantiæ; sed satis est, quod sint, sub eodem genere, quatenus sunt principia eiusdem substantiæ, quamuis enim intellectus, substantia immortalis existens, differat non solum genere; sed etiam pluſquam genere à sensu, qui est generabilis & corruptibilis, tamen quatenus vterque est forma, & principium constitutiuum hominis, necesse est, in vno communi genere conueniant, ex quo fit, vt certis dispositionibus, cum anima sensitiua adhuc imperfecta, in embrione, & organizato corpore existentibus, & non citius, aut tardius, intellectus ipse, quamuis extrinsecus, & non è gremio materiæ eductus, formando homini, atque constituendo adueniat; ac pariter, eisdem corruptis dispositionibus, ex quibus anima sensitiua dependet, cui ipse copulatur, vt sit pars animæ, informare desinat & recedat. Hanc de anima humana sententiam, antiquissime traditam à trismegisto, vt videre est in Asclepio, & libello de anima, necnon etiam à Pytagora, vt Timeus Pytagoricus apud Platonem refert, cum Platone præceptore sequutum fuisse pariter Aristotelem; constans est, Peripateticorum omnium, primarij ordinis, & vetustissimorum, auctoritas: Themistius enim, clarissime id testatur, toto tertio de anima libro, nec solum ex propria; sed etiam ex Theophrasti, & Eudemi, Aristot. auditorum sententia, id etiam profitetur Simplicius, innumeris locis, & toto pœnæ Commentario, in tres libros de anima; sed præcipue *comment. 1. in 3. de anima*, iuxta partitionem Latinorum, super expositione illorum

Digitized by Google

rum verborum, *De parte autem animæ quæ anima intelligit, & sapit.* & in expositione *partic. 21. secundi de anima*. Hoc idem testatur Philoponus diuersis verbis, in expositione prædicti *text. 38. tertij libri de anima*, iuxta partitionem ipsius, & reliquorum Græcorum. Auerroem hanc pariter Aristoteli tribuisse opinionem, nemini dubium est, vt supra fusius ostendimus. Hoc etiam, de Aristotele censuit Theodoretus, vir multi scius, nec solum varia; sed profunda, sacrarum, & profanarum litterarum eruditione instructissimus *lib. 5. de Græcanicis affectionis*, non multo ante medium eius libri, talibus verbis: *His autem prorsus contraria ipsi Pytagoræ, ac Platoni visa sunt, intellectum enim, diuinam esse partem affirmarunt, cum quibus sensit, & Nicomachi filius Aristoteles, tametsi corruptibilem animam esse dixerit, aliud enim esse intellectum ab ipsa anima opinatus est*. Constat igitur Aristotelem, humanam animam ex duplici substantia, siue ex duplici parte constituisse, vna quidem generabili, & corruptibili, organica, & corpori mixta, qualis est vegetalis, & sentiens, altera vero ingenita, & immortali, in organica, & inmixta corpori, qualis est intelligens. Nunc, de immortali hac animæ parte quæ intellectus dicitur, quæ nam sit eius substantia, & quomodo sit pars animæ, & principium vitalis operationis in corpore caduco, & mortali, existens ipsa immortalis, & sempiterna. Quomodo etiam distinguatur, in intellectum agentem, & potestate, & vtrum vna, & eadem res, sit, intellectus agens, & potentia, ac ratione tantum inter se differant, vel potius diuersa sit substantia intellectus agentis, tanquam præstantioris, atque nobilioris à substantia intellectus potentia: Reliquum est, ex propria, ac germana Aristotelis sententia differere, quod sequenti Libro Deo iuuante præstare aggrediemur.

Libri Secundi Finis.

IVLII

Digitized by Google

IVLII CAESARIS LAGALLA

DE IMMORTALITATE ANIMORVM ex Aristotelis sententia.

LIBER TERTIVS:

Qua sit essentia mentis humanæ, & quomodo, vna simplex, existens substantia, diuerso modo accepta, dicatur intellectus potentia, & agens. Germana Aristotelis sententia, explicatur. Eudemi, Theophrasti, Themistij, Simplicij, Philoponi, Alexandri Aphrodisei, ac tandem Alberti Magni testimonio confirmata. Caput I.

OSTENSVM fuit iam; Primo Libro, putasse Aristotelem humanum intellectum, ingenitum, extrinsecus aduenire, eumdemq; immixtum, ac separabilem, humano corpori superstitem remanere. Idque; aperte adeo, adeoq; disertis verbis, multis locis pronunciasse, vt qui aliter eius verba interpretantur, ipsa, non solũ corrumpant, & à vero sensu detorqueant, verum etiam, inextricabiles incurrant difficultates, manifestissimisq; contradictionibus inuoluantur. Monstratum etiam fuit; Secundo Libro, non solum Argumentis, & rationibus Aristotelis, id verum esse; sed etiam ex naturæ principijs, quod duplici via probauimus, Primo, deducentes ad impossibile,

cum

tum oſtenderimus, contrariam huic ſententiam, quæ mortalem animum ſtatuit, non modo apud Ariſtotelem; ſed ſimpliciter, & abſolute ſumptam, eſſe falſam, & impoſſibilem. Secundo etiam, oſtenſiue, multis rationibus & argumentis, ex propria eius operatione deductis. His autem præſtitis, etiam falſas opiniones reiecimus, quas perperam Auerroes immortalibus animis affinxit; aſſiſtentiæ, vt ita dicam, vel tantum operatiuæ præſentiæ, necnon etiam vnitatis. Ita vt, legitime hucuſque probatum fuerit, ex Ariſtotelis teſtimonijs, eiuſdemq; principijs, & ex rei natura, veritatisq; ſuffragijs, ſolo ductante, naturæ lumine, humanum animum, ſeparabilem eſſe, & immortalem, eundemque, ſingulis hominibus vniri, vt formam, & ſubſtantiæ partem conſtituentem, non autem vt motorem, *toti ſpeciei* humanæ, ſiue omnibus hominibus vnum, præſto eſſe. Reſtat modo, vt inchoatum opus abſoluamus, quod initio polliciti fuimus, exequi, vt ſcilicet, poſitionem hanc noſtram, de animorum immortalitate, ita veram, vt nihil ad eam falſi, nihil impoſſibilis, nihil abſoni, neque Ariſtotelis principijs, neque rerum naturæ, & conuenientiæ, ſequatur, oſtendamus. Id vero, nonniſi genuino, ac vero Ariſtotelis ſenſu declarato, præſtare licebit. eſt autem petenda, ex ipſomet Ariſtotele, ſeipſum varijs locis explicante, ac ſibi ipſi conſentiente, hæc declaratio. Eſt etiam, & à puris Græcorum fontibus aurienda, relictis turbidis Barbarorum lacunis, à quibus magna philoſophantium turba, ſuperiore tempeſtate bibens, in eos incidit errores, quos hucuſque, graſſari vidimus; aut etiam nunc videmus.

Duplicem apud Ariſtotelem humani intellectus conſiderationē habemus, vnam quatenus eſt animæ pars, ſiue quatenus eſt forma, & actus Phyſici corporis, alteram vero, quatenus eſt intellectus: clariſſima ſunt, huius doctrinæ teſtimonia, ſæpius ante à nobis citata, quæ non pigebit iterum enarrare. Secundo Phyſicorum hoc docuit Ariſtoteles, præciſis verbis. *partic. 26.* inquiens: *Amplius, eorum, quæ ad aliquid, materia eſt, ad aliam enim formam alia materia. Quouſque ergo, Phyſicum oportet cognoſcere materiam, & ipſum quid eſt? An quemadmodum medicum, neruum, aut fabrum æs, vſque ad aliquid? alicuius enim gratia vnumquodque, & circa ea quæ ſeparabilia ſunt quidem forma, in materia autem, homo enim hominem generat, & ſol. Quomodo autem ſe habeat hæc ſeparabilia, & quid ſit; Philoſophiæ primæ, eſt officium, determinare.* Cum enim ſtatuiſſet, ad naturalem pertinere, vtriuſque naturæ conſiderationem, tam formæ, quam materiæ, quia & ars, quæ imitatur naturam, non minus conſiderat formam, quam materiam, & forma ſe habet, vt finis

ac

Digitized by Google

ac perfectio ad materiam, tandem & alio argumento hoc idem confirmat, quia materia ad formam refertur, & forma ad materiam; materia enim certæ cuiuſdam formæ eſt materia, & forma determinatæ materiæ eſt forma. Ex hoc autem deducit, non pertinere ad naturalem, quamcumque formam, ſed eam tantum, quæ eſt in materia, quod ſi aliquæ ſunt, propria ratione, & idea ſeparabiles, in materia autem exiſtentes, eatenus à naturali conſiderantur, quatenus in materia ſunt. Exemplum vero affert, de humana forma, quæ, etſi ſeparabilis ſua natura ſit, tamen eatenus à Phyſico conſideratur, quatenus in materia eſt, homo enim, & ſol, generant hominem, eſt autem homo, non forma tantum; ſed forma in materia, ita etiam & ſol, quomodo autem, talis forma ſeparabilis ſe habeat, & quid ſit, Philoſophiæ primæ officium, eſſe inquit, determinare; hoc eſt quomodo ſe habeat, & quid ſit, ſecundum propriam eſſentiam, & ideam, qua ſeparabilis eſt, hoc ad naturalem non pertinet; ſed ad Metaphyſicum. Idem pariter teſtatus eſt *6. Metaphyſico. partic. 2.* vbi, cum naturalia eſſe dixiſſet, vt ſimum, ac propterea eorum rationem ſine motu, & materia non eſſe, ſubdidit. *Manifeſtum eſt, quomodo in naturalibus oportet ipſum quid eſt, quærere, & definire, & cur etiam de quadam anima, ſpeculari, naturalis eſt, quæcumque non ſine materia.* Aperte ſignificans animam intellectiuam, cuius contemplatio, naturalis non eſt, niſi quatenus eſt in materia, quod clariſſime oſtendit *1. de partibus cap. 1.* vbi propoſita quæſtione, an ad philoſophum naturalem pertineat tractare, de omni anima, cum rationem dubitandi attuliſſet, quia tunc, etiam de intellectu, quare, & de intelligibili, nulla igitur relinqueretur præter naturalem ſcientiam, Philoſophia (quomodo autem hæc illatio vera, & neceſſaria ſit, fuſe declarauimus, initio primi libri) tandem ſoluens inquit, *An non omnis anima principium motus eſt, neque partibus animæ omnibus, id tribui debet; ſed augendi principium, idem putandum, quod & in plantis eſt, alterandi vim eamdem quam ſentiendi, deferendi autem, aliud quidam, non vim intelligendi, delationem enim, vel in cæteris eſſe animalibus nouimus; intellectum, ſiue mentem in nullis, conſtat igitur, non de anima diſſerere omni oportere, quandoquidem, non anima omnis natura eſt; ſed aliqua eius pars, vna, aut etiam plures. ad hæc; rem à materia abſtractam nullam, poteſt ſcientia naturalis contemplari, cum natura, rei alicuius gratia faciat omnia, rebus autem abſtractis, abiunctum id eſt, quod ſub hoc, cuius gratia verbo intelligimus.* His autem verbis, manifeſte docet, intellectum non eſſe naturam, quia non eſt principium motus, ac proinde ad naturalem non pertinere, quod, niſi intelligatur de intellectu, vt intellectus eſt, aut

de

de intellectu ſpeculatiuo, nequaquam verum eſſe poterit, neque apud ipſum Ariſtotelem, ſtatuit enim ipſemet Ariſtoteles *3. de anima*, intellectum practicum, qui eſt coniunctus cum ſenſu, & eſt pars animæ eſſe principium motus localis, quin etiam, ipſemet intellectus ſpeculatiuus, quatenus indiget phantaſia, & vniuerſalia intelligit, in ſingularibus, & ipſe principium eſt operationis vitalis, quare & principium motus, quodammodo dici poterit, etſi, ſpeculari potius ad quietem referendum ſit, quam ad motum. Conſtat igitur, certiſſimam eſſe apud Ariſtotelem hanc diſtinctionem, ſcilicet, quod intellectus, aliquando accipitur, vt intellectus, & ita eius contemplatio, ad naturalem non pertinet; ſed potius ad Metaphyſicum, aliquando vero, vt eſt pars animæ, & ſimul cum anima, conſtituit corpus, & *ita ad naturalem* pertinet, quare & Ariſtoteles, etiam de ipſo, tali pacto ſermonem habuit, non ſolum practico verum etiam ſpeculatiuo, tertio de anima libro, qui omnium Peripateticorum conſenſu inter naturales connumeratur. Iuxta duplicem hanc intellectus conſiderationem, videmus Ariſtotelem, varie de ipſo eſſe loquutum. Tertio enim Libro, cum de illo, tanquam de animæ parte, ſermonem habere propoſuiſſet, nullam aliam eius naturam pronunciauit, niſi potentiam, & iure merito, quandoquidem, eundem; animæ particulam, qua anima intelligit, & ſapit, eſſe dixerat, vt autem, tale huiuſmodi poſſet eſſe principium, quo anima omnia intelligeret, neceſſe erat, potentia eſſe ad omnia intelligibilia percipienda, ac proinde immixtum, cuicumque obiecto, & ſubiecto, & inorganicum. Quemadmodum vero, hunc intellectum, nihil eorum quæ ſunt, actu exiſtentem, poſſibilem appellauit, & Agraphæ tabulæ adſimilem eſſe dixit, ita eumdem, cum taliter ſingula factus fuerit, vt ſciens dicitur, qui ſecundum actum, quod illi accidit, cum poteſt per ſe ipſum operari, intellectum in habitu, nuncupauit, eundemque, in practicum, & ſpeculatiuum diuiſit, quatenus, vel ad particularia deſcendit, vel potius vniuerſalia contemplatur. Hæc Ariſtoteles, de intellectu, prout ad aliud refertur, & animæ eſt principium, vt ſapiat, & intelligat, & ſimul cum anima corporis eſt actus. At vero, ipſum conſiderans, abſolute, & quoad propriam ſubſtantiam, nequaquam potentiam, aut poſſibilem; ſed actum, & agentem nominat, cum enim intellectus, ſua natura, ſit ſubſtantia ſimplex, & actus, vt Philoſophus *3. de anima partic. 15.* docuit, eius ſubſtantiæ, maxime affinis eſt, actio, quæ in his, quæ materia carent, idem eſt, quod ſubſtantia, ex eiuſdem ſententia, citato loco. Quare, & huius intellectus actionem, ſiue intellectum hunc, vt agentem,

Digitized by Google

tem, Philoſophus Tertio etiam libro conſiderans, eius ſubſtantiam eſſe propriam operationem dicit, ipſumq; ſolum, non modo ſeparabilem; ſed ſeparatum, ſolumq; immortalem, & perpetuum, ſemper actu exiſtentem, & energia, non enim aliquando intelligit, aliquando autem non intelligit. Quia vero eius ſubſtantia, inſenſibilis eſt, neque poterat aliter quam ope ſenſuum, ipſius natura, noſtræ cognitioni inſinuari. Aptiſſimo propoſito luminis exemplo, illam nobis aperuit, & declarauit. Lumen etenim, quatenus ſenſibile eſt, ſeſe nobis cognoſcendum præbet, quatenus vero materiæ expers, & corporis, nullisq; ipſorum conditionibus obnoxium, ſeparatarum, & immortalium ſubſtantiarum, ſpeciem nobis refert. Inquit ergo, Intellectum agentem, ſeſe habere in anima noſtra, vt lumen, veluti enim lumen, facit, vt colores potentia viſibiles, ſint actu viſibiles: ita, & hic intellectus, efficit, vt formæ, quæ ſunt potentia intelligibiles, ſint actu intelligibiles. Diligenter autem, eſt conſideranda ſimilitudo hæc, & analogia, quæ accommodatiſſima eſt, à ſenſu, maxime ſpiritali, ad intellectum. Vt vero hoc rite efficiamus, videndum erit quomodo lumen concurrit ad viſionem, at hoc ex natura luminis potiſſimum innoteſcet. Eſt lumen, ſi quantum ad viſum pertinet, conſideretur, actus perſpicui. Vt perſpicuum. Perſpicuum vero eſt duplex, ſi ad viſionem referatur, in qua perſiſtit metaphora, vnum extrinſecum, alterum intrinſecum, extrinſecum, vt aër, aut aqua, vel his proportionale; vt ex his conſtantia prædominantibus, aut etiam quintum corpus, intrinſecum vero, eſt totum, quod eſt in oculo diafanum, aggregatum, ex multis partibus, ſcilicet, tunica cornea, humore albugineo, vitreo; ac potiſſimum, humore criſtallino, qui eſt viſus ſenſorium, & in quo fit ſpeciei viſiuæ perceptio. Vtriuſque diaphani, ſeu perſpicui, lumen eſt actus, cum extrinſeci, tum intrinſeci; ſed vario, atque diuerſo modo, extrinſeci enim eſt actus, effectiue tantum; intrinſeci vero, effectiue, & etiam paſſiue. Dico autem intrinſecum perſpicuum, præcipue humorem chriſtallinum, quia ipſum, eſt viſus ſenſorium, in quo reſidet viſiua potentia, ita vt, ex ipſo, & viſiua potentia, ſit vnum per ſe, reliqua autem perſpicua, vt albugineus humor, necnon vitreus & tunica cornea, ad extrinſecum perſpicuum, quodam pacto pertinent, niſi, quod, in hoc differunt, quia hæc, oculi partes ſunt, & organum viſionis conſtituunt. Lumen igitur in extrinſeco perſpicuo actus eſt, vt motiuum, & actiuum, duplici ratione; Primo, quia ipſum viſibile eſt, & motiuum viſus: Secundo, quia cauſa eſt, vt colores, qui erat potentia viſibiles, fiant actu viſibiles. In intrinſeco autem

Digitized by Google

perſpicuo, non ſolum actiuum eſt, quia humorem criſtallinum perficit, & actu perſpicuum facit, verum etiam paſſiuum quatenus cum humore criſtallino coniunctum, ſiue ipſius actus, & ad ipſum terminatum, eſt ipſi ratio videndi, ſiue recipiendi, quæ viſibilia ſunt, eatenus enim, potentia viſiua, recipit ſpecies viſibiles, quatenus in humore criſtallino, tamquam in proprio ſenſorio eſt, humor autem criſtallinus, propterea ſpecies recipit, & viſui repræſentat, quia perſpicuus eſt, perſpicuus autem eſt, à lumine, ergo à lumine habet, vt recipiat, & patiatur. Lumen ergo, quamuis in ſe ipſo conſideratum, & vt extrinſecus adueniens, ſe habeat, vt motiuum, & effectiuum, tamen, vt terminatum ad humorem chriſtallinum, & vt ipſius perfectio, & actus, eſt etiam motum & patiens, cum non ſolum, ſit ſua natura viſibile; ſed etiam videndi ratio. Hæc de natura luminis, vt pertinet ad viſionem, ex Ariſtotele, & peripateticis, accepta ſint. Nunc etiam, de eiuſdem conditionibus, vt lumen eſt, & abſolute conſideratur, præfari aliqua oportebit. Omiſſa autem ſpeculatione, ſi ſit ſubſtantia, vel accidens, ſit ſit corpus, vel incorporeum, de qua alias, fuſe egimus, in propria diſputatione, de luce, & lumine, à nobis ædita. Accipientes ab Ariſtotele, ipſum, eſſe qualitatem; ſed incorpoream, & omnium nobiliſſimam. Dicimus, dupliciter conſiderari; vel enim, vt eſt in corpore lucido, tamquam ipſius fonte, & origine, vel vt ab ipſo producitur, & manat. In corpore lucido, dicitur lux, & eſt qualitas, fluens ab eſſentia corporis primo lucidi, tale autem eſt cæleſte corpus, & præcipue Sol, quamuis vero, qualitas hæc, ſit eſſentialis, & inſeparabilis, à primo lucido, tamen communicabilis eſt, non per mutationem aliquam, aut motum; ſed per ſimplicem emanationem, ex præſentia corporis lucidi, in diaphano. Communicata autem hæc lux, dicitur lumen, quod nihil aliud eſt, quam intentio, ſiue ſpecies ſenſibilis, ipſius lucis, non quod ipſum, viſibile non ſit; ſed quod ſimul, & ratio videndi ſit, & viſibile, vt optime probauit *Scotus 2. ſententiarum diſt. 13. quæſt. vnica*. Dicitur etiam communicata hæc lux, radius, quatenus à corpore lucido, in medium diffunditur, quæ ſi in medium eiuſdem perſpicuitatis, quantum luminoſi corporis virtus durat diffundatur. Rectus radius appellatur, ſi autem occurrente opaco, antequam, vis lucidi corporis, terminetur, in partem oppoſitam protendatur. Reflexus radius, quod ſi, occurrente medio, alterius perſpicuitatis, multiplicetur in illo medio, non ſecundum lineam rectam; ſed ad angulos incidentiæ, erit refractus radius. Ex hac autem luce communicata, quæ lumen primarium nuncupatur,

Digitized by Google

tur, ad corpus opacum terminata, producitur lumen ſecundarium, quod ita ſpecies eſt, luminis primarij, quemadmodum lumen primarium ſpeeies eſt lucis primitiuæ atque originalis. Differunt autem hæc inter ſe, quia lux primitiua non recipitur à ſenſu; ſed eius ſpecies, quæ eſt lumen, non enim lux, quæ eſt in Sole, aut in igne, in oculo recipitur; ſed lumen, quod ab ipſa manat, vt Plato docuit 6. de Republica libro, & nos infra, fuſius explicabimus. Lumen etiam, quod in diaphano rccipitur, viſibile non eſt, niſi ad aliquod terminetur; lumen etenim ſolis, quod noctu, in ſuperceleſtem regionem diffunditur, non conſpicitur, niſi in ſtellis coactum, & terminatum. Terminatum autem, & ipſum viſibile eſt, & ratio videndi, vt patet in radio reflexo, & refracto. At ſecundarium lumen, quod & accidentale dicitur, cum vmbra eſt, medium inter lumen, & tenebras, ſunt enim tenebræ, omnina priuatio luminis, tam primarij, quam ſecundarij. Vmbra vero, priuatio, luminis primarij tantum. His breuiter, de lumine prælibatis, tum quatenus ad viſum pertinet, tum etiam, vt ſua natura contemplabile eſt. Naturam intellectus, explicare aggrediamur; lumini ab Ariſtotele comparatam. Deſumpſit Ariſtoteles comparationem hanc, intellectus ad lumen à Platone præceptore, lib. 6. de Republica non ſatis longe à fine, vbi, ita ſe habere ſolem, in mundo viſibili, aſſerit, quemadmodum ſe habet bonum in mundo intelligili; ſolem vero ſuo lumine, paulo ante dixerat, colores Potentia viſibiles, efficere actu viſibiles, quandoquidem, facultate exiſtente viſiua, & coloribus viſibilibus, adhuc non poteſt fieri viſio, niſi lumen adſit, quo tamquam vinculo nobiliſsimo, viſibile obiectum, cum viſiua potentia copuletur. Ita & Bonum per ſui ideam, res potentia intelligibiles, actu efficere intelligibiles, inquit; Bonum autem intelligit, Vnum, quod eſt primum omnium principium, & ſummum bonum. Deum ſcilicet, Optimum Maximum, Ideam vero boni, primum ac præſtantiſſimum intellectum, ab ipſo Bono manantem, per quem, bona omnia producta ſunt, in mundo quidem viſibili, & lux, & auctor lucis, ſcilicet ipſe Sol, in mundo autem intelligibili, veritas, vt idem Plato, non ſolum 6. de Republica, verum etiam 7. his verbis expreſſit. *Nempe arbitror, in ordine ipſo intelligibili: boni ipſius ideam, ſupremam exiſtere, vixq; videri, ſi autem viſa fuerit, aſſerendum, eam, omnibus, omnium rectorum, atque bonorum, cauſam eſſe, cum ipſa, in loco viſibili, lumen creauerit, & luminis auctorem. In ipſo vero intelligibili, regnet ipſa, veritatemque, & mentem pertulerit.* Sexto autem de Republica, hoc idem dixerat de boni idea, ac veluti videntes, minime ſolem ipſum in oculo recipimus;

ſed ſolis lumen, & ſpeciem, ita intelligentes, & cognoſcentes, boni quidem ſpeciem aliquam nos habere, eſſentiam vero, nequaquam, quandoquidem, auguſtior eſt, ipſius boni maieſtas. Hæc vero ſunt eius verba : *Illud igitur, quod veritatem illis quæ intelliguntur præbet, & intelligendi vim, ad intelligendum porrigit, boni ideam eſſe, dicito, ſcientiæ, & veritatis, quæ per intellectum percipitur, cauſam. Cum vero, adeo pulchra, duo hæc ſint, cognitio ſcilicet, ac veritas, ſi bonum ipſum, aliud quam iſta, & pulchrius eſtimabis, recte putabis. Et quemadmodum, lumen, ac viſum, ſolis ſpeciem quandam, habere, exiſtimare decet, ſolem vero ipſum, eſſe, nequaquam: ita, cognitionem, & veritatem, boni ipſius ſpeciem habere quidem aliquam, eſſe vero ipſum minime. Auguſtior enim eſt, ipſius boni maieſtas.*

Toto autem hoc diſcurſu, duo accipit Plato, in mundo intelligibili, quemadmodum, duo ſunt, in mundo viſibili, vnum, quod aſſimilatur ſoli, alterum vero, quod aſſimilatur lumini. Soli, ipſum bonum, lumini autem, ideam boni. Quemadmodum vero Sol, vnus in ſeipſo exiſtens, penes ſui eſſentiam, non communicatur; ſed lumen, à ſe producens, tamquam ſui ſpeciem, multorum obtutibus participatur, ac tali pacto, viſibilis efficitur, & cauſa videndi; ita & bonum, vnum in ſe ipſo exiſtens, ſui propria eſſentia, animis noſtris, non inſinuatur, auguſtius enim quid, eſt eius maieſtas, quam, vt animi noſtri pars, aut differentia ſit; ſed ſui ideam à ſe producens, tamquam lumen, & ſpeciem; Intellectum ipſum, animis noſtris participat, vt ipſis ſit cauſa intelligentiæ, & veritatis, cum enim animus noſter illi inhæret, in quo, veritas, & ipſum Ens, emicat, intelligit illud, cognoſcitque, & intellectum habere videtur; ſed, cum ad id fertur, quod tenebris eſt permixtum, quod videlicet generatur, atque corrumpitur, eius obtunditur acies, opinionesq; verſat varias, ac mentis expers eſſe videtur; vt Plato eodem loco teſtatur. Hanc eandem ſententiam ſequutum fuiſſe Ariſtotelem, Themiſtius Luculentus eſt author, niſi quod in nominibus, ſiue vocabulis à Platone Ariſtoteles differt. Cum enim Plato, bonum, ſiue Deum, ſupra omne Ens, exiſtimauerit, ipſum eundem, nequaquam intellectum, aut mentem dicere auſus fuit; ſed principium, à quo intellectus, & mens originem habent. Ariſtoteles vero, cum Anaxagora, Intellectum, omnium præſtantiſſimum exiſtimans: Deum Optimum Maximum, mentem, ac Intellectum, omnium tamen primum, ac ſupremum, puriſſimum, ac ſimpliciſſimum, eſſe dixit, quo eodem nomine, Intellectus, non ſolum reliquas inferiores mentes, quas intelligentias appellauit; ſed etiam diuinam particulã, quæ hominibus ineſt, qua homo intelligit, & ſapit, dignatus eſt.

Du-

Digitized by Google

Duplicem autem apud Themiſtium legimus, intellectum Agentem, vnum, illuminantem, & non illuminatum; alterum vero, illuminatum, & illuminantem, priorem inquit, à Platone comparari Soli, eo quod, vnum in ſe ipſo principium eſt, quod ſui ſubſtantia non communicatur pluribus, & hic lucem in alios diffundit, ipſe vero, aliunde non accipit, quemadmodum Sol: poſteriorem vero ab Ariſtotele comparari lumini, quod à Sole originē habet, & proinde, illuminatus dicitur, hunc vero non eſſe vnum; ſed multos, quemadmodum enim in mundo viſibili, Sol, quamuis ipſe ſit vnus, ex quo dicitur Sol, quaſi ſolus, tamen lumen à ſe ipſo effundit, quod in multos obtutus diuiditur, ita & in mundo intelligibili, quamuis bonum, aut idea boni; ſit vnum principium, in ſe ipſo manens, tamen effundit à ſe naturam intellectualem, tamquam ſui ſpeciem, & lumen, quæ dum à ſuo principio diuellitur, & quaſi abiungitur, in multos intellectus diſtrahitur, ac diſtribuitur. Quemadmodum lumen, quod à luce primitiua manat, dum à ſuo principio diſiungitur, in multos, & aliquando innumeros radios diuidi conſpicimus. Hæc autem ſunt Themiſtij verba *3. de anima, cap. 32. An primum quidem intellectum illuminantem, credi vnum oportet? illuminatos vero, & ſubinde illuminantes, multos. Quemadmodum, quamquam ſol eſt vnus, tamen lux, quæ de ſole prodit, & mittitur, quaſi abiungitur ab eo, & diuellitur, atque ita, in multos obtutus diſtrahitur, & diſtribuitur. Quam ob rem Ariſtoteles, intellectum, non ſoli; ſed lumini comparauit, Plato autem ſoli, quia intellectum, & animum hominis, Deo eſſe quam ſimillimum volebat.* A Deo igitur, tamquam à primitiuo fonte, & origine, cui vere, ac primo competit, vt ſit actus, cuius actio, eſt eius eſſentia, qui ſolus, ſui natura, ſeparatus eſt, & immortalis, & perpetuus, producitur intellectualis natura, non per generationem, & motum; ſed per ſimplicem emanationem, vt à Sole radius, quem productionis modum, dicunt Theologi creationem ex nihilo, cui prædicta etiam attributa, ab Ariſtotele, dicuntur competere, non primario, & per eſſentiam; ſed ſecundario, & per participationem quandam. Natura autem hæc intellectualis, ſiue intellectus huiuſmodi, ſtatim atque à ſuo principio diſiungitur, multiplicationem nanciſcitur, quæ enim ab vnitate recedunt, ſtatim multitudinis naturam participant, & rurſus, cum à ſuo principio receſſerit, aut in ſeipſo manet, quod ipſi non negatur, cum ſit ſubſtantia, aut in alio recipitur. Vt in ſeipſo manet, ad ſuum principium refertur, à quo originem habet, vt radius ad ſolem; vt vero in alio recipitur, eatenus, eſt alterius perfectio, vt lumen perſpicui, ita intellectus ipſius animæ, non cuiuslibet;

Digitized by Google

ſed determinatæ. Vnus igitur, & idem intellectus, in ſui natura conſideratus, & vt in ſe ipſo manet, neque ad aliud refertur extra ſe; vel extra ſuum principium, à quo originem habet, quin immo, vt ſuo principio copulatus, Agens eſt, & actu, & ſubſtantia, actio exiſtens, & ſeparatus, & immortalis, & perpetuus, vt Ariſtot. *3. de anima cap. 5.* dixit: Conſideratus vero, vt ad aliud refertur, extra ſe, nempe, ad corpus, & vt pars animæ eſt, & ſimul cum anima, corpus perficit, eatenus deteriorem conditionem nactus, aliam, quodam pacto, naturam induit, quare & potentialis effectus, nihil eorum eſt, quæ ſunt, ante quam intelligat, & tamquam tabula agrapha exiſtens, nihil intelligere, aut percipere poteſt, quod non à ſenſibus ſubminiſtrante phantaſia accipiat, & aliquando intelligit, aliquando vero non, & pereunte phantaſia, non amplius recordatur, eorum, quæ ipſius ope perceperat. quandoquidem, non ſine phantaſmatibus, ſpecies intelligibiles percipiebat.

Quamuis vero, etiam ſic copulatus corpori, immixtus ſit, & incorruptibilis, vt Ariſtoteles ibidem docuit, volens enim oſtendere, intellectus agentis immortalitatem, ipſam ex immixtione, & ſeparabilitate, huiuſmodi intellectus, infert, inquiens. *Et hic intellectus ſeparabilis eſt, & immixtus, & impaſſibilis, ſubſtantia actio exiſtens, ſemper enim honorabilius eſt agens patiente, & principium materia*, quod nequaquam validum eſſet, niſi & hunc intellectum, immixtum, & ſeparabilem ſupponeret, vt rei veritate eſt, cum vna & eadem ſit ſubſtantia. Quamuis inquam, etiam ſic copulatus corpori, immixtus, & ſeparabilis ſit; tamen imperfectionem aliquam, ex tali, corporis, & materiæ coniugio contrahit, vt bene docuit Albertus Magnus, qui omnino eamdem, quam nos recenſuimus, Ariſtoteli opinionem tribuit, vt infra fuſius oſtendemus. Libet autem verba apponere, quæ apud ipſum leguntur, *lib. 1. de intellectu, & intelligibili, cap. 6.* tali pacto. *Sed multo congruentius dicitur, quod cum anima intellectualis, eſſe nobile ſeparatum retineat, quod ex parte illa, qua attingit continuum, & tempus, efficitur poſsibilis, & ex parte, qua omnimode, manet ſeparata, eſt actiua, & perfectiua, eiuſdem poſsibilitatis. Cuius congruum exemplum dicit Auicenna, in flamma adherente aridis lignis cremabilibus. Illa enim in ea parte quæ adhæret lignis, eſt aliquantulum fumoſa, in ea autem parte qua euolat in aerem purum, à lignis diſtans, eſt plena luce, illuſtrans aerem, & etiam partem fumoſam eiuſdem flammæ. Sic enim eſt de anima intellectuali, eo quod ipſa, aliquo modo, ſit perfectio corporis, & tamen ſeparata; & ideo, ex parte qua, inclinatur ad corporeas virtutes organorum, quæ ſunt, imaginatio, accipiens conſi-*

uum,

Digitized by Google

nuum, & ſenſue, accipiens temporale, & tranſmutabile, quaſi fumoſa eſt & efficitur in potentia intelligentia, & non in actu; ſed ex parte ſeparata, eſt in actu, lucis perfectæ. Optime autem, hoc Auicennæ exemplo, ab Alberto comprobato, quomodo, idem intellectus, & agens ſit, & potentia, declaratur. non ſolum enim eadem eſt flamma, quæ baſi, & ex parte lignorum fumida eſt, cuſpide autem, & ſummitate lucida, verum etiam, eadem flamma, proprio fulgore, illuſtrat, atque conſpicuam reddit inferiorem ſui partem quæ fumida eſt, quemadmodum idem Intellectus quatenus, intellectus eſt, & ſupremo, à quo originem habet affinis, inferiorem ſui partem, qua animæ copulatur, & ſimul cum anima, corporis eſt actus, illuſtrat, & tamquam agens in actum educit, non ſolum, potentia intelligibilia, efficiens actu intelligibilia; ſed etiã, facultatem intelligendi adiuuãs: vt lumen viſibile, quod nõ ſolũ ad viſionem concurrit, colores, actu viſibiles faciens; verum etiam, facultatem viſiuam, actuat; dum oculum, & viſiuos ſpiritus colluſtrat; ſed, vt in metaphora luminis, qua, & Plato, & Ariſtoteles vſi ſunt, perſiſtamus; exemplo vtemur, ipſius radij, qui à luce primæua productus, & ad opacum terminatus, aliam naturam induit, aliasq; conditiones participat, quam antea haberet, interminatus; cũ enim, interminatus exiſteret, ſui quodam modo iuris, recta, à primario lucis fonte, procedens, nullis corporis conditionibus tenebatur, ac proinde, neque viſibilis erat, neque perſpicui actus, & perfectio dici poterat. Terminatus autem, & viſibilis, & ratio videndi, euadit, & ſecundarie luci coniungitur, quæ defectus & priuatio eſt primi luminis. Idem tamen radius eſt, qui & à ſeipſo ſecundariam lucem effundit, & actus, ac perfectionis perſpicui eſt effectiuus, ita vt & ipſe viſibilis ſit, & alijs ſit cauſa videndi, quæ omnia optime humani intellectus naturæ reſpondent, atque accommodata ſunt. Ita enim intellectus à ſuo principio manans, & in ſe ipſo conſideratus, neque potentia eſt ad intelligibilia recipienda, neque phantaſia indiget vt intelligat, neque ad ſenſata deſcendit, neque in practicum, ac ſpeculatiuum diuiditur; ſed Agens eſt, & actu, & actionem cum eſſentia eandem habet, non quidem eandem ſecundum rem, ſed ſecundum intentionem, & ſeparatus eſt, non ſolum ſeparabilis, & perpetuus, & immortalis, quæ omnia, ex participatione ipſi competunt, à primo principio, à quo originem habet; cui primario & per eſſentiam, hæc & alia nobiliora competunt attributa. Quemadmodum Radius qui à luce primaria fluit, neque viſibilis eſt, neque figura præditus, neque conditionem aliquam, quæ à corporis ſit imperfectione, participans. Animæ au-

Digitized by Google

tem copulatus, & ſimul cum anima, corpus perficiens, & potentialis ſit, & imperfectus, & ſenſibus indigens, ac phantaſia, quippe qui neceſſario, cum illis iungitur, neque ſine ipſis, in corpore eſſe poteſt.

Veluti etiam idem Radius opaco terminatus,& viſibilis redditur,& figuratus, & luci ſecundarie copulatur; ita vt, etiam ipſe, vt Radius eſt, ſibi ipſi, vt terminato, cauſa ſit, vt videatur, & ceteris, ratio ſit videndi: quemadmodum,idem intellectus, vt ſeparatus, ſibi ipſi, vt corpori eſt coniunctus, cauſa eſt, & efficiens, intelligendi, vt loco ſupra citato, etiam Alberto ex Ariſtotelis ſententia viſum fuit. Hoc pariter, quod cenſuimus, de intellectu humano, & Theophraſtum, Ariſtot. auditorem ſenſiſſe; idem Themiſtius refert, *3. de anima cap. 30.* his verbis. *Eodem modo Theophraſtus, videtur de intellectu agente indubitaſſe, in his libris, quibus locos tractat, ab Ariſtotele ante tractates. Si, inquit, illi, potentia, vt habitus eſt; aut congenitus ſit, oportet, aut poſterius acceßit. Si congenitus; ſemper ergo, & iam inde ab initio, protinus moueret. Si poſterius acceſſit; quo inſtrumento, aut quo genere, abſolutio hæc facta eſſe dicetur? Videtur ergo, tamquam ingenitus, ſi incorruptus. Inharens vero, aut aßiſtens, cum ſit; cur non ſemper mouet? aut vnde oblinio, & deceptio, naſcitur? Num de permixtione?* Quibus verbis, cum dubitationem Theophraſtus propoſuiſſet; ſi intellectui vtrumque eſt, & potentia, & habitus; vtramque enim hanc differentiam intellectus; in anima eſſe, Ariſtoteles dixerat *3. lib. part. 17.* aut intellectus in habitu, ſiue agens, intellectui potentia,congenitus eſt, hoc eſt, ſimul cum ipſo, homini tributus; aut poſterius acceſſit; ſi congenitus, ergo ſemper, & etiam à primo ortu, ageret in intellectum potentia, & in phantaſmata; ipſa actu faciens intelligibilia, & intellectionem; quare & ſemper, & ab initio, noſtri ortus: intellectus potentia, intelligeret, quod tamen, non experimur. Si autem poſterius acceſſit, quo inſtrumento, aut quo genere, hoc eſt, quo modo, facta, atque completa eſt, hæc perfectio, intellectus potentia, ab agente extrinſecus aduentante. Decernit, & inquit. *Videtur ergo tamquam ingenitus ſi incorruptus.* Hoc eſt,ſi incorruptus eſt, hic intellectus agens, vt Ariſtoteles dixerat; videtur, ideſt apparet, tamquam ingenitus, hoc eſt minime genitus & de nouo inſitus, dixit vero, tamquam, quia, neque ſimul tempore ſunt, in vno & eodem homine, cum prius tempore, in vno, ſit potentia, quam actus, ſimpliciter autem & abſolute, neque prius tempore eſt vnum altero, vt Ariſtot. dixit *3. lib. partic. 20.* ſi enim conſideretur intellectus, prout potentia eſt, prius eſt tempore, in eodem homine, quã intellectus agens, vt agens; ſtatim enim atque naſcimur, hic intellectus, in nobis eſt, vt tabula agrapha

Digitized by Google

agrapha, tempore autem procedente, Intellectus agens, ſuo officio fungitur, & dicitur agens. At vero ſimpliciter, & abſolute conſideratus, ſecundum ſui ſubſtantiam, non prius eſt patiens, quam agens, non ſolum quia, ſimpliciter, actus prior eſt quam potentia, ſed etiam, quia in vtroque intellectu, vna eſt ſubſtantia, ingenita, & immortalis. quæ diuerſo modo, & actus, & potentia dicitur, vt ſupra declaratum fuit. Hoc autem determinato, reſpondet obiectioni, qua dixerat. Si congenitus eſt, cur non ſemper mouet, aut vnde obliuio, & deceptio naſcitur, & inquit. *Num de permiſtione?* Quæ vltima verba cum præcedentibus, proculdubio, ſignificant, ſimul in homine eſſe, intellectũ potentia, & agentem, tanquam vnam, & eandem ſubſtantiam, nec vnam alteri ſuperuenire, tanquam diuerſam, aut de nouo genitam, quod ſi, in intellectu potentia, aliquid conſpicitur, eius diuerſitatem arguens, nempe, quod ſit potentia, quod non ſemper intelligat, quod phantaſia, & ſenſibus indigeat, ac propterea, obliuioni obnoxius ſit, atque deceptioni; hoc ex permixtione cum corpore prouenire, non autem quod ab agente diuerſæ ſit ſubſtantiæ & naturæ. Hoc autem quod Theophraſtus aſſerit, omnino idem eſt, cum eo quod Ariſtoteles docuit *3. de anima partic. 20.* poſtquam declarauit naturam intellectus agentis. ſubdit enim. *Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt; paſſiuus vero intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit.* Certum enim eſt, illud impaſſibile, Ariſtotelem dixiſſe, de intellectu agente, de quo loquutus fuerat, ſed non de intellectu agente, quatenus eſt agens, quia dixerat, hunc intellectum nihil intelligere, ſine intellectu paſſiuo, qui corruptibilis eſt, phantaſia ſcilicet. At intellectus agens, non indiget phantaſia, vt ibidem Ariſtot. dixit, quia tunc, non ſemper intelligeret, ſed aliquando. Ergo de intellectu agente, quatenus eſt poſſibilis, hoc eſt, de illo intellectu, qui vna & eadem ſubſtantia exiſtens, vt ſeparatus, eſt agens, vt vero corpori permixtus, eſt poſſibilis. Hoc etiam, idem eſt, vt Themiſtius oſtendit *3. de anima cap. 28.* cum eo quod dixit *1. de anima partic. 65. Intellectus autem videtur innaſci ſubſtantia quædam & non corrumpi; maximè enim corrumperetur, vtique, ab ea, quæ in ſenio eſt, debilitate.* & paulo infra. *Ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit, alio quodam interius corrupto; ipſum autem impaſſibile eſt.* Clariſſime vero, ita ſenſiſſe Theophraſtum, idem Themiſtius docet *cap. 39.* vbi eius ſententiam de tribus intellectibus refert. prolixum autem nimis eſſet, omnia tranſcribere verba, quæ ex Theophraſto refert, aut quæ ipſe in eorundem confirmationem & declarationem attulit. Ea tantum afferre ſatis ſit, quibus in calce eiuſ-

dem

dem capitis, suam, atque Theophrasti, sententiam manifeste testatur. sunt autem hæc, fere eadem, cum ijs quæ paulo ante sunt recitata. *Mixtum enim quodammodo, & quasi concretum videri animum nobis, ex intellectu agente, & intellectu potentiæ. Si igitur sociatus, congenitusq; est, qui mouet; statim ergo & semper mouet; si vero posterius accedit, quonam instrumento; aut, qua, ratione, absolutio hæc & generatio, facta esse defenditur. ac videtur quidem carere genitu; si incorruptus immortalisq; est. Cum vero semper iuxtim assistens, & proximus sit. Cur non semper mouet? aut vnde nobis obliuio, & allucinatio accidit. An culpam habet permixtio?* Quæ verba cum recitasset, tamquam Theophrasti. Hæc alia, ipse subnectit. *Ex his omnibus, manifestum puto esse, non præter rationem sentire; qui, dicant Aristotelem & Theophrastum existimasse, aliud esse, intellectum patibilem, & corruptibilem, quem illi communem vocant, & corpore non abiunctum; Aliud, totum id, quod ex intellectu agente, & intellectu potentiæ, componitur, quod & separatum à corpore, & incorruptibile, & ingenitum statuunt. Atque, ita fiet, vt partim, duæ naturæ sint, partim, vna; Nam & id, quod ex duabus facultatibus, formæ, & materia conditur, vnum esse intelligimus.*

Postremis autem his verbis, aperte inquit, vnum esse intellectum, qui duabus præditus est facultatibus, siue potentijs; ratione quarum, diuersis nominibus nuncupatur. Quatenus enim, agere, & illuminare potest, eatenus Agens dicitur. Quatenus vero, pati, & illuminari, eatenus, Potentia, & possibilis. Quare, veluti supra, non ea ratione, obliuisci, aut decipi intellectum dixerat, quia diuersæ substantiæ sit, intellectus potentia, ab agente, sed quia corpori est coniunctus; ita nunc ob diuersas facultates, quibus est præditus; agendi, & patiendi, quibusque, tamquam ex materia, & forma, humanus intellectus conflatus dicitur, quamuis vnus, & idem, substantia sit, & re; Agens, & Patiens appellatur. Hoc idem sensisse Philoponum, manifeste constat, ex eius expositione, *in tertium caput libri 3. de anima*; hoc est super *tex. 49. & 50. ex eius partitione*. vbi in eos inuehitur, qui intellectum agentem, non esse partem animæ nostræ existimabant, sed esse externum intellectum. Deum scilicet, aut aliquam intelligentiam. De Simplicio, non est, quod laborem ostendere, sensisse idem; multis enim locis, hanc sententiam docet, & profitetur, sed præcipue *3. de anima*, in expositione, capitis de intellectu agente; quod tertium est, ex vulgata partitione. Nullus vero, ex Aristotelis expositoribus, magis clare, aut distincte magis, hanc veritatem docuit: ita vt certo sciam, non defuturos aliquos, ex aduersarijs, aut etiam, ex ijs, qui minus beneuoli; impingere, mihi velint, quod actum egerim, qui

statim

Digitized by Google

ſtatim his lectis, clamabunt: Hæc omnia, Simplicianum Commentum eſſe, non autem Ariſtotelis ſententiam, aut doctrinam referre, qui certe, ex præmonſtratis, non ſolum Themiſtij, & Theophraſti, verum etiam ipſiuſmet Ariſtotelis teſtimonijs, refellentur. His adiungam Aphrodiſei, & Alberti Magni authoritatem; quod, ſi hos etiam, erraſſe dixerint. Reſponſum velim, quod malo cum tantis viris errare, quam cum homuncionibus, recte ſentire. Fatebor equidem, Simplicium in multis, Platonis dogmata, potius quam Ariſtotelis, ſequutum fuiſſe, & in ijs, quæ ad animam rationalem pertinent, multa talia commiſiſſe, vt inter cætera, quod de rationibus intelligibilibus in anima naturaliter inſitis aſſerit, qua in re, neque in alijs in quibus ab Ariſtotele, aut à veritate diſcordat, cum ipſo, vllo pacto conſentio; tamen, vbi eum, germane cum Ariſtotele, & cum veritate ſentire comperero, non poſſum, eius ſententiam non laudare. Sed quid, ſi Alexandrum illum Aphrodiſeum, tot ſeculis mortalitatis animæ patronum, & aſſertorem, decantatum; hanc eamdem cum Theophraſto ſententiam, ex Ariſtotele ſequutum fuiſſe, monſtrauerimus; nonne paradoxa, ne dicam delira, nos loqui; aduerſarij exclamabunt? Non equidem, tanti me extimo, vt huius tam peregrinæ ſententiæ, me ipſum authorem laudare, aut proferre audeam. Alios affero, & eos quidem grauiſſimos, qui ante me, hanc Alexandro Aphrodiſeo, ſententiam tribuerunt. Inter recentes, Auguſtinum Steuchium Eugubinum, virum eruditiſſimum, & de philoſophia optime meritum; qui, *nono de perenni philoſophia libro, cap. 21.* id teſtatum reliquit, his verbis. *Sæpe ſolet, in ſcholis philoſophorum, & in omni propemodum vitæ actione, error accidere; vt adſint, qui grauis alicuius viri ſententiam, aut vocem perperam excipientes; vt ſumus omnes, in malum, quam bonum propenſiores; faciant, vt fama inualeſcat, viros eos, ſimile quid ſenſiſſe, quale ipſi interpretantur. Accedit item ignoratio, cum libros eorum, aut oſcitanter legimus, aut omnes legere non curamus, contenti pauca quædam vidiſſe, & ex his iudicium ſcriptorum feciſſe. Hoc, cum primis euenit de Alexandro Aphrodiſeo, qui cum putetur paſſim animi immortalitatem repudiaſſe: Qui ſcripta eius omnia legerit, ponderauerit, perpenderit, inueniet, vel eum ſecus ſenſiſſe, quam fama eſt, aut ſi ſenſit habebit, vnde ex dictis ſuis, eum abunde coarguat. quatuor igitur rationes, ad omnem hanc probationem præſto ſunt, quarum priores indicium quodam faciunt, non ſenſiſſe Aphrodiſeum, animam mortalem. poſteriores dilucide, perſpicue, nullis obumbrantibus ambagibus, hoc ipſum prædicabunt.* Hæc Eugubinus, qui, re ipſa poſtmodum, quæ pollicitus fuit, præſtitit, quatuor argumentis; tum hoc, tum etiam ſequenti capite, quæ poterit curioſus lector apud ipſum

ſum videre, cum mihi otium non ſit, ea tranſcribere, properanti, alia, & fortaſſe validiora, ex Alexandro loca afferre, quam Eugubinus attulerit. Ex vetuſtis vero, Auerroem afferam, qui hoc idem de Alexandro ſenſit, *3. de anima*, in digreſſione *commenti 36.* quamuis obſcure aliquanto, vt ſui moris eſt, proprijs vſus vocibus. Auerroes itaque exponens Ariſtotelis verba *3. de anima partic. 36. Vtrum autem contingat aliquid ſeparatorum intelligere, ipſum exiſtentem non ſeparatum à magnitudine, an non, conſiderandum eſt poſterius.* Diſputationem eandem exagitat, quam proponit philoſophus, & inquit, eos qui putarunt intellectum humanum eſſe mortalem, nullam inueniſſe viam, qua poſſimus intelligere formas abſtractas, hæc autem ſunt Auerrois verba. *Dicamus igitur, quod qui ponit intellectum materialem eſſe generabilem, & corruptibilem, nullum modum, vt mihi videtur, poteſt inuenire naturalem, quo poſſumus continuari, cum intellectibus abſtractis; Intellectus enim debet eſſe intellectum, omnibus modis, & maxime, in rebus, liberatis à materia. Si igitur poſsibile eſſet, quod ſubſtantia generabilis, & corruptibilis, intelligeret formas abſtractas, & reuerteretur idem cum eis, tunc poſsibile eſſet, vt natura poſsibilis fieret neceſſaria.* Hac autem reiecta ſententia, tamquam inutili ad propoſitam ſoluendam quæſtionem; alteram proſequitur declarare, nempe, quomodo, intellectus ſuppoſitus immortalis, poſſit in nobis exiſtens, intelligere ſeparata. & hoc bifariam poſſe fieri oſtendit, vel enim, quia intellectus adeptus, ſiue intellectus agens, qui eſt immortalis, nequaquam de nouo intellectui potentia cõiungitur, neque ipſi ſuperuenit, faciens ſua copulatione, vt intellectus materialis, poſſit intelligere ſeparata; ſed ipſemet ab initio ita copulatur nobiſcum, vt ipſe ſit nobis forma, per quam intelligimus alia entia, ſicut apparet ex ſermonibus Alexandri, licet non appareat ex eo modus, quo hæc copulatio nobiſcum ſit poſſibilis; aut, quia hic intellectus, tempore procedente, tamquam extrinſecus adueniens, nobis & intellectui potentiæ copulatur. Ex his autem duobus modis, poſteriorem impoſſibilem oſtendit, nam ita intellectus materialis, qui intellectum agentem de nouo reciperet, eſſet factus de nouo. quod ſupponitur falſum; præterea, ſi talis copulatio eius intellectus agentis, eſſet ſuperueniens, nec facta ab initio, & nobis propria, tamquam copulatio propriæ formæ, non erit diſcrimen, inter copulationem eius, nobiſcum, & cum alijs entibus, & in vna hora, vel in alia hora, quare talis intellectio ſubſtantiarum ſeparatarum, non poterit nobis tribui, nec dici noſtra intellectio. Hæc cum Auerroes dixiſſet, & intellectum agentem, qui immortalis eſt, nobis eſſe copulatum, vt formam, ex Alexandri ſententia ſtatuiſſet, modum

tamen

Digitized by Google

tamen, quo nobis copulatur, vt forma, ab Alexandro minime fuiſſe poſitum, inquit, & ob huiuſmodi obſcuritatem, Alexandrum fuiſſe ambiguum, & diuerſis locis, pugnantia, ſibi ipſi, dixiſſe. Libet autem præciſa adſcribere Auerrois verba, quæ ſunt huiuſmodi. *Si igitur aliquis dixerit, quod illa intentio, quam intendit Alexander, ſcilicet de exiſtentia intellectus adepti, non eſt informatio facta de nouo. in intellectu materiali, quæ ante non erat; ſed ipſe copulatur nobiſcum, copulatione, adeo quod, ſit forma nobis, per quam intelligimus, alia entia, ſicut apparet, ex ſermone Alexandri, licet non appareat ex eo, modus, ex quo iſta continuatio ſit poſsibilis. Quoniam ſi poſuerimus, quod iſta continuatio eſt facta poſtquam non erat, ſicut eſt neceſſarium, continget, vt in illa hora, in qua ponitur eſſe, ſit tranſmutatio, in recipiente, aut in recepto, aut, in vtroque, & cum impoſsibile ſit, vt ſit in recepto, remanet, vt ſit in recipiente, & cum in recipiente fuerit tranſmutatio, exiſtens poſtquam non erat, neceſſario, erit illic receptio, facta ex nouo, poſtquam non erat. Cum igitur poſuerimus receptionem, factam de nouo, contingei prædicta quæſtio. Et ſi non poſuerimus receptionem propriam nobis, non erit differentia inter continuationem eius nobiſcum, & continuationem eius, cum omnibus entibus, & inter continuationem nobiſcum, in hac hora, & in alia hora, niſi ponamus, continuationem eius nobiſcum, eſſe ſecundum modum alium à modo receptionis, quis igitur eſt iſte modus? Et propter latentiam iſtius, modi, ſecundum Alexandrum, videmus ipſum ambigere in hoc.* Hæc Auerroes de Alexandro, quem propterea exiſtimauit, putaſſe intellectum agentem, nobis vnitum eſſe, tanquam formam, quia viderat ipſum dixiſſe, intellectum illum, qui in nobis eſt, intelligere ſeparatas formas, quod rei veritate Alexander, in multis in locis affirmauit; ſed potiſſimum *2. de anima cap. 19.* in calce, talibus verbis: *Neque omnia quæ à noſtro intellectu, intelliguntur, intelligibilia ſiunt, niſi ſuapte natura intelligibilia ſint; ſed eſt aliquid etiam, per ſe intelligibile, ſua natura, tale exiſtens. Hoc ſane ipſum, intellectus in poteſtate, vbi perfectus, & auctus eſt, intelligit.* Intellectus igitur poteſtate, qui proculdubio nobis copulatur, vt forma, vbi perfectus eſt, ex Alexandro, intelligit ſeparatas formas, quod non licet niſi intellectui agenti, ex eodem Alexandro alibi, vt citat Auerroes, & apud ipſum videre eſt libro citato *cap. 16. & 18.* ergo intellectus poteſtate idem eſt re, & ſubſtantia cum intellectu agente, & intellectus agens in nobis eſt, vt forma, vt Alexandro tribuit Auerroes.

Conatus etiam fuit Auerroes, Alexandrum in ſuam perducere ſententiam, & propterea, ipſum inquit putaſſe, Intellectum materialem, ſe habere, ad agentem, vt materia ad formam, & agentem intellectum,

ctum, materiali copulari, vt formam, & tunc esse intellectum adeptum, qui sit vltima hominis fælicitas. vt apud eundem Auerroem videre est. Ita vt, mirandum non sit; Bessarionem Cardinalem Nicænum *2. libro contra calumniatorem Platonis cap. 7.* fortasse ex hoc loco Auerrois deceptum, asseruisse, Alexandrum Aphrodiseum Græcum, & Auerroem Arabem, Aristoteli vnitatem humani intellectus tribuisse. Sed iam sinamus Auerroem, qui in hoc commento, magis fortasse, quam in quolibet alio, quamplura, obscure, confuse, tumultuarie, atque turbate, veluti in quadam vertigine miscet. Ad Alexandrum ipsum accedamus. Nemini dubium est, etiam ex aduersarijs; Intellectum agentem, ab Alexandro, dici immixtum, separabilem, & immortalem, & hoc non semel, sed centies. At vero, hunc intellectum, non esse humanum, sed diuinum, aut etiam ipsum Deum existimasse, tum ex propria, tum etiam ex præceptoris sententia. Aristoteles namque, hunc intellectum, non solum separabilem, sed separatum dixit, non solum immortalem, sed æternum, non solum actu ac semper intelligentem, sed actum, & energiam, & quod soli competit Deo, operatione, & actione, substantiam existentem. Ex propria vero; sed eadem cum præceptore sententia, ipsum nostræ animæ potestatem aut partem negat *1. de anima cap. 28. & 2. cap. 16.* sua natura, intelligibilem, ac seipsum intelligentem, & simplicissimum dicit *2. de anima cap. 18.* vbique esse *2. de anima cap. 24. & 22.* ab ipso naturam proficisci, resq; omnes gubernari. *eodem cap. 24.* ac demum primam causam esse, quæ ceterarum rerum essentiæ, causa, & principium sit. *1. lib. de anima cap. 28.* Quæ omnia, nequaquam humano intellectui, sed Diuino tantum, accommodari posse, certissimum est. At contra, eundem intellectum, in materia versari, & tamquam substantiam, in materia esse, *2. lib. cap. 21.* dixit. Et eundem, in, mixtione esse, & in quolibet corpore, & organum nancisci ex temperatura genitum, & tamquam per organum, & tamquam circa materiam, & tamquam per materiam, agere, *cap. 22.* Hæc autem sunt eius verba. *Quoties itaque, ex corpore temperato, ignis genitus fuerit, aut aliquid eiusmodi, ex mixtione procreatum fuerit, vt organum possit huic intellectui suppeditare, qui est in eiusmodi mixtione (quoniam est in omni corpore, corpus autem etiam hoc est) id organum, intellectus potestas dicitur; apta scilicet, quædam potestas, ad excipiendum intellectum, qui in actu est. Quoties igitur, consequutus fuerit hoc organum, tunc & tamquam per organum, & tamquam circa materiam, & tamquam per materiam agit, & tunc nos dicimur intelligere. Et cum corpore materialem, atque organicam actum exercere; sine corpore autem, nequaquam; ve-*

lut

Digitized by Google

lut artifex, amiſsis ferramentis. cap. 24. his verbis. *Atque is noſter intellectus, eſt, & ſecernitur ſane, quemadmodum, etiam concernitur; neque enim, alio migrat, ſed quoniam vbique eſt, manet in corpore, quod ex ſecretione diſſolutum eſt, corrupto, atque abolito, organico. Velut artifex, amiſsis ferramentis, agit quidem, etiam tunc, non tamen, materialem atque organicum actum. Aiebat porro, ſi omnino cenſendum eſt, iuxta Ariſtotelis ſententiam, intellectum, diuinum eſſe, atque incorruptibilem, hoc certe modo; non alio cenſendum eſſe.*

Hæc autem, & alia quæ tota ſerie ſuccedentium capitum, vſque ad 24. incluſiue, de intellectu agente dixit, ex acruomaticis Ariſtotelis, tradidiſſe teſtatur *cap. 18.* his verbis. *Accepi autem, de intellectu, qui extrinſecus aduenit, ex Ariſtotele quæ memoriæ mandaui.* Quare non mirum eſt, ſi apud libros, qui extant Ariſtotelis, omnibus editos, hæc, adeo clare non leguntur. Ex monumentis auditorum Ariſtotelis, potiſſimum Eudemi & Theophraſti, quæ Alexandri temporibus extabant, probabile eſt fuiſſe collecta; Cum Alexandri tempeſtate, nondum fuiſſet cremata, celeberrima illa, quæ Romæ extabat, in templo Pacis bibliotheca, pretioſiſſimas continens res, & volumina, quam imperante Commodo, conflagraſſe, Galenus tradidit, & ſcriptores alij Talia huiuſmodi, quæ vltimo citatis locis, de intellectu humano Aphrodiſeus protulit, impium eſt, & nephandum, ne dicam falſum; de Deo proloqui, quis enim, vel vſque ad inſaniam ſtultus, Deum audebit dicere, vti organo, aut facultate organica indigere? Cum etiam de humano intellectu, vti organo, negauerit Ariſtoteles. Quis per organum, & circa materiam & cum materia Deum agere? Quis cum corpore, materialem aut organicum actum exercere, veluti artificem nactum ferramenta? Quis demum, cum prima ſeminis emiſsione, Deum nobis copulari, vt mentem? quemadmodum Alexander teſtatur, *2. lib. de anima cap. 13.* his verbis. *Vna enim, cum prima ſeminis emiſsione eſt intellectus in actu, qui per omnia penetrauit, & actu exiſtit.* Vt igitur nobiliſsimum philoſophum ab iniuria vindicemus, cuius monumenta vetuſtate, & barbarie temporum, vix ad nos peruenerunt, mutilata, interciſa, lacunis referta, vepribus, atque dumetis obſita, vt vel ſemel legentibus, ſtatim occurrunt; Dicendum eſt, vt Eugubinus optime, loco citato aduertit. Intellectum agentem, duplicem apud Alexandrum eſſe, vt etiam ſupra adnotauimus, ex ſententia Platonis, Ariſtotelis, & Themiſtij; Vnum illuminantem & non illuminatum, tamquam ſolem, qui Deus Optimus Maximus eſt, quem *Alexander 1. de anima cap. 28.* dixit eſſe primam cauſam, quæ ceterarum rerum eſſentiæ cauſa, & principium eſt, quem pariter *2. lib. cap. 24.* ſiue ſolum res

guber-

Digitized by Google

gubernare, quæ in hoc orbe sunt, siue cum ordinato certoq; cælestium motu.

Alterum vero, illuminatum, & illuminantẽ, qui primi quidem speciei est, & à primo, veluti lumen à sole procedit, cui, primi conditiones, etiam participantur: De quo omnia quæ vltimo dicta sunt, tamquam de humano intellectu, Alexander pronunciauit, scilicet; quod organica vratur facultate, ex temperatura genita, ipsa imaginatiua, quam potentiam nuncupauit ad intellectum suscipiendum aptam natam. Quod, per organum, hoc est facultatem organicam prædictam, circa materiam, & cum materia, hoc est cum corpore operetur. Quod demum, cum prima seminis emissione, nobis ab extrinseco copuletur, primũ genita humana phantasia, tamquam propria dispositione, ad ipsum suscipiendum, quæ simul cum alijs, potentia in semine continetur.

Quemadmodum de primo intellectu, qui Deus est, Optimus Maximus, reliqua omnia rite enunciauit, quod sit separatus; immortalis, & æternus, actus, & energia, substantia actio existens, prima rerum omnium, causa vt sint, & intelligantur, omnia quæ in orbe sunt prouidens, & gubernans, Intellectum potestate, creans, naturæ origo; præcipua, ac primaria prouidentia. At vero Intellectum illuminantem & illuminatum à Themistio dictum, Agentem vero, ab Alexandro appellatum, eumdem esse cum intellectu potentiæ, re atque substantia, sola autem ratione differre, apud eundem, facile demonstrabimus, ex eius verbis. *primo ex cap. 18. 2. de anima ante citato*, vbi intellectum potentia, cum perfectus, & auctus fuerit, intelligere separatas substantias dixit. præterea ex *cap. 22. eiusdem libri*, vbi inquit, de intellectu Agente. *Quoties igitur consecutus fuerit hoc organum, tunc & tamquam per organum, & tamquam circa materiam, & tamquam per materiam agit, & tunc nos dicimur intelligere*; sed nos dicimur intelligere per intellectum potentia; ergo idem est intellectus potentia, quod intellectus agens; vbi consequutus fuerit, hoc organum, scilicet phantasiam. Sed manifestissime ex capite 20. eiusdem libri, quo integro Alexander hanc sententiam docet, itaut, operæ pretium fuisset, totum transcribere, nisi ego, maxime ineptus & segnis ad scribendum, grauissimum hoc, mihi, onus, lectori, qui facile hæc omnia, apud authorem videre, & ponderare possit, libenter demandarem, quamuis recenti more, qui apud omnes iam inoleuit Auctores absque oscitantiæ culpa, quilibet valeat prætermittere: ob præiudicatam docentium authoritatem, qui Pythagorico fastu, eo tantum, sibi postulant credi, quod ipsi dixerint.

Non

Digitized by Google

Non pigebit autem, saltem prima eius capitis verba recitare, quæ talia sunt. *Non enim passiuus est Intellectus natura sua, vt ab alio fiat, ac patiatur, quemadmodum sensus, contrario namque modo se habet. Sensus enim per passionem fit; passiuus enim est, & apprehensio ipsius, per passionem fit. Intellectus vero actiuus est, cum enim plurimarum rerum intellectiuus sit, simul etiam agens, vt eas intelligat fit. Nisi quis forte propterea passiuum dicere Intellectum velit, quatenus formarum apprehensiuus est, pati namque videtur, id quod recipit, atque apprehendit.* Quibus verbis, quamuis Alexander differentiam inter passibilitatem sensus, & Intellectus declaret, sensus enim proprie dicitur pati, quia patitur ab obiecto, simul eum passione destructiua. Intellectus autem improprie, quatenus solum recipit, tamen, disertis verbis de eodem Intellectu dicit. *Intellectus vero actiuus est, cum enim plurimarum rerum intellectiuus sit, simul etiam agens, vt eas intelligat fit.* Ita vt nihil clarius pronunciari possit, vt ostendatur, eumdem substantia, & re, esse Intellectum agentem, & possibilem, nec differre nisi ea ratione, qua supra dictum fuit. Exoratos autem Lectores velim; vt attente, ac sæpius, totum hoc caput legant, & alia quatuor subsequentia.

Duos igitur agentes Intellectus, Alexandrum statuisse dicendum est, vnum primarium, & authorem, cui, primo, & per essentiam, omnia illa attributa competunt, quæ paulo ante recensuimus, & inter cætera, quod eius operatio, sit eius essentia, mundum gubernet ipse sit prima causa, naturæ sit auctor, & possibilem creauerit Intellectum: vt, ex, citatis ipsius verbis est clarum. Alterum vero, ab hoc productum, qui veluti lumen est, à Deo tamquam primo Intellectu manas, ac proinde, ea quæ de primo dicta sunt prædicata, participãs, nobis iunctum; illuminantem Intellectum potentia, siue inferiorem sui partem, aut se ipsum, vt Intellectus potentia est, & in corpore: illuminatum vero à prima causa, & primo Intellectu. Quemadmodum duos etiam Intellectus potentia, vnum, qui sit veluti organum diuini Intellectus, hoc est immortalis Intellectus, qui in nobis est, per quem, & cum quo hic Intellectus, in corpore existens operatur, qui Intellectus potentia, ex mistione, seu temperatura, quatuor qualitatum oritur; quique nihil aliud est, quam phantasia, quamuis Intellectus ab Alexandro appelletur *2. lib. de anima, cap. 22. & 23.* & ab Aristotele *3. de anima part. 20.* Alterum vero, qui idem est re, quod Intellectus, diuinus appellatus, de foris accedens, neque ex mixtione genitus; sed potentia, siue materialis dictus, non quod subiectum quodam sit, seu materia; sed quia omnia, veluti & materia suscipere

possit, seu intelligere, necnon, quia perfectioris intellectus, qui in habitu dicitur susceptiuus est, & eatenus, ratione ab Intellectu agente differens. Duos inquam hos Intellectus, Alexandrum supposuisse dicendum est, si ipsum à turpissima, & notissima contradictione vindicare velimus. Atque ita Alexandrum non aliter, quam Theophrastum sensisse, dicendum erit, quod si aliter quis, ipsum sensisse, adhuc pertinaciter dicat, pugnantia, quæ ad ipsum sunt, & iam adduximus de agente Intellectu, conciliet, & erit mihi magnus Apollo. His omnibus auctoritatibus, vltimam Alberti Magni, tamquam Colophonem apponam. Statuit Albertus Magnus, præ omnibus peripateticis, hanc sententiam, disertissime, multis in locis; sed præcipue *tractatu 1. de natura, & origine animæ, cap. 5. & tractatu 2. cap. 2. & tractatu 1. de intellectu, & intelligibili, cap. 6.* quo loco, adeo clare, adeo accommodate, illam declarat, vt nihil amplius, desiderandum sit. Libet autem eius verba apponere, quæ dignissima sunt, vt ab omnibus legantur, cum omnem tollant ambiguitatem, & sunt huiusmodi. *Vnde, licet nos in natura animæ ponamus aliquid potentiale, & aliquid, quod est actus illius, non tamen possumus dicere, quod potentiale, quod est in ipsa, materia sit, quia non habet proprietates eius; sed multo congruentius dicitur, quod cum anima intellectualis, esse nobile separatum retineat, quod ex parte illa, qua attingit continuum, & tempus, efficitur possibilis, & ex parte, qua omnimode manet separata, est actiua, & perfectiua, eiusdem possibilitatis, cuius congruum exemplum dicit Auicenna, in flamma adhærente aridis lignis cremabilibus. Illa enim in ea parte quæ adhæret lignis, est aliquantulum fumosa, in ea autem parte, qua euolat, in aerem purum, à lignis distans, est plena luce, illustrans aerem, & etiam partem fumosam eiusdem flammæ. Sic enim est de anima intellectuali, eo quod ipsa, aliquo modo sit perfectio corporis, & tamen separata, & ideo ex parte, qua inclinatur ad corporeas virtutes organorum, quæ sunt imaginatio accipiens continuum, & sensus accipiens temporale, & transmutabile: quasi fumosa est, & efficitur in potentia, intelligentia, & non in actu; sed ex parte separata, est in actu lucis perfectæ.*

Quæ verba, & si ante à nobis citata fuerint, tamen repetita iuuabunt. Idem etiam *tractatu 2. cap. 8.* Intellectum humanum ita definiuit. *Intellectus humanus, est imago lucis, prima causa, quæ coniuncta est continuo, & tempori.* Constat igitur ni fallor, hanc esse veram, ac germanam Aristotelis sententiam, quam recitauimus. Intellectum, scilicet humanum, qui hominem constituit, esse ingenitum, & immortalem, atque extrinsecus aduenire, eundemque esse multiplicatum, ad numerum singulorum hominum, & eundem, re, ac substantia,

Digitized by Google

ſtantia, eſſe Intellectum agentem, & poteſtate, nec differre, niſi ratione, vt diximus. Et hanc ipſam, non modo Simplicium; ſed peripateticos omnes, primarios, ac vetuſtiſsimos, fuiſſe ſequutos; Theophraſtum, Eudemum, Alexandrum Aphrodiſeum, Themiſtium, Philoponum, & Albertum Magnum.

Proponuntur reliquorum Peripateticorum opiniones, circa ſententiam Ariſtotelis, & examinantur, necnon dubitationes aliquot, aduerſus ea, quæ dicta ſunt. Recitantur, & diluuntur.

Caput II.



TA iam conſtituta Ariſtotelis ſententia, quid ceteri peripatetici de ipſa ſentiant, eſt videndum, ne in dicta, vt aiunt, cauſa, illos damnemus. Exiſtimarunt aliqui, humanum Intellectum, hoc eſt, Intellectum poteſtate, is enim humanus dicitur, quo anima intelligit, & ſapit, quique nobis ab ortu inexiſtit, & nos conſtituit, eſſe genitum, & mortalem, ex mixtione, & temperatura corporis eductum, Intellectum vero, agentem, ſiue efficientem, extrinſecus aduenire, ſeparabilem, ac ſeparatum, & immortalem; hunc vero eſſe primam cauſam, & Deum, qui nequaquam anima ſit, aut animæ facultas; ſed animæ tantum aſsiſtat, ſiue intellectui poteſtate, vt illum, veluti lumen diafanum, colluſtret, & phantaſmata, actu intelligibilia reddat, cum ipſe actu intelligibilis ſit, atque, vt cæteris omnibus, cauſa eſt, vt ſint, ita intelligibilibus cauſa eſt, vt vera ſint, & intelligantur. Hanc opinionem Aphrodiſæo tribuunt, illamq; ex multis eius locis, à nobis, capite præcedente adnotatis, colligunt, eandemq; ſequuntur, qui ſe Alexandreos profitentur, inter quos Pomponatius, & Portius, anteſignani. Confirmãt vero ipſam, ex multis, quæ Ariſtoteles de illo dixit *3. de anima cap. proprio*, de Intellectu agente, quæ etiam præcedente capite adnotauimus, & nunc breuiter percurremus. Primo, quia ipſum omnia facere inquit, quod non competit, niſi primæ cauſæ. Secundo, quia ſemper actu eſſe, & ſemper intelligere, quod nullo pacto intellectui humano competere poteſt,

Digitized by Google

cum *12. Metaphyſic. part. 39.* dixerit Deum ita ſe habere ſemper in actione intelligendi, quemadmodum nos aliquando. Tertio, quia ſeparatum, immortalem, & perpetuum, quod de humano Intellectu, nequaquam affirmari poteſt, cum potius ſeparabilis dicendus foret, quam ſeparatus, ſi eſſet immortalis. Quarto, quia ipſius operationem, dicit eſſe propriam eſſentiam, quod ſoli tantum Deo, & alio nulli competit. Quinto, quod extrinſecus aduenit, vt ars, & lumen, non autem nobis innaſcitur, & natura donatur, vt de Intellectu potentiæ Ariſtot. dixerat *30. particula problematum*. Ad hunc pariter Intellectum referunt, omnia ea, quæ de immortalitate apud Ariſtotelem teſtimonia reperiuntur. de hoc enim Ariſtotelem loquutum fuiſſe aſſerunt, *1. de anima, text. 65.* cum dixit *Intellectus autem videtur innaſci, ſubſtantia quædam, & non corrumpi*. de hoc pariter *2. de animæ text: 21:* cum dixit: *De Intellectu autem, & ſpeculatiua potentia, nihil adhuc eſt manifeſtum; ſed videtur genus aliud animæ eſſe, & hoc ſeparari, tamquam perpetuum à corruptibili*. De hoc etiam *12. Metaphyſic. text. 17.* cum inquit, Intellectum manere poſterius. De hoc *2. de generat. animal. cap. 3.* cum aſſereret Intellectum ſolum, extrinſecus aduenire, ſolumq; diuinũ eſſe; ſed de his locis, ab aduerſarijs interpretatis, priore libro fuſius dictum fuit. Falſam eſſe recitatam ſententiam, manifeſte, & Ariſtotelis auctoritate, & multis argumentis oſtenditur. Ariſtoteles enim de Intellectu agente ſermonem habens *3. de anima, cap. 13.* animæ differentiam appellat. ergo non eſt, quid extrinſecum ipſi animæ, quamuis autem reſpondeat Portius, hoc dictum fuiſſe de tali intellectu, vt in anima operatur, ac propterea fuiſſe ab Ariſtotele appellatum differentiam, non autem partem, tamen reſponſio inanis eſt, non minus namque intrinſecum eſt dicere, differentiam, quam partem, cum differentia, hic ſumatur, aut pro ratione intrinſeca, qua differunt, inter ſe, Intellectus agens, & potentia, aut pro facultate, quæ fluit à ratione intrinſeca, iuxta quem ſenſum Ariſtoteles, etiam; Intellectum potentia, animæ partem appellauit, & loca omnia quæ nuper citata ſunt, de Intellectu humano, non autem de Deo, intelligi oportere abunde monſtrauimus primo Libro, præterea, multis ipſam argumentis redarguit S. Thomas *1. parte ſummæ, quæſt. 79. art. 4. & 2. contra gentes cap. 76.* Primo, quia Intellectus humanus, non eſſet perfectus, nam haberet in ſe ipſo principium patiendi tantum, ad propriam operationem, non autem principium agendi. Secundo, quia non eſſet in noſtra poteſtate intelligere, cum libet, principio efficiente intellectionem, extrinſeco exiſtente. Tertio, quia intelligere, non eſſet operatio

humana

Digitized by Google

humana; ſed diuina; cum operatio potius ſit tribuenda principio actiuo, quam paſſiuo. Quarto; effectus nobiliores non ſolum requirunt efficientiam agentis remoti; ſed adhuc indigent agente proximo, vt patet de animalibus perfectis, imperfectis enim ſufficit Sol, perfectis autem, debetur generans eiuſdem ſpeciei. Præterea, Deus ex ſententia Ariſtotelis non agit in hæc inferiora, niſi mediantibus cauſis ſecundis, cœlo ſcilicet, quod agit motu, & lumine. ergo Deus non poteſt eſſe Intellectus agens, quia ad illuſtranda phantaſmata, & ad intellectionem faciendam, non habet proportionem motus cœli, aut lumen ſenſibile, quia hæc non agunt, niſi in corpus, aut facultates corporeas, & organicas, cuiuſmodi eſſe humanum Intellectum, Ariſtot. negauit. Amplius, ex eiuſdem Ariſtotelis ſententia, Deus cum ſit agens æternum, non poteſt producere actionem nouam, vt probauit *8. Phyſicor.* ergo Deus non poteſt eſſe Intellectus agens hominum, qui de nouo intelligunt, & non ſemper, nec continuata actione, vt Deo conuenire Ariſtot. aſſerit. Fuerunt, hæc duo vltima argumenta, tanti ponderis, vt Portius diſertis verbis, hanc ſententiam, Alexandro attributam damnare coactus fuerit, ſui ipſius oblitus, qui alibi ipſam veriſſimam ſupponens, tamquam ſacram ancoram ſtatuit, ad quam, validiſſima exorta tempeſtate, ex locis multis Ariſtotelis, quibus immortalitatem fatetur; confugiat. Sunt autem hæc eius verba. libello de mente humana *cap. 4. Alexander denique, & ſi multum luminis, verbis Ariſtotelis attulerit, quo apertius, eius ſententiam perciperemus; duo tamen ſemper, in eius placitis, minus me delectarunt, vnum, quod Intellectus agens Deus ſit: nam ſi Deus eſt, qua ratione, nobis corruptibilibus vnitur. Quare, cum ponat Alexander, nouum effectum, nullo alio intercedente à Deo proficiſci, prorſus à Philoſopho 8. Phyſicor. diſſentit, vt explicat quoque ibidem Auerroes. Alterum eſt, quod cum Ariſtot. aſſerat, quod quicquid Deus operatur, motu, ac lumine cœli id perficiat, ſi hoc ita eſt, quo pacto facultatem noſtram intelligendi, illuminans perficiet, & non lumine cœli; ſed proprio, ac peculiari ſuæ eſſentiæ, & qua ratione Ariſtot. agentem Intellectum, Lumini & habitui comparuit? hæc enim, vt non fuerunt à prioribus explicata, ita, neque poſteriores, nobis aperuerunt.* Tentauit tamen, eodem libello *cap. 21.* non longe à fine, cum toto eo capite, de Intellectu agente, ſermonem habuiſſet, ſecundum argumentum ſoluere; primum namque omnino prætermittit. Soluit autem inquiens, propoſitionem illam, qua dicitur, Deum in hæc inferiora agere, motu & lumine, ita accipiendam eſſe, vt de actione, in res materiales, intelligatur; at vero ſecus eſſe, de eius actione, in res immateriales, hoc eſt, in phantaſmata, nam virtutem, in ipſis

Digitized by Google

rebus dispersam, qua fiunt Intellectæ, non, recondit Deus, hoc est non iterum in ipsis condit, hoc enim sonat eius verbum, (recondere.) Fuit autem ambiguis vocabulis consulto vsus, vt in re difficillima, tamquam sepia, effuso atramento effugeret, & propterea inter cetera, vsurpat illud verbum, recondere, quod significat, occultare, & iterum condere, hoc est, de nouo facere, in quo sensu, necesse est, fuerit ab ipso acceptum, vt ex toto contextu verborum, patet, quod si ita intelligatur, manifestum est; ipsum dicere, quod à Deo, sit rebus intelligibilibus vis indita, quæ de nouo ipsis non conditur; sed talis est, vt res de nouo, in Intellectu potentia factæ, fiant intellectæ, quare in phantasmatibus, nihil imprimi, asserit; sed hac spirituali, virtute, & substantia, commode recipi, in Intellectu potentia.

Rebus igitur, potentia intelligibilibus, siue phantasmatibus, hanc vim spiritualem, adesse asserit, quam, substantiam appellat, nequaquam de nouo conditam (vt hoc, effugiat secundum argumentum de nouitate effectus, à Deo producti). Et propterea suspicatos fuisse aliquos, eumdem esse, Intellectum agentem, & possibilem; nempe, eamdem hanc substantiam, & vim spiritualem, in rebus dissemina-tam, quam etiam ipse Deus præbet, intellectui potentia, nobis innato, vt facilius fiat Intellectus in actu. Hoc autem dicere, nullum esse incommodum fatetur: talia autem sunt eius verba, in fine citati capitis. *Ex hu, sic explicatis, iam rationi satisfieri potest, quare Deus, omnia, qua huic Mundo inferiori elargitur, motu, ac lumine, tribuat, hoc enim intelligendum est de formis, ac virtutibus, qua in materia naturali recipiuntur. Sed virtutem in ipsis rebus dispersam, qua res fiunt intellecta, materialibus, veluti in subiecto, non recondit Deus; sed fiunt intellecta ab hac virtute, vt in Intellectu potentia reconduntur. Quare proloquium illud assumptum, de qualitatibus, ac virtutibus, qua in materialibus recipiuntur, proculdubio intelligi debet. Porrò quoniam phantasmatibus, nihil imprimitur; sed hac virtute, commode recipiuntur, in Intellectu potentia, dicimus eam esse spiritualem substantiam, ac virtutem. Vnde forte, qui eumdem esse Intellectum agentem, & possibilem suspicati sunt, ob id, ad hoc credendum, inducti fuerunt, quod ipse Deus, videtur præbere aliquid Intellectui potentia, nobis innato, vt facilius fiat Intellectus in actu, quod certe dicere, nullum esset incommodum.* Ita Portius cogente numine, & sententiam Alexandro tributam, de Intellectu agente, quod sit ipse Deus, damnare compulsus fuit, & dum male sibi constans, argumenta, quibus illam damnauerat, soluere nititur, veritatem quam nos ex Aristotele docuimus, confirmauit, quid enim vis illa spiritualis à Deo rebus dissеminata, quam etiam substantiam

appel-

Digitized by Google

appellat, niſi Intellectum, alium à Deo ſignificat, quem rebus omnibus diſſeminatum eſſe; ridicule aſſerit, niſi hoc, animam mundi intelligere velit, quod à dogmatibus Ariſtotelis, & à veritate eſt alienum. Volens autem redire ad bonam frugem, putauit nullum eſſe incommodum, dicere, quod idem ſit Intellectus agens, & potentia, quia hæc ſubſtantia, quæ efficit, vt intelligibilia poteſtate, ſint actu intelligibilia, à Deo communicata Intellectui potentia, nobis innato, efficit, vt facilius fiat Intellectus in actu, quod parum abeſt, ac ſi diceret, eamdem ſubſtantiam Intellectiuam, vt abſtrahit phantaſmata, à conditionibus materiæ, eſſe Intellectum agentem; vt vero ipſa iam depurata, & intelligibilia reddita recipit, & ab ijſdem perficitur, eſſe poſsibilem, ſeu potentia; ſed noluit hoc apertius confiteri. Non parũ autem eſt, à tanto aduerſario, tale teſtimonium extorquere. Sed veniamus ad illos, qui humanum animum, ſiue Intellectum, ex Ariſt. ſententia, immortalem, conſtituerunt, quid ipſi de Intellectu agente, & poſsibili, exiſtimarunt. Auerroes, Intellectum noſtrum, ex duabus ſubſtantijs, vtriſque immortalibus, conſtare, certiſsime aſſerit, quarum vna, ſe habeat, vt materia, & patiens, ac propterea, Intellectus materialis, & potentia, ſiue paſsibilis appelletur; altera vero, vt forma, & agens, qui eadem ratione actiuus dicitur. Vtrumque vero, ex his intellectibus, homini tantum aſsiſtere, neque ipſi præſtare eſſe; ſed operationem tantum, ac neutrum, eſſe hominis formam, niſi improprie, & æquiuoce, vt ſupra, cum eius opinionem recenſebamus, fuſius declarauimus.

Vtrum vero, ex his intellectibus, vterque ſit animæ noſtræ pars, vel vnus tantum, non facile apud Auerroem eſt decernere. Aliquando enim, Intellectum agentem, dixit eſſe Deum, vt *3. de anima comment. 20.* his verbis: *Et nos conuenimus, cum Alexandro in modo ponendi Intellectum agentem, & differimus ab eo in natura Intellectus materialis*, quia ipſe putauit, ſtatuiſſe Alexandrum, Intellectum agentem, eſſe Deum, materialem autem, eſſe corruptibilem, in quo, ipſe, ſe dicit diſſentire; illum ponens, incorruptibilem. Aliquando vero, dixit eſſe intelligentiam, vt *2. de anima, comment. 59. & 60.* & in Paraphraſi, de diuinatione per ſomnum. Aliquando, vtrumq; dictum Intellectum, non ſolum potentia; ſed etiam agentem, eſſe animæ humanæ partes, vt *3. de anima comment. 5. 18. & 36.* rationem auem attulit, quia ſi non eſſet pars animæ noſtræ, non eſſet nobis liberum, intelligere, cum volumus. Vtcumq; tamen ſit: certiſsimum apud ipſum hoc eſt, humanum Intellectum, conſtare ex duplici Intellectu, vno potentia, & al-

tero agente, quorum vterque, ſit ingenerabilis, & immortalis. Non ſolum enim Intellectum agentem exiſtimauit Auerroes, eſſe Deum, aut aliquam intelligentiam; ſed etiam Intellectum potentia, intelligentiam dixit, quamuis omnium infimam, vt *3. de anima comment. 5. & 19.* teſtatum reliquit. Hanc vltimam ſententiam, de duplici Intellectu, potentia, & agente, quibus tamquam ex partibus, humanus Intellectus compoſitus ſit; Themiſtio potiſsimum, tribuit, dixi vero, hanc vltimam ſententiam, quia priorem, quam Auerroes probauit, quod Intellectus agens, ſit Deus: expreſſe Themiſtius improbauit *3. de anima cap. 31.* At vero, poſteriorem hanc, de duplici Intellectu, quorum vterque, ſit pars animæ noſtræ, videtur paſsim Themiſtius aſſerere *3. de anima.* Sed rei veritate, non fuit hæc Themiſtij ſententia, quod Intellectus humanus, ex duplici Intellectu, tamquam ex duabus ſubſtantijs, re, diſtinctis, cõpoſitus ſit; vt illi impinguit Auerroes, hoc enim, inexcogitabile eſt, & non minus chimericum, quam vnitas, decœptus vero fuit Auerroes à vocabulis, ſiue modo loquendi, quo Themiſtius vſus eſt; vt imitaretur Ariſtotelem, conſueuit enim Ariſtoteles, vbiq; locorum, potentias, ſiue facultates animæ, partes appellare; appellauit etiam Intellectum poſsibilem, ſiue receptiuum potentiam, ipſumq; comparauit materiæ; Intellectum vero agentem, actum, & ipſum comparauit habitui, ſiue perfectioni. Quare, non mirum ſi Themiſtius humanum Intellectum ex agente, & poſsibili, tamquam ex partibus, hoc eſt potentijs, & facultatibus, conſtare, dixit: quarum, vna ſe haberet, vt materia, quia perfectibilis, altera vero, vt forma, quia perfectiua. Hoc vero, ipſemet clare docuit *3. de anima cap. 27.* his verbis: *Nos igitur, vtriuſq; Intellectus copulatio ſumus. Si ergo ita habent omnia, quæ ex actu, & potentia conciliantur, vt in his aliud ſit, ipſa res, aliud eſſentia. Sequitur, vt aliud ego ſim, aliud eſſentia mea; ita vt, ego ſim is, qui ex actu, & poteſtate conſtituor, eſſentia mea ſit ſolus actus tantum, quam ob rem eadem quæ conſidero, hæc etiam ſcribo, & litteris mando. Scribit vero Intellectus, qui ex poteſtate componitur, ſcribit inquam, non tamen quatenus ex poteſtate conſtat; ſed quatenus Intellectus agens eſt, quia illinc quaſi omnis actio riuatur, & ducitur. Quod ſi Intellectus potentia, non accipit indiuiſibiliter, ea, quæ Intellectus agens indiuiſibiliter tradit; nihil eſt, quod miremur, quoniam huius rei exemplum illud, exploratum eſt, quod affectiones corporum, candor, nigror, & eius generis cætera, quamquam propria ratione, & ſuapte natura, indiuiſibiles, atque inſecabiles ſunt, in materia tamen, diuiſibiliter, & ſenſibiliter recipiuntur.* Quibus verbis, clariſsime docet; nequaquam diuerſas ſubſtantias eſſe, Intellectum agentem,

tem,

tem, & poteſtate: ſed vnam, & eamdem, diuerſis facultatibus præditam, cum enim dixiſſet, in ijs quæ componuntur ex actu, & potentia, aliud eſſe, rem, aliud, eſſentiam rei, & exemplum attuliſſet in nobis, aliud enim ego ſum, & aliud eſſentia mea, tandem, operationem, tribuit compoſito, ratione eſſentiæ, vt principio, quo, & inquit: *Quamobrem eadem, quæ conſidero, hæc etiam ſcribo, & litteris mando.* Subiungit vero, applicans ad Intellectum, de quo erat ſermo. *Scribit vero Intellectus, qui ex poteſtate componitur, ſcribit inquam, non tamen quatenus ex poteſtate conſtat; ſed quatenus Intellectus agens eſt, quia illinc, quaſi omnis actio riuatur, & ducitur.* Hoc eſt ille idem Intellectus, qui ſecundum vnam facultatem dicitur potentia, & ſecundum alteram agens, ſcribit quæ meditor; ſed non quatenus ex poteſtate conſtat, non enim talis facultas eſt illi principium agendi; ſed patiendi, ſed quatenus eſt, agens, vel agendi facultate præditus, quia ex illa, tamquam ex fonte, & principio, quo, vt conſuetum eſt dici; quaſi omnis actio deriuatur, & ducitur. Quia vero, poſſet aliquis dubitare. Si vnus atque idem eſt Intellectus, qui, vt recipit, & patitur, dicitur potentia, vt vero efficit, dicitur agens, quare; veluti actio agentis, eſt indiuiſibilis, ita, & eiuſdē patientis, non eſt indiuiſibilis, & veluti Intellectus agens, indiuiſibiliter, ipſi patienti, tradit intelligibilia; ipſe etiam patiens indiuiſibiliter eadem non recipit? Propterea eamdem ſolutionem profert, quā ſupra attulit ex Theophraſto, nempe huius rei cauſam eſſe per mixtionem cum materia; hoc autem, aptiſſimo exemplo declarauit, veluti enim albedo, & nigredo, quamuis ſui eſſentia, & natura, indiuiſibiles ſint; tamen in materia receptæ diuiſibiles efficiuntur. ita & Intellectus, quamuis, vt Intellectus indiuiſibiliter agat, tamen, vt in corpore eſt; diuiſibiliter recipit, & intelligit. Idem etiam Themiſtius paulo ante, capite ſcilicet 23. teſtatus eſt, his verbis, dum de vtroque Intellectu ſermonem haberet. *Atque hic Intellectus ſeparatus, & impaſsibilis, impermixtusq; eſt. Intellectus autem poteſtatis, quamuis eadem qua Intellectus agens, dignitate, auctoritateq; polleat, quia tamen aliquanto coniunctior, addictiorq; humanæ animæ eſt, videtur ſocietate hac, nobilitati ſuæ non nihil diſpendij, detrimentiq; facere.* Ex his autem, & alijs citatis, conſtat, nullam aliam fuiſſe Themiſtij ſententiam, præter illam, quam præcedente capite recitauimus, eam vero, quam illi tribuit Auerroes, ne vmquam ſomniaſſe, niſi eius verba perperam accipiantur.

Mirum vero profecto eſt, quo pacto, tot illuſtria Philoſophorum ingenia, Auerrois auctoritate, propemodum dementata; hanc eamdem, & ipſi Themiſtio ſententiam, ſine controuerſia tribuerunt.

Ita

Ita vt, certo ſciam, me, qui contrarium ſentiam, primo intuitu, à multis riſu excipiendum fore. quamuis econtra, perſuaſum habeam, eos, qui rem intimius perſcrutati fuerint; neque aliena fide; ſed proprijs oculis auctorem perluſtrarint, mecum ſenſuros, niſi pertinacia, aut prauæ diſpoſitionis ignorantia detenti fuerint. Eſt autem, hæc Auerrois ſententia, quamuis per ſcholas, famoſiſſime decantata, non minus falſa, quam peregrina, ita vt, ſi ingenue loqui velim; quamuis, ſæpe ſæpius, antequam veritatem cognoſcerem, mihi ipſi vim maximam intuliſſem, vt ab ipſa perſuaderer, quam tanti viri, & tam magno numero, tuerentur; hoc vno tantum argumento perterritus, eidem, numquam acquieſcere potuerim, quia ſcilicet, ex duobus actibus, quin immo ex duabus ſubſtantijs, per ſe, ſubſiſtentibus, & completis, non poteſt conſtare vnum, niſi per aggregationem. At vero Intellectus potentia, & Intellectus agens, vt ab Auerroe ſupponuntur, vterq; eſt ſubſtantia completa, & per ſe ſubſiſtens; nam Intellectus potentia, eſt vna quædam intelligentia, infra orbem lunæ, & omnium infima, ex eodem *3. de anima comment. 19.* & Intellectus agēs, aut eſt Deus, aut vna quædam alia intelligentia, vt ſupra etiam, eiuſdem teſtimonio docuimus. Ergo ex his duobus intellectibus, non poteſt eſſe vnus Intellectus humanus. Neque ſatisfacit, inanis quorumdam reſponſio, quod ſe habeat, Intellectus poſſibilis ad agentem, vt materia ad formam; ac proinde, fiat, ex ipſis vnum per ſe, tamquā ex actu, & potentia, quia talis proportio, non eſt vniuoca, nam propterea, ex materia, & forma fit vnum per ſe, quia materia, ſimpliciter, eſt ens potentia, forma autem eſt actus, vt Philoſophus primo de ortu, & interitu docuit, eaq; de cauſa, forma dat materiæ, eſſe ſubſtantiale. Sed neque Intellectus poſſibilis, eſt ens potentia, cum ſit forma ſeparabilis, ex Auerroe, quin immo, ipſe contra Alexandrum, grauiter inuehitur *3. de anima comment. 5.* tamquam aſſerentem, Intellectum poſſibilem, puram potentiam, nec minus Intellectus agens, quamuis dicatur ab Ariſtot. actus, & energia, eſt intellectui poſſibili, vt forma; dans ipſi, eſſe intrinſecum, & eſſentiale, cum Intellectus potentia, ſit Intellectus, etiam abſque Intellectu agente; quapropter Ariſtot. Intellectum agentem aſſimilauit habitui, ac lumini, quorum vtrumque, eſt extrinſecum aliquod. Ergo, nullo pacto, poteſt ſumi vniuoce, quod ita conſtat Intellectus humanus ex agente, & poſſibili, vt corpus ex materia, & forma: quare bene contra hanc ſententiā hoc argumentum à quibuſdam torquetur; ſi ex Intellectu poſſibili tamquā ex materia, & agente, tamquam forma, conſtat humanus Intellectus,

veluti

Digitized by Google

veluti ex diuerſis ſubſtantijs, re diſtinctis, quarum vna det eſſe, altera vero recipiat, tunc illa quæ dat eſſe, ſcilicet Intellectus, agens; aut dabit eſſe ſubſtantiale intellectui poſſibili, aut accidentale, non eſſe ſubſtantiale, quia Intellectus potentia abſque Intellectu agente ſui natura eſt ſubſtantia, non accidentale, quia Intellectus agens cum ſit ſubſtantia, non poteſt tribuere tale eſſe, ergo Intellectus agens, nullum Intellectui poſſibili poterit tribuere eſſe. Ergo nullo pacto poterit cum ipſo copulari, tamquam forma, inanis igitur, ac penitus in excogitabilis, apud quemlibet bonum Philoſophum, erit hæc Auerrois, & eius ſectatorum ſententia.

Exploſa igitur, & confutata opinione illa, quam Alexandro tribuunt, qua dicebatur, in homine Intellectum poſsibilem, eſſe genitũ, & corruptibilem; agentem vero, immortalem, ac perpetuum, ſeparatum, & Deum ipſum Reiecta pariter illa, quæ humanum Intellectum componit, ex duplici ſubſtantia immortali, quarum, agens ſit Deus, aut alia, quæpiam intelligentia, vel potius animæ differentia, vt Intellectus poſsibilis; re tamen ab ipſo differens. Reliquum eſt, vt ea veriſsima ſit, ex Ariſtotel. placitis ſententia, quam ſtatuimus, Intellectum ſcilicet humanum, eſſe vnicam ſubſtantiam ſimplicem, ſingulariter, ſingulis hominibus inexiſtentem, ſeparabilem, & incorruptibilem, qui vnus, & idem numero; & re exiſtens, diuerſis facultatibus præditus ſit, ratione quarum, dicitur, agens, & patiens; vt ſupra, fuſe declaratum fuit.

Sed iam tempeſtiuum eſt, ad ſolutionem earum rationum deuenire, quas initio diſputationis, pro confutatis ſententijs attulimus. Arguebant illi, qui Intellectum agentem dicebant Deum, ex Ariſtotelis, auctoritate, qui dixit, ipſum omnia facere, Deus autem eſt omnium effector. huic facile reſpondemus, non dici Intellectum ſimpliciter, & abſolute omnia facere, vt Deus; ſed omnia facere intelligibilia, in anima noſtra, vt etiam dixerat de intellectu poſsibili, omnia fieri intelligibilia, quia omnia recipit, ſecundo arguebant, quia appellat ipſum ſeparatum, talis autem non eſt intellectus noſter, etiam ſi ſit immortalis; ſed ſeparabilis. Reſpondemus, dici ſeparatum quatenus eſt intellectus agens, quia eius operatio, ſcilicet abſtrahere, eſt penitus à corpore ſeparata, cum in eo nihil communicet actio corporalis, ſi enim in operatione intellectus potentia, hoc eſt, in ipſo intelligere, non communicat actio corporalis, vt Ariſtot. dixerat *2. de generat. animalium cap 3.* quanto verius, hoc dici poteſt, de intellectu agente, qui præſtantior, & honorabilior eſt patiente, quin immo, ex

hoc

hoc;quod dixit ipsum separatum, solum,arguit Philoponus, non esse Deum, quia multa alia præter Deum sunt separata; sed nos dicimus ipsum nō solū dixisse separaū;sed separabilé *tex.19.χιορισ́ον*,quod nō potest de Deo, aut intelligentijs vsurpari, cum nullo pacto sint in materia, vt 8. *Physicor.* Aristot. monstrauit; sed hoc dixisse de humano Intellectu, qui solus inter animæ differentias est separatus. Tertio, quia dixit, hunc Intellectum, semper intelligere, non autem aliquando. Intellectus vero humanus,non semper intelligit; sed aliquando. Ad hoc dicimus, Intellectum agentem, quatenus est agens, semper esse in actu, quia non est coniunctus materiæ, eatenus enim Intellectus est potentia, quatenus in materia est, vt supra demonstrauimus, ex Aristot. doctrina, & Theophrasti, & Themisti auctoritate, *confirmata*, & eo semper intelligere, quia semper potest, & aptus natus est intelligere, vt Philoponus docet, in expositione huius, quamuis enim intellectus coniunctus corpori, non semper intelligat, cum indigeat phantasmatibus, tamen vt agens est, nihil impedit, quin semper intelligat, & veluti recto, vt rectum est, multa contingunt, vt tangere æneam sphæram in puncto, quamuis non tanget, separatum à materia, cum semper sit in materia. Ita intellectui humano, quatenus intellectus est, competit semper intelligere, quamuis vt pars animæ est, non semper intelligat, cum sit in corpore. Quarto, quia, eius actionem, dixit esse eius essentiam, hoc autem non competit nisi Deo. Ad quod respondemus: Aliquam operationem, dici operantis essentiam, dupliciter, scilicet realiter, vt dicunt, & formaliter. Si accipiamus operationem esse idem, quod essentia, realiter, tunc dicimus, hoc non competere, nisi Deo, ob ipsius summam simplicitatem, & perfectionem, quamuis Aristoteles, hoc tribuisse videatur, omnibus substantijs separatis.

Si, autem accipiamus formaliter, tunc non competit,tantum Deo, & substantijs separatis; sed etiam, cuilibet facultati cognoscenti. Vnde Aristoteles, non solum de intellectu, dixit in 3. *de anima*, quod idem est intellectus actu, & intelligibile actu, verum etiam de sensu,in 2. libro, quod idem est sensus actu, & sensibile actu; idem enim fit, formaliter, potentia recipiens, cum obiecto, quod recipitur, & hoc, magis, & minus perfecte, pro nobilitate, siue ignobilitate maiori, aut minori, ipsius potentiæ. quare imaginatiua, quæ est potentia minus materialis, quam sensus, magis fit idem cum phantasmatibus, quam sensus, cum sensibilibus speciebus, magis vero intellectus, cum speciebus intelligibilibus, quam phantasia, cum phantasmatibus.

ergo

Digitized by Google

ergo maxime inter omnes animæ facultates, Intellectus agens, cum ſit maxime abſtractus, & magis, quam intellectus potentia; quare, intellectui agenti, hoc non competit, proprie, & primario, vt eius actio, ſit eius eſſentia; ſed per, quamdam participationem, vt ſupra diximus. cum primo competat puriſſimo actui; reliquis autem, prout magis, aut minus eidem prope fiunt. Quinto, quia intellectum agentem aſſimilauit arti, & lumini. Sed ars, & lumen, ſunt quid extrinſecum, ergo intellectus agens, non eſt intellectus humanus, ad hoc etiam dicimus, aſſimilari intellectum agentem arti, & lumini quantum ſpectat ad efficientiam, quia ita intellectus agens, eſt principium effectiuum, quemadmodum eſt ars, & lumen, non autem quantum ſpectat ad modum efficiendi extrinſecum. Et hæc ſufficient ad prioris ſententiæ argumenta. Pro altera vero ſententia, quæ fuit Auerrois, & eius ſectatorum: illud potiſsimum argumentum afferebatur, quod non poſſit idem, ſecundum idem, eſſe agens, & patiens, neque eadem ratione eſſe efficiens, & materia. Ergo non poteſt eadem ſubſtantia intellectiua, eſſe agens, & patiens, reſpectu eiuſdem intellectionis, neque mouens, & motum, ſiue agens & materia. Huic vero argumento, neque ſatis difficile eſt reſpondere, ſi rem intime conſideremus. Primo, quia idem intellectus, quamuis in eadem intellectione, eſt agens, & patiens, reſpectu diuerſorum, quod nullum habet inconueniens; idem enim poteſt dici reſpectu diuerſorum actu, & potentia, actu quidem frigidum, potentia vero calidum, vt Ariſt. docuit *3. Phyſicor. partic. 8.* eſt enim agens reſpectu intelligibilium potentia, eſt vero patiens, reſpectu intelligibilium actu. Secundo, quia idem, diuerſo modo acceptum, poteſt eſſe agens, & patiens; mouens, & motum, vt patet, in animabus generabilibus, & corruptibilibus; de quibus Philoſophus dixit *8. Phyſic. part. 52.* quod mouentur, ſecundum accidens à ſe ipſis, quia mouent corpora, & ipſe mouentur ad motum corporum, quæ ab ipſis mouentur, & euidentius eſt manifeſtum in formis elementorum, quæ vt formæ, mouent, & ſunt principium intrinſecum effectiuum motus in elementis, vt autem formæ in materia, mouentur, & ſunt principium paſſiuum, vt idem Auerroes docuit, in expoſitione *3. de cœlo comment. 28.* his verbis: *Et quia motor eſſentialiter diſtinguitur in eſſe à moto, ſicut in animalibus, motor enim in animali, eſt alius à moto, cum motor ſit anima, & motum ſit corpus; in corporibus autem ſimplicibus, idem eſt motor, ſecundum ſpeciem, & motum; ſed differunt ſecundum modum; lapis enim mouet ſe, inquantum eſt grauis in actu, & mouetur, inquantum eſt potentia inferius, & cauſa in hoc, quod inuenitur*

vno

vno modo in actu, & alio modo in potentia, eſt quia componitur ex materia, & forma. Forma igitur eius, mouet inquantum eſt forma, & mouetur, ſecundum quod eſt in materia, non enim eſt in potentia ad inferius, niſi ſecundum quod eſt in materia.

Sicut igitur eadem forma terræ, vt forma, mouet deorſum, vt autem forma in materia, mouetur; ita idem Intellectus, ſiue eadem ſubſtantia intellectiua, vt intellectus eſt agens, vt vero in materia, ſiue in corpore, eſt patiens. Quare, & pro noſtra ſententia, ita contra Auerroem licet nobis arguere. Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, & æquebene; ſed vna poſita ſubſtantia intellectiua, poteſt equebene ſaluari ratio agendi, & patiendi in eodem Intellectu, ac ſi due ponerentur. Ergo fruſtra eſt ponere duas ſubſtantias intellectiuas, ſiue duos Intellectus, re, ac ſubſtantia diuerſos, vnum intellectum humanum conſtituentes, vt Auerroes, & cum Auerroe, quam plures ex recentioribus ſtatuerunt. Quod autem vnus, & idem intellectus ſufficiens ſit, vices agentis, & poſſibilis implere; egregie, vt ſolet; docuit ſanctus Thomas *2. contra gentes cap. 77.* propoſito exemplo oculi, qui poſsit, tantum luminis effundere, vt valeat ſimul, & percipere viſibilia, & ſibi ipſi eſſe cauſa efficiens videndi, in tenebris, vt experimur in nocti vagis animalibus, fele, noctua, veſpertilione; ac ceteris talibus, quibus ob leuitatem tunice corneæ, circa pupillam; tantum luminis diffuſi in aerem à ſideribus, colligitur, & reflectitur, vt poſsint circumfuſe tenebre illuminari, ad viſionem, quemadmodum docuit Philoſophus, libello de ſenſu, & ſenſili, & narrant Hiſtorici, Tiberio Cæſari, ſæpius contigiſſe, qui noctu expergefactus, apertis ſubito oculis, omnia quæ in cubiculo eſſent; cernere ſæpius conſueſſet, eo quia prominentiores illi, eſſent oculi, quod & ego ſæpe, hanc eamdem ob cauſam expertus fui. Veluti igitur oculus, aliquando tantum luminis habere poteſt, vt valeat proprias tenebras illuſtrare, & à ſe ipſo, vi proprij luminis viſibilia potentia, efficere actu viſibilia. Ita noſter intellectus poteſt à ſe ipſo tantum luminis ſpiritualis habere, vt poſsit intelligibilia poteſtate, actu facere intelligibilia, quod ſi oculus in nocte hoc lumen participatum, & collectum habet à ſideribus, & noſter intellectus, hoc lumen ſibi participatum, habet à primo lumine, ſiue à primo intellectu agente, Deo Optimo Maximo, à quo omnibus datum eſt eſſe, & viuere.

Quod autem ſufficiens ſit; lumen noſtri intellectus, ac nobis congenium, ad illuſtranda phantaſmata, vt intelligi poſsint: colligit idem ſanctus Doctor, ex eo quia, lumen intellectus agentis, debet eſſe proportio-

portionatum, intellectui patienti, alias ab ipso; intellectus patiens offuscaretur, veluti oculus nicticoracis, à lumine solis. Lumen autem proportionatum, non est lumen intelligentiarum separatarum, quia si tale lumen esset nobis proportionatum, tunc ipsæ maxime essent nobis notæ, quia sunt maxime cognoscibiles; contrarium tamen contingit, quia ad ipsarum intuitum, caligat mens nostra, vt noctuarum oculi ad lumen solis. Ergo lumen proportionatum, quo phantasmata possint illustrari, & intellectus potentia fieri actu intelligens, est lumen animæ nostræ, siue nostri intellectus, & nobis insitum, non autem Deus, aut aliqua alia intelligentia, vel etiam aliquis alius intellectus, substantia à possibili, & re differens, cum eius ope, & auxilio non sit necesse.

Recensentur aliquot aduersariorum argumenta. Contra immortalitatem animi, ex eius operatione desumpta. Caput III.

QVANDOQVIDEM, tunc perfecte nos aliquid scire, apud omnes compertum est, cum cessauerit, siue absoluta fuerit omnis quæstio, vt Philosophus docuit *2. Posteriorum analiticorũ*; & tunc pulcherrime vnumquodque demonstratum erit, cum dubitationum causa innotuerit, & ea quæ in dubitationem veniunt, soluta fuerint, prout idem *4. Physic. part. 31.* testatum reliquit. Eorum, quæ hucusq; probauimus veritas; tum maxime elucescet, cum inde argumentorum omnium, & sophismatum, quibus immortalitatis Hostes vtuntur, solutio afferetur, quod nobis, in præsenti: hoc ordine aggredi, est propositum. Primum quidem, ea argumenta, quæ peripatetici aliqui, ex Aristotelis auctoritate, & principijs, aut etiam humano ratiocinio, vel, vt ipsi dicunt, naturali lumine, aduersus immortalitatem afferunt, recitabimus, & ad Aristotelis dogmata, & normam, diligenter examinata, circumscripto omni religionis præcepto, & quolibet superiori lumine; Solis, quibus ipsi addicti sunt, Arist. documentis, aut solo naturæ ductu, soluemus; Deinceps vero, ea omnia, quæ Lucretius, ceterive Epicurei, aut Plinius, aut Galenus, & alij huius farinæ homines: sensuum Lenocinijs, aut falsa persuasione decepti, ad animi mor-

mortalitatem astruendam attulerunt; funditus euertemus. Plurima ad hanc impietatem, congessit Petrus Pomponatius, non ex sua; sed ex Aristotelis, vt ipse scribit, sententia, quinimmo aceruauit, atque confarcinauit, vitiosissimo, vt Marcus Tullius inquit, & captiosissimo arguendi genere, quæ sparsim, & tumultuariè conscripta reliquit, tum libello de immortalitate animæ, tum in Apologia, tum etiam in defensorio, quorum solutiones à multis editas legimus, ac potissimum ab Auctore innominato, aduersus quem se ipsum tuetur in Apologia, tum etiam à Suessano, contra quem edidit defensorium, necnon à fratre Bartolomeo Spina, Ordinis Prædicatorum, duobus libellis, vno, qui inscribitur Tutela veritatis, & altero, quod inscribitur Flagellum Apologiæ Petri Pomponatij. Necnon à Fratre Chrysostomo Casalensi, eiusdem Ordinis, quamuis hic, potius ex Theologiæ Sacræ principijs, quam Aristotelis, Pomponatij rationibus responderit; & insuper, à Doctissimo, & Illustris. ac Reuerendis. Gaspare Card. Contareno, qui fuit eiusdem Pomponatij discipulus, duobus libris, cuius responsiones Pomponatius confutauit, tribus libris Apologeticis, sub titulo Auctoris innominati. Attulit, etiam quamplura, ad eamdem sententiam Simon Portius, Libello de mente humana, ijsdem pene Pomponacij vestigijs insistens; sed puriore doctrina, grauioreq; sermone, & chataphracta eloquentia, magis quam argumentorum copia, aut acumine instructus. Nos vero, his omnibus, distincte, ac certo ordine, ad sua loca redactis, sigillatim, atque ex proprijs, pro virili, respondere conabimur.

Depromuntur omnia, quæ aduersus immortalitatem animi, hucusq; formata sunt, aut formari poterunt argumenta, ex tribus locis, aut, si dicere malimus, Fontibus. Ex eius actione, seu opere, ex eius essentia, & aptitudine, quam habet ad corpus; Præterea, & ex ijs, quæ necessario ipsam comitarentur, si aliquando sine corpore foret, aut esse posset. Quæcumq; igitur, ex horum singulis desumi valeant; ordine prosequemur. Certissimum est Aristotelis pronunciatum, *1. de anima tex. 13.* confirmatum *2. de generat. animal. cap. 3. Si est aliqua animæ operationum, aut passionum propria, contingit vtiq; ipsam separari. Si vero, nulla est propria ipsius, non vtiq; erit separabilis*. Sed nulla est, humani animi operationum propria; ergo humanus animus, non est separabilis. Secunda propositio, probatur ex ijs, quæ paulo ante dicta fuerant, præcedente textu, nempe quod præ omnibus animæ operationibus, ipsum intelligere, maxime assimilatur proprio, ita vt, aut nulla dicenda sit animæ operatio, quæ sit illi propria, aut si aliqua

est,

Digitized by Google

eſt, erit ipſum intelligere, at vero, neque hoc poteſt dici animæ proprium; ſed ſimile proprio, nam ſi ipſum intelligere, ſiue intellectus, eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia, non continget vtique, hoc ſine corpore eſſe, quãuis autem, intellectus, non ſit phantaſia, vt monſtrauit Philoſophus *2. de anima*, tamen nõ eſt ſine phantaſia, quare, & numquam ſine phantaſmate, intelligere animam; & eum, qui nihil ſentit, nihil addiſcere, nec intelligere, & eum qui intelligit, vna cum phantaſmate ſpeculari, Ariſtoteles dixit *3. de anima part. 30. & 39.* inſeparabilis igitur à corpore, humanus animus eſt, nec, ſine corpore, ex Ariſtotelis principijs eſſe poteſt. Argumentatur præterea Pomponatius, libello de immortalitate Animæ *cap. 8.* Ex operationibus animi noſtri, maior pars arguit eius mortalitatem, minima autem, & ea quidem maxime, exilis, & obſcura, arguit immortalitatem. Ergo animus dicendus potius eſt mortalis quam immortalis. Probatur ſequela, nã, denominatio fieri debet à prædominante vt, *1. & 6. Phyſic.* decreuit Philoſophus. Aſſumptum patet; ex tribus enim operationibus, quæ competunt homini, propter animam; ſcilicet vegetandi, ſentiendi, & intelligendi. Duæ arguunt eius mortalitatem, vegetare, & ſentire, tanquam ex neceſsitate indigentes organo, & inſeparabiles, à corpore exiſtentes, vix autem vna ſcilicet intelligere, exiliter & per participationem quandam; eius immortalitatem deſignat, neque integre; quod ex multis euidens eſt. Primo, quia neque omne intelligere arguit ſeparabilitatem, ſed vix ſpeculatiuum; de practico nanque non ambigitur, ipſum eſſe coniunctum cum ſenſu, & cum continuo, & tempore, quæ admixtionem habent cum materia, neque de ſpeculatiuo, omnino certum eſt, ipſum eſſe abſolute, & ſimpliciter ſeparabile, nam, quamuis abſtrahat à prædictis, tanquam à conditionibus materialibus, tamen non eſt omnino à corpore abſolutum, quia ſaltem obiectiue, pendet à facultate corporea, ſcilicet à phantaſia ſine qua experimur, nihil nos poſſe intelligere, ac propterea dicebat Philoſophus, quod ſi intelligere, aut eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia non contingit, ipſum ſine corpore eſſe. Quinimmo, & hoc exiguum, quod in ipſo arguit immortalitatem, nempe intelligere abſtracta, ac depurata, tum à materia, tum à conditionibus materiæ, non competit ipſi intellectui humano, niſi per participationem intellectus agentis, qui ſeparatus eſt. Præterea, quia hoc intelligere, quod nobis competit, non eſt vere, & vniuoce intelligere, ſed equiuoce, quinimmo, eſt velut vmbra, & exile veſtigium veræ intellectionis, vere enim intelligere, eſt intelligibilia actu, quæ ſunt etiam ſeparata;

ad hæc autem ita se habere intellectum nostrum, veluti se habent oculi nicticoratis ad lumen solis: dixerat *Aristot. 2. Metaphys cap. 1.* ac propterea de pauciſsimis, nobis est scientia, & nostrum scire, plurimum ignorantiæ habet commixtum; ita vt, vere dixerit Socrates nos in antro vesari, nec res ipsas, sed vmbras rerum percipere. Tertio, quia ex toto vitæ spatio; vix breuisimo tempore, secundum intellectum speculatiuum viuimus, ex cuius operatione, videtur argui, immortalitas; hanc enim cum immortalibus, solam participamus; quod Aristoteles docuit *12. Methaphys. part. 39.* dicens de actu intelligendi; quod ita se habet Deus semper, quemadmodum nos aliquando, & talis ipsi est semper degentia, qualis nobis, pauco tempore. Quarto, quia si mundi climata, quæ habitantur diligenter consideremus, & fidem ijs, qui ipsa perlustrarunt, adhibeamus, longe plures homines, belluis, & Bruris animalibus, affines reperiemus, quam rationales. Quinimmo si totam speciem humanam, & frequentisimos hominum cetus spectemus, inueniemus quamplurimos, vitam tantum vegetalem & sensualem viuere, & eos qui sapientes habentur, aut imaginandi vim non transcendere, siue extimatiuam, quæ brutalis animæ repagulis adhuc includitur, aut vix ad practicum intellectum pertingere, si enim omittamus plebem, & hominum seculentiam, qui nullum aliud, præter corporis voluptates, bonum deguitarunt, nunc perditisimæ gulæ voragine absorpti; nunc flagitiosæ libidinis ignibus æstuantes, nunc ceterorum sensuum dulcedine pellecti. Si cæteros consideramus, qui honestioribus artibus dant operam, aut etiam disciplinis; vix paucos inueniemus, qui intellectu practico viuant; Medici, imaginatiua, memoria, & extimatiua, artem suam ægregie exercent, iuris periti, memoria, & extimatiua. Rectores, memoria, & imaginatiua. Soli prudentes, & qui secundum virtutem viuunt, intellectu vtuntur practico, ac propterea prudentia, non modo, virtutum; sed etiam humanarum actionum omnium; est moderatrix, & custos. Pauciſsimos vero reperiemus, vitam intellectiuam degere, & contemplationi vacare. Hoc vero, naturæ instinctu fieri, inde arguit Pomponatius, quia semper, & tota temporum serie ita factum fuisse compertum est, nec aliter contigit, nisi penes magis & minus, effectus autem naturalis, causam naturalem assignandā esse, ipse putat, nempe, quia homo, plus est sensualis, quam intellectualis: plus mortalis, quam immortalis. Tertio arguit Pomponatius. Si intellectus esset immaterialis, & separabilis, non langueſceret, neque defatigaretur, intelligens, neque læsa phantasia, & eius organo, lederetur contrarium

trarium autem demonstrat experientia, nihil enim vires corporis magis debilitat, quam speculatio, & læso cerebro, in quo residet facultas imaginandi; læditur ratiocinatio. Quarto. Si intellectus esset vis immaterialis, & incorruptibilis, non vinceretur à sensu, & eius appetitu; quinimmo, sensus neque illi repugnaret, aut resisteret, quia immortale, non vincitur à mortali; quin potius immortale, agens in caducum, ab eodem non repatitur. Quinto. Si intellectus esset forma immaterialis, non intelligeret formas materiales, duplici de causa. Primo, ob rationem dictam, quia materiale, non agit in immateriale, & hoc argumentum, affert Pomponatius, *lib. de immortal. cap. 8.* Secundo, quia semper, obiectum, quod intelligitur, est perfectius, & nobilius; potentia intelligente, vt Philosophus docuit *12. Metaphysic. part. 51.* ex communi diuisione, & hoc argumento, vsus etiam fuit, Portius *lib de mente humana cap. 7.* Præter hoc alia etiam plura congessit Portius, citato libro *cap. 5. 6. & 7.* pariter ex operatione intellectus, eius arguens mortalitatem, tali pacto. Substantiæ æternæ operatio est æterna, vt toto suæ Philosophiæ progressu arguit Aristot. quapropter, & prima rerum principia, statuit esse æterna, quia sunt vniuersi principia, quod est æternum, vt sunt, primus motor, & reliquæ intelligentiæ, quæ respectu sublunaris Mundi, sub nomine mororis primi ab Aristotele censentur, vt etiam est primum subiectum, siue prima materia, & primum corpus, quod est primum mouens motum, & habet rationem efficientis primi, in his inferioribus, quod pariter est æternum, quia est causa specierum quæ sunt æternæ, & eius operatio quæ est, motus, pariter est æterna. At vero substantiæ corruptibilis operatio est corruptibilis, & econuerso, quia, vt *lib. 3. de cælo* dicitur. Corruptibilium principia corruptioni obnoxia sunt, & æternorum æterna. Ex hoc autem necessarium est, concludere, inquit ipsæ, humanum animum esse corruptibilem: nam, nulla eius operatio est æterna, quinimmo quælibet est interrupta, caduca, & corruptibilis, & quidem, de operationibus vegetalis, & sentientis, valde manifestum est, de intellectus autem operatione, etiam non est obscurum, ipsam corruptibilem esse: nam corrupto homine corrumpitur scientia, vt Aristoteles confessus fuit, libello de longitudine, & breuitate vitæ *cap. 2.* his verbis: *corruptis enim animalibus, corrumpitur scientia, & sanitas, quæ in animalibus*. Hoc argumentum statuit Portius duobus locis, cap. scilicet 5. & 7. Præterea, mobile cuius motus non est æternus, ipsum non potest esse æternum vt *2. de cælo* dicitur; sed intellectus potentiæ, quod est mobile, motum à phantasmatibus, siue intelligibili-

bus, non est æternus motus, quia eius intellectio, non est æterna; sed interrupta, & temporanea. Ergo intellectus potentia, non est æternus, & ex consequenti, neque immortalis. Hoc argumentum attulit *cap. 5.* & coincidit, cum præcedente. Tertio. Mens humana, inter prima principia vniuersi, non adnumeratur; quippe quæ vni speciei à natura destinatur. Sola autem principia vniuersi prima, æterna esse Aristot. statuit: ergo. Hoc argumentum ibidem affertur, & coincidit, cum ijs, quæ suppositi priore argumento.

Amplius. Quæ mouentur secundum accidens à se ipsis, corruptibilia sunt, ex *Aristot. 8. Physic. part. 52.* sed animus humanus est huiusmodi, ergo est corruptibilis, probatur minor, quia illa dicuntur moueri secundum accidens à se ipsis, quæ mouentur ad motum *corporum*, quæ ab ipsis mouentur; sed anima est huiusmodi, nam anima mouet corpus, & ipsa ad motum corporis, quod mouet, mouetur, vt Arist. *1. de anima* concesit, & manifestum est, nam motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis: ergo. His omnibus hanc rationem veluti corollarium addidit, in fine eiusdem capitis; quam & sibi postulat solui, à nobis, qui aliter secundum Aristotelem sentimus. Si rationalis anima æterna est. Igitur viæ, quibus vsus est Philosophus ad demonstrandas formas materiæ expertes æternas esse, non modo non domonstrant; sed falsæ quoque iudicandæ sunt. Consequentia est euidens, nulla etenim alia via Aristoteles monstrauit primi motoris æternitatem, & à materia abstractionem, quã à motus æternitate, & immobilitate mouẽtis, quæ via procul dubio esset insufficiẽs, si aliqua daretur substantia æterna, cuius operatio non esset æterna; quare, & ea quæ ab Aristotele dicta sunt, de intellectu humano, quod sit simplex, siue immaterialis, & immixtus, inquit supponere æternitatem operationis, & immobilitatem, quibus non suppositis de aliqua substantia; non sufficit ad alterius æternitatem ostendendã, immixtio, & simplicitas. Quæ præterea æquiuoce de humano intellectu dicuntur; quemadmodum æquiuoce est intellectus. Hæc Portius citato capite, quibus alia sequenti capite subnectit, pariter ex intellectus operatione desumpta, quæ etsi contra Auerroem primario diriguntur, tamen, etiam immortalitatem qualitercumque acceptam, oppugnant. Arguit igitur. Si intellectus potentia, qui, vt supponitur est intellectus humanus, esset æternus, intellectus agens esset frustra; sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Probatur sequela, nam si intellectus potentia esset æternus, siue incorruptibilis, esset, intellectus absque materia, vt cæteræ intelligẽtiæ, quinimmo, ex Auerroe esset vna

intel-

Digitized by Google

intelligentiarum, quare longe ſuperiori natura eſſet prædictus, quam ſint formæ materiales intelligendæ, & tanto lumine eſſet præditus, quantum ſufficit ad res materiales intelligendas, & hoc ex propria natura intellectuali, cum formæ inferiores in ſuperioribus continean-tur, præterea cum intellectus à materia abſtractus, ſua natura aptus natus ſit intelligere vniuerſalia, non indigebit intellectu agente, qui deputando conditiones ſingularitatis faciat vniuerſalia. Præterea primo intelliget ſe, & rationes aliarum ſuperiorum ſubſtantiarum, quam formas materiales, & veluti, vt ſe ipſum intelligat, minime indigebit ope intellectus agentis, ita nec vt intelligat materiales formas. Præterea; vnus, & idem, ſecundum hunc intellectum, ſciret, & ignoraret, intelligeret, & non intelligeret, pueri enim anima, penes hunc intellectum, & ſeipſam intelligeret, ac intueretur; vt competit immaterialibus mentibus, & res ſenſibiles ignoraret, ad ipſarum formas exiſtens potentia, quinimmo eaſdemmet formas ſenſibilium rerum, ſciret & ignoraret, dum enim ſeipſum hic intellectus intueretur, non ſolum ſuam eſſentiam cognoſceret; ſed etiam inferiores formas, quæ ſemper, in ſuperioribus, eminenter continentur, & ita illas nobiliori modo cognoſceret, deteriori autem modo, prout ſunt ſcilicet, in materia, eaſdem ignoraret, quemadmodum, de mentibus, & intelligentijs Ariſtoteles exiſtimauit. Adhuc, ſequeretur, non eſſe hunc intellectum, ſua natura poſſibilem & poteſtate, ſed eſſe actum, omnis enim forma immaterialis, eſt purus actus, quare non eſſet; veluti tabula agrapha, vt Ariſt. dixit Præter hæc aliud affert Portius argumentum, ſequenti capite 7. quod cum ex opere intelligendi deſumatur, minime omittemus. Deſumit vero illud ex Ariſtot. verbis 30. particula problematum, problemate 5. vbi ſoluẽs problema, inquit Philoſophus, quod veluti manu non iã inde ab ortu naturæ vti poſſumus; ſed cum eam natura abſoluit perfecitque, ita etiam mens, quæ res naturalis eſt, non protinus; ſed in ſenectute, maxime nobis contingit. Ex his autem, ita arguit, Intellectus, non ineſt nobis, à principio perfectus; ſed imperfectus, ita vt nihil differre à beſtijs anima pueri dicatur *8. de Hiſtoria animalium*, temporis autem progreſſu, perficitur, quemadmodum & corporis inſtrumenta, ergo intellectus, non eſt ſubſtantia immortalis, & ſempiterna, tales enim ſubſtantiæ, necnon ipſarum operatio; immutabiles ſunt, nec ſuſcipiunt augmentum, vel decrementum. Arguunt vlterius aduerſarij, ſi aliqua eſt intellectus humani operatio, quæ poſsit ipſum oſtendere à materia ſeparabilem, nulla alia profecto erit, quam perceptio vniuerſalium, in hac enim abſtrahit, non ſolum à materia, ve-

Digitized by Google

rum etiam à conditionibus materiæ; sed hæc non sufficit ad ostendendam immortalitatem, ergo nulla alia hoc præstare poterit. Probatur minor, quia vt aliquid sit immortale, oportet vt nullo pacto dependeat à materia, quare operatio, quæ debet arguere principium immortale, debet esse omnino abstracta à materia; sed perceptio vniuersalis, non est omnino abstracta à materia, quia intellectus non intelligit vniuersalia, nisi in singularibus, & singularia sunt causæ specierum vniuersalium, quæ in intellectu sunr, non solum in fieri, verum etiam in conseruari, cum memoria, per se, sit primi sensitiui, per accidens vero, intellectui; ergo perceptio vniuersalium non est valida, ad ostendendam intellectus immortalitatem. Præterea si extimatiua, quæ est imaginatiuæ gradus, quamuis discurrat, & syllogismum particularem faciat, quamuis percipiat intentiones omnium prædicamentorum, expolliat enim substantiam ab omni sensibili, communi, & proprio, & sine quantitate cognoscit eam, vt experimur in brutis, & Auerroes *2. de anima comm. 63. & 3. comm.6.* Docuit, non tamen ex hac operatione arguitur immortalis. ergo neque intellectus, ex perceptione vniuersalium, immortalis est arguendus, cum paulo amplius, vniuersalia intelligendo, abstrahat, nempe, tantum à conditionibus singularium; sed non omnino sine singularibus, quod potest illi præstare intellectus agens, quamuis ipse esset mortalis; hoc autem non est tanti, vt possit immortalitatem ostendere, operatio enim siue intellectio substantiæ immortalis, non tantum est æterna, & continuata; sed neque est diuisibilis, quemadmodum est humani intellectus operatio, quæ non est tota simul; sed per partes, prius vnum intelligens, quam alterum, vt Aristot. docuit *12. Metaphys. partic. 51.* Adhuc. Si intellectus esset immortalis intelligeret se per propriam essentiam, vt reliquæ substantiæ separatæ, non autem per alienam speciem. Sed contrarium docet Aristot. *3. de anima part. 8.* dicens tunc posse intellectum se ipsum intelligere, cum singula factus fuerit, vt sciens dicitur, qui secundum actum, hoc est, cum imbutus fuerit speciebus intelligibilibus, & habuerit habitum sciendi. Ad hæc omnia confirmanda, illud, vltimo argumentum affertur, quod ad primum rediens circulari, quodam ambitu, omnia, quæ ex operatione nostri intellectus, desumuntur, vel desumi possunt ab aduersarijs argumenta complectitur; tali pacto. Operatio arguit formam, transmutatio vero materiam; quemadmodum dicebat Auerroes, & ab omnibus Philosophis est receptũ, cum formæ, tamquam substantiæ simplices, ac propterea, sensibus ignotæ, nulla alia via, nobis innotescere possint: ergo, animi nostri

essen-

Digitized by Google

essentia, nulla alia via, nobis demonstrabitur, quam ex eius operatione, ex operationibus autem, cum aliquæ sint manifestæ, aliquæ vero immanifestæ, ex immanifestis ipsam demonstrari impossibile est, fit enim demonstratio ex notioribus, quare ex manifestis; nulla autem est animi operatio manifesta, quæ non sit cum corpore, quinimmo, propria, & adæquata, ac essentialis eius operatio, quæ est, animare, non potest esse sine corpore, ex quo, definitur omnis anima, actus corporis, & ipsum intelligere, quod est proprium opus intellectus, non est sine corpore, non enim fit sine sensu, & phantasia; quare, & opinatiuum à sensitiuo, ratione tantum, non re, separari Aristot. dixit *2. de anima partic. 21.* & paulo ante *partic. 15.* dixerat, vegetatiuam ab alijs animæ facultatibus separari posse, alias autem ab ipsa, impossibile esse, vt separentur. Si ergo nulla animæ operatio est, ex ijs, quæ nobis notæ sunt, quæ sine corpore esse possit: temere & gratis, animus immortalis statuitur, nisi aliquam aliam eius operationem, sine corpore supponamus, nobis minime manifestam, quæ cum sit ignota, nullam ad rem pariter ignotam, manifestam fidem, afferre potest, nisi stultis, & fatuis. Hoc argumentum apud Lucretium legere est lib. 3. his Carminibus.

Denique corporis, atque animi viuata potestas
Inter se coniuncta valent, vitaque fruuntur
Nec sine corpore enim vitalis edere motus
Sola potest animi per se natura, nec autem
Cassum anima corpus, durare, & sensibus vti
Scilicet auolsus radicitus, vt nequit vllam
Despicere ipse oculus rem, seorsum corpore toto
Sic anima, atque animus, per se, nil posse videntur.

& apud Plinium *lib. 7. cap. 55.* his verbis: *Quod autem corpus anima prosequitur materiam? vbi cogitatio illi? quomodo visus, auditus, aut qui tangit, qui vsus eius, aut, quod sine his bonum?* Hæc sunt argumenta, quæ ex primo fonte, ab aduersarijs, contra animi immortalitatem depromuntur, aut depromi possunt, in sequenti, ad normam & regulam Aristotelis examinanda.

Ex animantur prædicta argumenta, & primum ex ipsis, soluitur. Caput IIII.

PRAECLARE æquidem Plato, vt adsolet, *10. de Republica*; non aliter, humanum animum nos spectare solitos dixit, quam multi Marinum Glaucum inspiciant, commutata priore figura, & alienorum commixtione fædata, confractis, aut attritis vetustioribus membris alijsq;, ipsorum vice, deterius resarcitis, *ita* vt, antiquam eius naturam, non facile possint agnoscere. Non dissimili ratione, & aliquos, nostrum animum contemplari dixerim, non qualis ipse re vera sit; sed corporis communione confractum, malisque quamplurimis inquinatum, ita vt, propriam eius speciem, & pulchritudinem difficillimum sit percipere, & corporis sibi coniuncti, mala ac detrimenta, veluti contagione quadam, ipsi facile tribuant. Hoc idem, Platonem præceptorem imitatus, Philosophus noster, censuit *1. de anima partic. 65.* Quinimmo melius quam Plato expressit, Plato enim antiquam commemorans animi speciem, illam statuit, quam alibi, animæ præexistentiam, quæ falsa est, & iure merito in Quinta generali Synodo damnata, Aristot. vero loco citato, cum essentiam humani intellectus, qualis, & quænam, sua natura sit, declarasset, inquiens. *Intellectus autem, apparet innasci substantia quadam existens, & non corrumpi.* Respiciens ad eam, quæ ex corporis consortio inest, malorum contagionem, subdidit. *Ipsum igitur intelligere, & ipsum speculari marcescit, alio quodam interius corrupto, ipsum autem impassibile est.* Et infra. *Cogitare autem, & amare, aut odisse, non sunt illius passiones, sed huius habentis illud, secundum quod illud habet. Quare, & hoc corrupto, neque meminit, neque amat, non enim illius erant; sed communis, quod quidem destructum est. Intellectus autem, equo modo diuinum quid, & impassibile est.* Et *3. de anima part. 20. Non reminiscimur autem quia, hoc quidem impassibile est, passiuus vero intellectus corruptibilis est, & sine hoc nihil intelligit.*

Aliter igitur, contemplabilis est intellectus, sui natura, & quatenus intellectus est, & aliter, vt in corpore est, & simul cum anima, tamquam præcipua eius pars, & perfectissimus ipsius gradus, informat corpus. Hanc duplicem intellectus considerationem, fuse probauimus

bauimus, ex Ariſtotelis ſententia, & cap. 1. præſentis Libri, & ante ſæpius, eiuſdem teſtimonio, potiſsimum *2. Phyſic. part. 26.* vbi aliquarum formarum meminit, quæ cum ſeparabiles, ſecundum ideam, & ſpeciem ſint; tamen in materia ſunt. has vero, duplicem conſiderationem habere, vnam quatenus in materia ſunt, & ita ſpectant ad naturalem; alteram vero, quatenus ſeparabiles ſunt, & ita conſiderationis ſunt Metaphyſicæ: exemplum vero attulit, de hominis forma, cuius conſideratio, propterea naturalis eſt, quia in materia eſt, homo enim, hominem generat, & Sol, hoc eſt, hominis forma concreta materiæ, & Sol, pariter cum materia operans, corporeus ſcilicet. Nec non etiam *1. de partibus cap. 1.* vbi intellectum humanum, quatenus intellectus eſt, neque eſſe naturam. & immotum mouere, & ſubſtantias etiam ſeparatas intelligere, docuit, cum tamen, de eodem dixiſſet, *3. de anima*, eſſe principium motus localis, & pati à phantaſmatibus, actu illuminatis, & nihil intelligere, ſine ſenſu, & phantaſia, quæ omnia, impoſsibile erit conciliare, niſi hac ſuppoſita diſtinctione. Ex dictis, manifeſta fit cauſa, deceptionis aduerſariorum, & paralogiſmi, in omnibus ipſorum rationibus. Sed aliquis pro ipſis dicet; peti in hac diſtinctione principium, & ſupponi, quod venit in quæſtionem, duplex, eſſe, ipſius animæ, vnum in corpore, alterum extra corpus. Ad hoc dicimus, non peti; ſed ab omnibus, & etiam ab aduerſarijs vltro concedi, vt per ſe notum. Omitto nunc Mercurium Triſmegiſtum, & alios quamplures ſapientes, qui animum humanũ in Orizonte, & confinio eſſe, rerum omnino immaterialium, & materialium ſtatuunt, ac proinde, duplex hoc eſſe participare. Ipſemet Pomponatius, diſertis verbis, hoc idem confeſſus eſt, libello de Immortalitate animæ *cap. 9.* inquiens: *Quare anima humana apud Ariſtotelem abſolute pronuncianda eſt mortalis, verum cum ſit media inter abſtracta ſimpliciter, & immerſa materiæ, quoquo modo, de Immortalitate participat, quod, & ſua eſſentialis operatio oſtendit, nam non dependent à corpore, tamquam ſubiecto, in quo conuenit cum intelligentijs, & differt à beſtijs, & indiget corpore, vt obiecto, in quo conuenit, cum beſtijs.* Et infra clarius. *Quapropter poteſt intellectus reflectere ſupra ſeipſum, diſcurrere, & vniuerſaliter comprehendere, quod virtutes organica, & extenſæ, minime facere quaunt, hoc autem totum prouenit, ex eſſentia intellectus, quoniam, qua intellectus eſt, non dependet à materia, neque à quantitate. Quod ſi humanus intellectus ab ea dependet, hoc eſt; vt ſenſui coniunctus eſt, quare accidit ſibi, qua intellectus eſt, à materia, & quantitate dependere.* Quibus profecto verbis eamdem, quam nos attulimus, ſtatuit diſtinctionem, nempe quod intel-

lectus,

lectus, per ſe, & quatenus intellectus, non dependet à corpore, quatenus vero coniunctus eſt ſenſui, & per accidens, dependet à corpore. Duplex igitur, intellectus eſt eſſe, ex ipſiuſmet Põponatij confeſſione, ſiue duplex exiſtentia, aut modus eſſendi, vnus qui ipſi ex propria natura competit, & quatenus intellectus, & in tali eſſe, nihil dependet à corpore, & materia, alter vero, qui non ex propria natura; ſed ex accidenti, illi conuenit, quatenus coniunctus ſenſui, & in tali eſſe, non omnino abſolutus eſt à corpore, & materia. Si igitur, duplex intellectui eſt eſſe, ergo duplex illius eſt operatio, vna quæ illi competit, per ſe, & quatenus intellectus; altera vero, quæ illi competit, per accidens, & quatenus coniunctus ſenſui, quæ competit illi, quatenus eſt intellectus, à materia abſtracta eſt, quemadmodum eſt, & intellectus, vt intellectus, & ita dicebat Philoſophus *3. de generatione animalium cap. 3.* loquens de intellectu, qui hominem conſtituit; ſed tamen, quatenus intellectus eſt, quod extrinſecus aduenit, quia cum eius operatione nihil communicat actio corporalis. Quæ vero competit illi, vt eſt pars animæ, & coniunctus corpori, hæc dependet à corpore, ſaltem obiectiuè, & ita dixit Philoſophus, oportere eum, qui intelligit; vna cum phantaſmate ſpeculari, & eum qui non ſentit, nihil addiſcere, aut intelligere, his ſuppoſitis. Reſpondeo præciſe, ad argumentum primum, quod erat, ſi aliqua eſt animæ operationũ, aut paſſionum propria, continget vtiq; ipſam ſeparari, ſi vero nulla eſt propria ipſius, non erit ſeparabilis. Concedo totam hanc maiorem ſequelam, ſimpliciter, & ſine vlla choarctatione, vt ab Ariſtotele fuit aſſumpta.

Sed nulla eſt, animi humani operationum propria; hanc propoſitionem nego. Ad probationem vero ipſius, in qua dicebatur, animam nunquam ſine phantaſmate intelligere, & opportere, intelligentem, cum phantaſmate ſpeculari, & eum qui non ſentit, nihil addiſcere, nec intelligere. dicimus, hoc non eſſe verum, ſimpliciter, & in vniuerſum de qualibet operatione intellectus; ſed de operatione intellectus, coniuncti cum corpore, vt patet ex ipſismet Ariſtotelis verbis citatis, nunquam enim hoc Ariſtot. affirmauit, de operatione intellectus; ſed de operatione animæ, quare *3. de anima part. 30.* non dixit ſine phantaſia, nunquam intelligit intellectus; ſed nunquam intelligit anima, nec dixit oportet intellectum cum phantaſmate ſpeculari; ſed intelligentem, & eum qui nihil ſentit, nihil addiſcere, nec intelligere: hæc autem omnia, nequaquam de intellectu, vt intellectus eſt, dicuntur; ſed de intellectu, vt eſt coniunctus corpori, & pars animæ,

quod

quod illi, accidentaliter competere, dixit Pomponatius, non autem ex propria intellectus essentia, duplici igitur ex capite; peccat argumentum. Primo, quia maior sequela, quæ assumitur, vera est, simpliciter, & vniuersaliter accepta (si nulla animæ operationum, aut passionum est propria, non erit separabilis) non autem est vera, particulatiter sumpta, quia potest esse aliqua ipsius operatio non propria, & aliqua propria. consequentia igitur vera est, vniuersaliter, si nulla est animæ operationum propria, non erit à corpore separabilis, quia esset frustratoria, & otiosa, carens eo, cum quo operatur, non autem particulariter, nam si aliquam tantum habet operationem, communem corpori, poterit sine corpore aliam non communem exercere. In minori autem propositione, sumitur particulariter, non de qualibet operatione animæ, non enim de operatione intellectus, vt intellectus; sed de operatione intellectus, corpori coniuncti. Secundo, peccat, quia arguit essentiam intellectus, ab eo, quod est accidentale ipsi, non autem ab eo, quod est essentiale, modo accidentale est intellectui, esse vnitum corpori, vt Pomponatius dicebat, loco citato, ergo perperam, ipse ab ea operatione, quæ illi competit, quatenus est vnitus corpori, hoc est, ab intelligere cum phantasia, intellectus essentiam inseparabilem colligit, cum potius separabilem deberet concludere, ex operatione separabili, quæ illi competit, per se, & quatenus intellectus, vt idem dixerat, verbis nuper citatis. Falsum igitur est, animam, non habere aliquam operationem propriam, cum ratione partis intellectiuæ, non indigeat corpore, vt 2. *de generatione animal.* Aristot. dixit, quod si indiget phantasia, hoc non est absolute, & simpliciter; sed quatenus est coniuncta corpori.

Hanc eadem responsionem, prestius declaratam, attulit Cardinalis Contarenus *lib. 1.* contra Pomponatium, quam recitat idem Pomponatius *lib. 1.* suæ Apologiæ *cap. 2.* tamquam auctoris innominati, toto enim illo libro, & sequentibus, sub nomine Contradictoris, quem satis laudat, intellexit prædictum Contarenum, illum namque, è nomine noluit recensere, veritus maiestatem tanti viri; sed illam conatur Pomponatius oppugnare, & inquit, nullam aliam operationem, debere à nobis supponi, ipsius intellectus, nisi illam, de qua certi sumus; sed nulla alia nobis certa, ac nota est, intellectus operatio, nisi ea, quæ est secundum esse coniunctum, in qua indiget phantasia; ergo non est alia, gratis, & irrationabiliter, ponenda eius operatio, sine phantasia. Huic obiectioni supra à nobis propositæ, iam respondimus ex eiusdem Pomponatij verbis *lib. de immortalitate cap. 8.* quorum

ipse

ipse oblitus, postmodum, in Apologia, hæc obiecit. Verum, quia etiam Contarenus, eidem respondit, & ipsius responsionem, Pomponatius oppugnauit, propterea, & nos, eãdem responsionem cõfirmare, & Pomponatij confutationem inualidam esse, ostendere tentabimus. Respondit autem Contarenus, quod quamuis nos, nullam aliam experiamur operationem intellectus, nisi quæ dependet à phantasia, tamen negari non potest, quin ex tali operatione, non sit notum, & manifestum nobis, intellectum, non indigere organo corporeo, intelligere omnes formas materiales, & esse locum specierum intelligibilium, non cum corpore; sed ipsum solum, ex quibus certe colligitur, intellectum non dependere à corpore; vt subiecto, quemadmodum ipsemet Pomponatius confessus fuit, modo citatis verbis, neque hoc loco negare est ausus; si autem hoc concedatur, concedi etiam oportet; intellectus essentiam, & operationem; à corpore separabilem esse. Contra hanc responsionem instat Pomponatius, inquiens, adhuc, mortalitatis argumentum vigere, quandoquidem, clare Aristot. dixit: *Si intelligere, aut est phantasia, aut non sine phantasia, non continget, hoc sine corpore esse*: ergo, quamuis intellectus, non dependeat à corpore; vt subiecto, quemadmodum dependet phantasia, tamen, cum dependeat à corpore; vt obiecto, non erit ab ipso separabilis, hoc enim sibi vult, non esse sine phantasia, ad veritatem autem disiunctiuè, sufficit, vt altera eius pars sit vera, nec obstat dicere, dependentiam ab obiecto, non arguere inseparabilitatem secundum esse; sed tantum, secundum operationem: nam carere obiecto, est carere operatione, & ita daretur aliqua substantia perpetuo ociosa, quod, à naturæ instituto, maxime abhorret. Sed facile est, hanc instantiam soluere, ex ipsiusmet Pomponatij verbis, hoc loco, scilicet *1. lib.* suæ Apologiæ *cap. 1. in fine.* vbi inquit, hoc argumentum concludere, si in omni suo opere, intellectus dependet à corpore, tamquam obiecto; si autem non in omni suo opere, ab ipso dependeat, non concludere, nam etiam intelligentiæ, vt sunt motrices orbium, dependent ab ipsis; & tamen, non sunt inseparabiles ab ipsis, quia in operatione intelligendi, quæ est propria, ipsarum operatio, non dependent à cœlo. Ita & noster intellectus, quamuis in aliqua intellectione dependeat à phantasia, tamen non dicitur inseparabilis, quia in propria eius operatione, scilicet in intellectione, quæ illi competit, vt est intellectus, non indiget phantasia, quod autem talis aliqua operatio intellectui competat, quæ non pendet à phantasia, constat, tum ex ea intellectione, qua intelligit, cum singula factus est, siue cum est in habitu,

tunc

Digitized by Google

tunc enim intelligit per ſpecies intelligibiles, exiſtentes in intellectu, non indigens phantaſmatibus. præterea, cum intelligit ſeipſum, in hoc enim nulla phantaſmatum indiget ope; intelligens enim, ſpecies intelligibiles, in ſe ipſo immateriales exiſtentes, ſui ipſius naturam, immaterialem intelligit. Præterea oppugnat Pomponatius, allatam ab initio reſponſionem, de duplici intellectionis modo, vno qui competit intellectui, ſiue animæ coniunctæ, altero vero, qui competit animæ ſeparatæ, quia hoc contradicit Ariſtoteli *3. de anima partic. 20.* dicenti *Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſſiuus vero Intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit*, ſcilicet anima: ergo anima, nullum alium habet modum intelligendi, præter eum quem habet coniuncta corpori.

Ad hoc non minus facile reſpondetur; Ariſtotelis ſententiam eſſe, quod quamuis intellectus ſit impaſsibilis, & immortalis, tamen non reminiſcimur, quia paſsiuus intellectus, hoc eſt imaginatiua, cum qua coniunctus intellectus, cognoſcebat ſenſibilia cum tempore, corruptibilis eſt, quare ipſa corrupta, intellectus nihil amplius intelligit, non ſimpliciter; ſed cum tempore, & diuiſibiliter, cuius modi eſt, intelligere cum diſcurſu, & reminiſcentia, quæ non eſt ſine ſenſu, reminiſcentia enim, eſt memoria cum diſcurſu, memoria autem eſt primo ſenſitiui, per accidens vero intellectiui, vt Ariſtot. dicebat, libello de Memoria, & reminiſcentia *cap. 2.* Non obſtant, quæ ipſe affert, tamquam contra reſponſionem Ægidij, nempe quod Ariſtot. aperte dicat intellectum eſſe corruptibilem, omnes enim expoſitores Græci, Arabes, & Latini, vno excepto Pomponacio, & eius aſſeclis, dicunt, intellectum paſsiuũ appellari ab Ariſt. imaginatiuã, vt imaginari *2. de anima* ab eodem, appellatũ fuit, intelligere. Neque obſtat, quod dicit quia inanis fuiſſet dubitatio, de Reminiſci, quod pertinet ad imaginatiuam, cum vnicuique notum ſit, imaginatiuam, cum ſenſitiua anima perire, nec à morte, reſtare; tunc enim eſſet inanis dubitatio, ſi Reminiſci eſſet opus imaginatiuæ tantum; ſed quia eſt opus imaginatiuæ, & intellectiuæ non eſt inanis, intellectus enim remanet. Inanis autem, & prorſus ridicula eſt, dubitatio iuxta eius expoſitionem, ſi enim tota anima, & intellectus eſt corruptibilis, quomodo poteſt de ea dubitari, an Reminiſcatur; vel intelligat, ſi enim poſt mortem, non remanet, quomodo poterit reminiſci, aut intelligere? nec minus obſtãt, quæ affert contra ſanctum Thomam, dicentem quod Ariſtot. dumait ſine phantaſia, nihil intelligere animam, aut intellectum, non ac-

cipit

cipit simpliciter, animam nihil intelligere; sed nihil intelligere, eo modo, quo coniuncta corpori, intelligit, non obstat inquam, quod Aristot. absolute fuerit locutus, absque aliqua conditione, vt Pomponatius, inquit, nam dicens non reminiscimur, certum modum intelligendi designauit, nempe cum sensu. Quod etiam affert, contra eundem ex Aristot. *2. de anima par. 15.* quod impossibile est in mortalibus intellectiuum separari à sensitiuo, est omnino falsum, nunquam enim, hoc Aristot. dixit; sed tantum docuit vegetatiuum posse separari à cæteris animæ potentijs, cæteras autem ab ipso impossibile, separari, in mortalibus, quod verum etiam est, de intellectu humano, quatenus est coniunctus cum corpore, non enim illi potest copulari sine sentiuo, & vegetatiuo, at vero non sequitur, quod à corpore separatus, ipsis indigeat, quinimmo, deducitur potius contrarium. Dicit autem, in mortalibus propter cœlestes intellectus, qui ex Arist. sententia, sunt in orbibus, vt formæ, sine tamen sensitiuo, aut vegetatiuo. Sed instat adhuc Pomponatius *lib. 1. de immortalitate cap. 12.* nullam apud Aristo. reperiri aliam intellectionem præter eam quæ fit cum phantasia. Ad hoc dicimus, falsum esse, quod supponit, *3. etenim de anima par. 15.* & sequenti dixit, intellectum esse intelligibilem, sicut intelligibilia actu, quemadmodum fuse à nobis explicatum fuit in primo libro, intelligibilia autem actu, cum sint omnino abstracta à materia, non repræsentantur, nec pendent à phantasmatibus, præterea eodem libro *partic. 36.* aperte hunc intelligendi modū supponit, dum inquit, *Vtrum autem contingat, aliquid separatorum intelligere, ipsum existentem non separatum à magnitudine, an non, considerandum est posterius.* Proponit enim inuestigandum Philosophus, tantum de intellectu existente in corpore, vtrum intelligat separata, quod si putasset, intellectum nullo modo esse separabilem, nec posse aliquid sine corpore intelligere simpliciter; non dixisset, *postea considerandum; vtrum intellectus possit intelligere separata.* Vanum enim, ac stultum esset, indagare, vtrum potentia, quæ neque est separata, nec separabilis, possit separata obiecta percipere, obiectum namque debet esse proportionatum potentiæ, & obiectum separatum à materia, nullam poterit habere proportionem, cum potentia, quæ neque est separata à materia, neque est separabilis, quia non conueniunt in genere. Sed si potentia sit separabilis; iure potest dubitari, vtrum non separata existens, valeat intelligere separata. Quod vero inquit Pomponacius, hanc quæstionem, fuisse ab Aristotele solutam *9. Metaphys. partic. vlt.* quemadmodum dixerat. S. Thomas in commento,

Facile

Facile accipio, perbelle enim hoc loco Aristot. totam nostram controuersiam terminauit. Cum enim, de modo, quo res separatæ à materia, Intelligibiles sunt, sermonem haberet, inquit; circa ipsas non esse deceptionem; sed aut intelligere, aut non; quare intelligere ipsas, dicitur veritas, non intelligere autem, non dicitur deceptio; sed ignorantia. Volens autem docere, quomodo, harum rerum nobis sit ignorantia, inquit *Non qualis cæcitas, est etenim cæcitas quidem, sicuti, si omnino non haberet aliquis intelligendi potentiam.* His autem verbis, Philosophus, & satisfacit disquisitioni propositæ *lib. 3. de anima*, & nostram dirimit controuersiam, cum enim separata à materia, sint intelligibilia actu, simplici intellectione comprænduntur, quemadmodum, & ipsa, simplicia sunt, quare si intelligantur, ipsorum intellectio, est veritas, si autem non intelligantur, non est deceptio, deceptio enim, est cum compositione, aut diuisione; sed dicitur ignorantia. Ex his autem sequitur, quod intellectus humanus, dum est in corpore, non potest intelligere separata, cum diuisibiliter intelligat, & cum discursu, à noto ad ignotum, quippe qui, corpori sit copulatus, ac sensibus, & phantasia indigeat, quare, separatorum habet ignorantiam; sed tamen non ignorantiam, qualis est cæcitas, cæcitas enim tollit actū & aptitudinem videndi, at vero hæc ignorantia separatorum, quæ nostro intellectui competit, dum in corpore est, quanquis tollat actum, tamen non tollit aptitudinem, quia noster intellectus cum fuerit à corpore separatus, separata intelliget. Ex quo fit; vt quamuis in hac vita, separatorum ignorantiam habeamus, quia ipsa; vt sunt, neque comprædendere, neque intelligere valemus, tamen ob eam aptitudinem quæ in nostro intellectu est ipsa intelligendi, aliquam, & si tenuem, & obscurā ipsorum cognitionem habeamus; nō est impossibile vt habent, Solis luminis, oculi nicticoracis, vt Arist. *2. Metaph.* dixit. Ac propterea, quamuis, nulla alia sit nobis euidens, intellectus operatio, præter eam quā exercet simul cū phantasia, tamen nihil prohibet, vt ex hac eadem operatione, separabilem, & abstractam eius naturam cognoscamus, cum neque corporeo, intelligens, vtatur organo, neque cum corpore, intelligibilia obiecta percipiat, vt paulo ante, etiam demonstrauimus. Argumentum igitur primum, aduersariorum Achilles; & inexpugnabile reputatum. funditus corruit, & abbunde est confutatum, si tamen Lector, quicumque sit, qui in hæc nostra incideris, candidum attulerit animum, neque prauis opinionibus inbutum, aut perdite obstinatum.

Respon-

Digitized by Google

Respondetur alijs iam propositis argumentis.
Caput V.

CÆTERIS argumentis, quæ ex eodem fonte pariter hauriuntur, nõ erit difficile respondere. Erat autem secundum. Denominatio fieri debet à prædominante, prædominatur autem in animo humano, mortale, quia ex tribus eius partibus siue facultatibus, duæ sunt mortales, vegetatiua, & sentiens, vix autem vna immortalitatem attestatur, satis exiliter, & obscure, nec proprie; sed improprie, scilicet intelligere, quod neque absolute, homini competit, potius enim dicitur homo, discurrens quam intelligens: ergo humanus animus, dicendus est mortalis, non immortalis. Minorem huius argumenti multis probauerat Pomponatius, quæ præcedente capite sunt allata. Huic argumento respondemus, concedendo maiorem; sed negando minorem, & ratio negationis est, quia etsi plures numero sint facultates, & operationes animi, quæ attestantur mortalitatem, tamen efficacior, ac magis potens, est illa pars animi, & operatio, quæ fauet immortalitati; ergo ab ipsa denominandus est animus, tanquam à prædominante, & digniori. Mutata igitur minore, argumentum contra Auctorem retorquetur. Quod autem valentior sit, ac prædominans, intellectiua facultas, & ratio, duabus reliquis, brutis, & agrestibus, vel ex eius nomine facile cognoscitur; propterea enim, illam, tum Plato, tum Aristot. ἡγεμονικὸν, siue ἡγεμονία, hoc est Principem, aut imperantem dixerunt, eo quòd, natura ita factum est, vt hæc præesse, atque imperare, illæ vero subesse, atque obedire debeant, quod si aliquando, & in quibusdam, contrarium fieri videamus, hoc, vitio, & præter naturam est, non autem ex præscripto; quod optime Sacri Theologi, ex peccato originis, nobis inesse docuerunt. Vnumquodque vero, ab eo, quod secundum naturam, non autem ab eo, quod præter naturam accidit, denominari æquum est. Præterea etiam, inde patet, quod intellectus, vltima est hominis perfectio, & vltima differentia, qua homo est homo, & sine qua, etiam cæteris adeptis, non dicitur homo, etsi enim, embrio viuat vita plantæ, & adhuc vita animalis, tamen non dicitur homo; nisi extrinsecus mens

illi

illi aduenerit, & intellectus; vt Ariſto. docuit *2. de gener. animal. cap. 3.* A fine autem, & termino, vnumquodque denominari, iuſtum eſt; vt vetus aſſerit regula, ergo ab intellectu, qui præſefert immortalitatem annimus immortalis eſt denominandus: quamuis enim, etiam vegetalis, & ſenſitiua, ſint potentiæ animæ conſtituentis hominem, tamen, quia non ſunt vltimi gradus, ab ipſarum operatione, non poteſt deſumi indicium propriæ formæ hominis; ſed tantum ab operatione vltimi gradus, qui eſt intellectus, neque obſtat, quod ſimul coniuncti ſint, hi gradus, cum intellectiuo, & penes huiuſcemodi gradus, anima humana vtatur corpore, nam non ex qualibet operatione alicuius formæ, arguitur eius eſſentia; ſed ex propria; vt patet ex intelligentijs, quæ & ſi in operatione qua mouent orbes pendeant à corpore, & propterea vniantur corpori, & dicantur animæ, tamen quia in propria operatione, quæ eſt intelligere, non pendent à corpore, dicũtur immateriales, & incorporeæ; vt Pomponatius ipſe docuit, *lib.* de immortalitate animæ *cap. 9.* Ita & humanus animus, quamuis in munere vegetandi, & ſentiendi, non poſſit eſſe ſine corpore, tamen quia in munere intelligendi, quod eſt illi proprium, non vtitur corpore, dicitur immortalis, & ſeparabilis. Hoc etiam confirmatur, quia in operatione propria, natura conquieſcit, tanquam in termino, & perfectione, terminus autem, & perfectio hominis, eſt felicitas, quæ nõ in opere vegetandi, autem ſentiendi; ſed intelligendi conſiſtit. Vna igitur eſt, intellectus operatio, quæ naturam animi noſtri arguit, atque monſtrare poteſt. Huic reſponſioni obijcit Pomponatius primo libro apologiæ *cap. 3.* dicens impoſſibile eſſe, quod eſt ſuppoſitum, ſi nãque, ratione vltimæ differentiæ, homo eſt immortalis, & ratione primarum differentiarum, eſt mortalis, ſimul, homo erit mortalis, & immortalis, veluti vere, & proprie eſt rationalis, & ſenſitiuus, quod eſt impoſſibile, niſi dicatur, hoc diuerſo modo contingere, vt ſcilicet, vnum illi tribuatur ſimpliciter, alterum vero, ſecundum quid, vt vero hoc dignoſcatur, videndum eſſe, inquit, ex operatione, quid vere ipſi competat, & quid non vere; Manifeſtum autem eſt, vere homini competere, operationes, vegetatiuæ, & ſenſitiuæ, vt nutriri, augeri, generare, ac pariter guſtare, tangere, & reliqua, operationes autem intellectiuæ, nequaquam ipſi, vere competere; ſed per quandam participationem, & ſimilitudinem, aut vmbram, vt præcedente capite tertio, fuſius eſt monſtratum. Ergo homo, penes ſuam formam, & eſſentiam, dicendus eſt, ſimpliciter, mortalis, & ſecundum quid, immortalis. Aut, ſi contrarium dicatur, aſſerendum erit, vegetatiuum,

& sensitiuum, in homine, esse immortale, cuius oppositum ostendunt operationes, quæ necessario indigent corpore, nec ab organis, sunt separabiles. Hæc obiectio, continet duo capita: vnum de contradictione, quam deducit, ex diuersis suppositis hominis differentijs; penes quas, homo, aut humana anima, diceretur simul, mortalis, & immortalis. Alterum vero, de euidentia, operationum, vegetatiuæ, & sensitiuæ, arguentium mortalitatem, & obscuritate, siue ineuidentia, operationum intellectiuæ, arguentium immortalitatem, quibus commutato ordine, respondebimus; Primo, scilicet, ad secundum; secundo vero ad primum, multa enim congessit Pomponatius, in secundo argumento, ad probandam hanc certitudinem, operationum mortalitatis, & incertitudinem, operationum immortalitatis, quæ omnia, vnico contextu soluemus, quamuis multa, etiam ex ijsdem, paulo ante soluerimus, cap. proxime præcedente.

Sunt autem hæc, quod pauciſſimi homines, & hi breuiſſimo tempore, vita intellectiua viuant, quamplurimi autem, & plurimum temporis, vita vegetali, & sensitiua. Quod obscuriſſima sit nobis intellectio, & intelligibilium notitia, improprie, & æquiuoce, ac magis ratiocinium, quam intellectio. Quod, etiam speculando, intellectus pendet à corpore, saltem ratione obiecti. Ad hæc omnia, sufficeret responsio, quam attulimus initio præcedentis capitis, quod huiusmodi, & alia, quæ imperfectionem arguunt animi, vel intellectus, nequaquam illi competunt, propria ratione; sed ex consortio corporis, neque simpliciter; sed ratione, qua, in quibusdam operationibus, corpore vtitur, quod non sufficit ad eius essentiam arguendam; sed tamen, sigillatim, dico ad primam probationem. quod non concludit; pauciſſimi homines viuunt intellectu, quamplures autem sensu. & vegetali; ergo magis vere, & magis euidenter homo est sensitiuus, & vegetatiuus, quam intelligens. Anima enim quælibet, dicitur forma corporis, non vt actus secundus; sed, vt actus primus, & veluti, quamuis Aristot. dixerit *1. de anima*, non omnibus hominibus inesse intellectum, secundum prudentiam, tamen non putauit propterea, aliquem posse dari hominem, qui simpliciter, intellectu careret. Ita, neque propterea, quia pauciſſimi sunt, qui ex intellectu viuunt; negandum est, cæteros homines, vere, ac proprie, intellectu præditos esse, vt Pomponatius deducit. Quinimmo, simpliciter negandum est, quod ipse supponit, pauciſſimos esse hominum, qui intellectu viuunt, quamuis enim, re vera, pauci sint, qui intellectu speculatiuo viuunt, tamen, fere omnes, intellectu practico vtuntur, maxima enim

Digitized by Google

enim hominum pars, legibus, & politico regimine viuit, & artes quãuis ad imaginatiuam, & extimatiuam, quibus maxime adiuuantur, referantur, tamen ab intellectu practico originem habent, & perfectionem, vt fusius præcedente libro monstrauimus, & qui secundum virtutem viuunt, intellectu, ac ratione viuunt, & ea quidem prædominante, & imperante sensibus, & appetitui, tamquam Principe, & Regina. Quod autem dicit, breuissimo tempore, intellectiuam nos vitam degere, verum est, de intellectu speculatiuo, tamen, hoc minimum, præciosius est, & delectabilius, omnibus alijs operationibus; ex quo efficitur, vt sensus maxime diligamus, & præ cæteris, sensum visus, quia nos, ad huiusmodi vitam ducunt, vt Philosophus 1. Metaphysicorum dicebat; ac veluti, rerum superiorum notitias, quamuis illas leuiter attingere possimus, reliquarum omnium, scientia, quæ nobis coniunctæ sunt, nos magis oblectat, vt Philosophus dicebat *1. de partibus cap. 5.* ita, & hæc intellectus operatio, quamuis exiguo tempore, nobis insit, & vix paucissimis, nobilitate, ac præstantia omnes alias animæ operationes antecellit; vt iure merito, in hac, vltimam hominis felicitatem positam esse, censuerit Aristoteles. Quamuis vero, exilis sit, & valde obscura, rerum separatarum à materia, in nobis notitia, tamen tanta est, vt potentiam, ad ipsa intelligenda, arguat quamuis actum perfectũ deneget, vt capite præcedente, ex Aristotele ostendimus, & ita, quamuis æquiuoce, nostra intellectio dicatur, cum ea, quæ separatis competit substantijs, tamen vere, dicitur intellectio, talis, qualis homini competere potest, quæ tamen, aliquando adsimilis erit separatorum intellectioni, scilicet, cum noster intellectus, fuerit à corpore separatus, quod, nouisse Aristotelem *3. de anima par. 36.* & explicasse, *9. Metaphys. part. vlt.* etiam ipso Pomponatio concedente, paulo ante monstratum fuit. Ad instantiam vero aliam, quam affert, quod intellectus, non omnino absoluitur à corpore, quia saltem obiectiue ab ipso pendet, cum abunde cap. præcedente responsum fuerit, non oportet iterum respondere; sed quia diximus, Pomponatij obiectionem, duo capita continere, cum secundo, iam fuerit satisfactum, nunc primo satisfaciendum erit. Obijciebat primo Pomponatius, si homo, penes operationem propriam intelligendi, & penes eandem facultatem, esset dicendus immortalis, penes autem sentiendi, & vegetandi, mortalis; tunc simul, ac vere, esset mortalis, & immortalis, secundum eandem animam, quia vere homo, secundum eandem animam, est vegetatiuus, & sensitiuus, atque intellectiuus, hoc autem est impossibile, nisi dicamus

vegetatiuum, & sensitiuum, esse quid immortale, quod vniuersæ reclamat Philosophiæ. Huic obiectioni possem ex Aristotelis sententia facile, respondere, nullum esse absurdum, si homo etiam secundum eandem animã, simul, esset mortalis, & immortalis, quandoquidem Aristoteles, cum Platone præceptore, humanam animam ex duabus partibus constare putauit, re, ac genere distinctis, vna scilicet, caduca, & mortali, qualis est, vegetatiua, & sentiens, altera vero, sempiterna, & immortali, cuiusmodi est intelligens; vt multis, superiore libro cap. vltimo docuimus. Verum quia, Platonis, & Aristot. hæc sententia, falsa est, in vera Philosophia, propterea, aliter respondeo, ex concessione eiusdem Pomponatij, nullum esse absurdum, si vna, & eadem anima, quæ secundum substantiam, sit immortalis, secundum aliquas facultates, & operationes, proprias scilicet, sit immortalis, secundum aliquas vero, non proprias; sed cum alio communes, sit mortalis. Totum hoc, concessit Pomponatius, libro de immortalitate animæ *cap. 9.* non satis longe à principio, exemplum afferens intellectuum, qui vniuntur cum orbibus, vt formæ; huiusmodi verbis. *Nam intelligentiæ non sunt actus corporis, qua intelligentiæ sunt, quoniam in suo intelligere, & desiderare, nullo pacto, indigent corpore; sed, qua, actuant, & mouent corpora cælestia; sic animæ sunt, & sunt actus corporis, physici, organici; stella namque est organum cæli, 2. de cælo, sex. 48. & 12 Metaphys. Omnis orbis est propter stellam, quare actuant corpus physicum, organicum, & vt sic, indigent corpore, vt obiecto.*

Si igitur intelligentiæ, quamuis sint substantiæ separatæ, & immortales, & in propria operatione intelligendi, & desiderandi, non indigeant corpore, tamen secundum facultatem mouendi, vniuntur corpori orbis, vt animæ, & indigent corpore, ita vt, talis operatio ipsarum, inseparabilis sit à corpore. Ergo, & animam humanam, quamuis sua substantia sit immortalis, & propria eius operatio, sit separabilis, nihil prohibet, secundum aliquas facultates, & operationes, esse mortalem, nempe secundum vegetatiuam, & sensitiuam, tamquam communes ipsi, & corpori, necnon corpore necessario indigentes, ac propterea, simul cum corpore, corruptibiles, & ita, nequaquam tota destruitur Philosophia; vt deducebat Pomponatius, non enim ex qualibet operatione, arguitur forma; sed ex propria, quare, & Aristoteles dicebat, quod si aliqua animæ operationum, est propria, contingit ipsam separari; nihil igitur vetat, animi nostri substantiã, dicere immortalem, quamuis aliqua eius facultas, & operatio, sit mortalis, sufficit enim; vt propria eius operatio, sit

sepa-

ſeparabilis, quod iam monſtrauimus. Tertium quoque argumentum colligit Pomponatius, ex operatione intellectus, quæ non poteſt perpetuo durare; vt incorruptibilium rerum operatio perdurat, quinimmo neque diutius, quin ex ipſa corpus langueſcat, & viribus attritis deficiat, nihil enim magis, quam litterarum ſtudium, & potiſſimum ſpeculatio, calorem vitalem diſſipat, morbos accerſit, vitam breuiorem reddit. Quod, ipſemet, malo meo edoctus, fateor, qui naturæ beneficio, validiſſimis donatus membris, habitu totius corporis, eucrato, firmo, ac pene athletico, cum temporis iniurijs diutius luctari, vſque ad vltimam ſenectam & facile ſuperare, aut eludere potuiſſem, niſi his ſtudijs, diſtentus, quibus tamen, vacaſſe non piget, quamuis ab illis, adeo attritus fuerim; vt viginti iam ab hinc annis, varijs, ac difficillimis morbis implicitus ſim, crebris potiſſimum febribus; ſed perenni à capite ad ſubiectam ſpinam, & renes deſtillatione; qua inceſſanter, & ſine ſpe ſalutis, affligor, ob intẽperiem in cerebro iam contractam, ex euaporationibus, intempeſtiua; ſed neceſſaria ſpeculandi aſſuetudine excitatis, & quinquageſimum vix attingens annum, adeo effetis ſum viribus; vt ſemel in die, cibum ſumere cogar, & eam in cœteris ſenectutem experiar, quam, vix ſeptuagenarij conſuerunt. Ex his, & talibus, arguit Pomponatius, intellectum nequaquã eſſe abſtractam, & immortalem formam; ſed materiæ immerſam, & caducam, cum, & in ſua operatione langueſcat, & corpore male affecto, pariter ipſe laboret; vt in egritudinibus, & ebrietate. Sed miror certe, qua nam ratione vir doctus, hoc argumentum inculcet, Ariſtotelis pariter, ac ſui oblitus, ea quæ corporis ſunt, & corporearum animæ facultatum, immortali intellectus ſubſtantiæ, tribuens mala. ſic namque Ariſtoteles de his teſtatum reliquit *1. de anima tex. 65.* ſæpius à nobis citato. *Intellectus autem, videtur innaſci, ſubſtantia quædam exiſtens, & non corrumpi, maxime enim corrumperetur vtique, ab ea quæ in ſenio debilitate, nunc autem quemadmodum in ſenſorijs accidit, ſi enim acciperet ſenex oculum talem, & videret vtique, ſicut & iuuenis, quapropter, ſenium non eſt, quia ſubſtinuit aliquid anima; ſed id in quo, ſicut in ebrietatibus, & morbus. Ipſum igitur intelligere, & ipſum ſpeculari marceſcit, alio quodam interius, corrupto, ipſum autem impaſsibile eſt, cogitare autem, & amare, aut odiſſe, non ſunt illius paſsiones; ſed huius habentis illud, ſecundum quod illud habet.* Et ipſe etiam Pomponatius, *lib. 1. Apologiæ cap. 5.* poſtquam propoſuit dictum argumentum, hæc omnia confitetur, his verbis: *Verum, dicimus, intellectum, in intelligendo, non languere, quoniam, qua intellectus eſt, non langueſcit, licet qua humanus, quoniam ſic materia*

coniunctus eſt, intellectiuum namque, in mortalibus, à ſenſitiuo ſeparari impoſſibile eſt, vt clara voce 2. de anima teſtatur Ariſtoteles, quamquam, & veluti humanus eſt, non per ſe langueſcat; ſed quoniam ſenſui coniunctus eſt, qui ſenſus, proculdubio, per ſe langueſcit, cum in armonia conſiſtat. Quare inualidum eſt, ac nullius roboris, propoſitum argumentum. Nec minus debile eſt, quod ſequitur, ex eo quia, intellectui repugnat ſenſus, & rationem aliquando vincit. Retorquetur namque contra aduerſarios, quamuis enim rationi obluctetur ſenſus, ob diuerſa, & inuicem pugnantia obiecta, ſenſus enim, ad apparens bonum, nempe ad voluptatem; intellectus autem, ſiue eius appetitus, ad vere bonu m, dirigitur, quod non ſemper eſt cum voluptate, tamen in his, qui vt homines viuunt, non autem, vt bruta, ratio ſuperat, ac vincit *ſenſum*; pugna autem, & certamen inter ſenſum & rationem, contingit ex conſortio corporis, cuius temperamentum ſequitur ſenſus, qui eſt actus corporis, at vero hoc, minime trahit, aut cogit rationem, quæ non pendet à corpore, ac propterea libera eſt, & ſuarum actionum domina, vt fuſe præcedente libro monſtrauimus. Erat quintum argumentum Pomponatij, & Portij, quod intellectus, ſi eſſet immortalis, non intelligeret formas materiales, tum quia immateriale, non patitur à materiali, tum quia non perficitur. Ad hoc, reſpondet præciſe, Albertus Magnus *lib 2. d intellectu, & intelligibili cap. 3. Quod hæc eſt dubitatio imperitorum in naturalibus, formæ enim exteriorum, non agunt, niſi prout ſunt intellectus quidam, & agñt ſub lumine intelligentiæ agentis, quod eſt in ipſis.* Hæc Albertus, & rei veritate, magnæ incuriæ eſt, afferre hoc argumentum, hanc eni m ob cauſam, ſtatuit Ariſtoteles, in Anima, intellectum, agentem; vt formas materiales, ineptas intellectioni, ſpirituales redderet, & aptas efficeret. Argumentis vero, quæ attulit Simon Portius, Partim ex operatione æterna, quæ debetur ſubſtantijs æternis, nec non motu æterno, qui mobili ineſt æterno. Partim ex eo, quia ſola prima vniuerſi principia, inter ſubſtantias, ab Ariſtot. cenſentur æterna, cum vniuerſum ſit æternum, inter hæc autem, humana mens, non annumeratur; Partim ex via, & ratione, qua Ariſtoteles ſubſtantias venatur æternas, quæ intellectui, ſiue animo humano accommodari non poteſt Argumentis inquam huiuſmodi, vnica reſponſione facile occurremus, ſi ſupponamus, quod eſt veriſſimum, longe diuerſam rationem eſſe, ſubſtantiarum ſempiternarum, quas ex operationis, aut motus æternitate; vel etiam ex omnimoda immobilitate Ariſtoteles venatus fuit, & humani animi, pariter ſempiterni, aut immortalis, & propterea, non eſſe eandem viam, ipſa inueſtigandi.

Sub-

Digitized by Google

Subſtantiæ, enim ſempiternæ, quas putauit eſſe agnoſcendas ex actionis eternitate, aut ſunt ſenſibiles, & has ex motu ſenſibili æterno, licet arguere æternas, aut ſunt inſenſibiles, & has ex actionis æternitate, & omnina eorum immobilitate, colligendum eſt eſſe æternas; cum enim moueant, nec ab alio moueantur, neceſſe eſt, ſemper mouere, ita enim ſunt, prima mouentia, quare, neque ſunt corpora, nec virtutes in corpore; ſed omnino abſtractæ, ac ſeparatæ à corpore, & materia; vt Ariſtot. *8. Phyſic.* demonſtrauit, at vero, humanus animus; vel intellectus, eſt actus corporis; vel eſt pars animi, qui eſt actus corporis, ſi de intellectu loquamur, quare, humanus intellectus, quamuis immortalis, non dicitur actus purus, intelligentiæ autem, ſunt actus puri, ex Ariſtotelis ſententia, & intellectus quamuis non pendeat à corpore, tamen operatur in corpore; Intelligentiæ autem nullo pacto, nec ſunt in corpore, nec operantur in corpore, non ſunt in corpore, quia eſſent virtutes finitæ, ſi eſſent in corpore, cum omne corpus ſit finitum, vt Ariſto. arguit *8. Phyſic.* nec operantur in corpore, quia intelligentiæ nõ mouent; vt efficiens; ſed; vt finis, tamquam intellectum, & volitum; vt idẽ *12. Metaph. tex. 36.* dicebat, ac propterea, motorem alium, coactus fuit ponere, in cœlo, qui virtutis eſſet finitæ, & in materia, & hic moueret; vt efficiens *2. de cælo text. 71.* vt fuſe ibi docet Simplicius, & alij expoſitores, necnon Auerroes, non ſolum dicto loco; ſed etiam *12. Metaphyſic. comment. 41.* & de ſubſtantia orbis, *cap. 3.* & alibi. Bene igitur poterat Ariſto. ex operatione ſempiterna arguere ſubſtantias ſempiternas, aut mobiles, aut omnino immobiles, quia nihil prohibet; vt horum ſit actio ſempiterna, mobile enim ſtatuitur corpus perpetuum, & mouens, actus purus. At vero, animo hoc non poteſt cõpetere, cum ſit actus, caduci, & corruptibilis corporis, quare non mirum ſi operationes, quas exercet in corpore, ſint corruptibiles. Sufficit autem ad eius immortalitatem; vt aliquam ſine corpore poſſit habere operationem, quæ eſt intelligere, & hæc ipſi, à corpore ſeparato, competat, quod etiam Ariſtotelem cognouiſſe, ſupra fuſius demonſtrauimus. Rurſus vero, quod Portius inquit, ſola prima principia fuiſſe ab Ariſto. æterna poſita, intellectum vero non potuiſſe inter prima principia connumerari. Hoc falſum eſt, ex Ariſt. ſententia, nam ſi Ariſto. ſtatuit intellectum non educi ex potentia materiæ; ſed extrinſecus aduenire, vt *2. de generat animal.* dixerat, ſtatuit pariter ipſum inter prima principia; vt etiam Plato ipſius præceptor cenſuit, in Phædro, quare, numerabitur inter primas formas, quarum conſiderationem *1. Phyſic. part. vlt.* dixerat ad Metaphyſicum pertinere; dicuntur autem

Digitized by Google

formæ quæ abſtractæ ſunt à materia, iure merito prima principia, quia, cum ſint cauſæ, minime per generationem productæ, non fiunt ex alijs, qualis etiam eſt humanus intellectus. Ad aliud vero argumentum, quo dicebatur, ex auctoritate Ariſto. *8. Phyſic. tex. 52.* quicquid mouetur per accidens à ſe ipſo, eſt corruptibile; ſed animus humanus ſiue intellectus, eſt huiuſmodi, quia, mouetur ad motum corporis, quod ipſe mouet: Ergo. Reſpondetur cum. S. Thoma, in expoſitione illius loci. Illa dici ab Ariſt. moueri per accidens à ſe ipſis, quæ in ſuo eſſe, pendent, à materia, & corpore, quod mouent, quia talia mutantur in ſuo eſſe, ad motum corporis, hæc autem, neceſſario corruptibili aſſunt. At vero humanus animus, ſiue humanus intellectus, non pendet, in ſuo eſſe, à corpore; vt ſupra probatum eſt ex Ariſto. qui *ipſum* dixit immixtum corpori. Ergo humanus intellectus non mouetur, ſecundum accidens à ſe, vt competit corruptibilibus. Ad cætera vero argumenta, quæ ipſe potiſsimum contra Auerroem torquet, qui intellectum humanum, vnam quamdam intelligentiam eſſe dicebat. Reſpondemus, valere quidem contra Auerroem, non autem contra noſtram ſententiam, quæ ſtatuit, etiam ex Ariſtotele, intellectum non eſſe quamdam intelligentiam, nobis tantum aſsiſtentem; ſed eſſe formam informantem, & principium intrinſecum, quod dat eſſe homini, vt fuſe antea, probatum eſt. Concludunt igitur contra Auerroem, quæ ſunt allata, nam ſi intellectus eſt vna ex intelligentijs, eſt actus purus, & ita non indiget intellectu agente, cum tantum habeat luminis; vt ſuopte ingenio, intelligere poſſit, ac primo intelliget ſe, & cæteras mentes deinceps vero res materiales, pariter eſſet ſciens, & ignorans, & non eſſet potentia, nec vt tabula agrapha, & alia ſequerentur abſurda, quæ nos ante, contra Auerrois ſententiam attulimus. At vero ſi ſtatuamus hunc intellectum, eſſe formam informantem, quamuis ipſum dicamus ſeparabilem à materia, tamen quia dicimus eſſe in materia, & corpore, & eſſe partem animæ, quæ eſt actus corporis, ac proinde, principium intrinſecum corporis, quo ſaltem obiectiue, in propria operatione indiget. Dicemus etiam nequaquam eſſe actum purum, vt iunt intelligentiæ; ſed eſſe ſua natura, potentia, & tamquam agrapham tabellam, intellectus agentis lumine indigentem, & perfectibilem à phantaſmatibus, dum tamen, eſt in corpore, & facultas animæ eſt, quem admodum, primo capite, huius libri, luculenter monſtrauimus. Conſtituta autem, hac veritate, ſoluuntur reliqua argumenta, propterea enim intellectus nobis non ineſt ab initio ortus, perfectus, vt Ariſtot. *30. part.* problematum dixe-

Digitized by Google

dixerat, quia mediam naturam obtinet, inter ſubſtantias omnino ſeparatas, & formas inſeparabiles, cum ipſe ſeparabilis exiſtens, in materia ſit, & operetur, in materia autem exiſtens, nequaquam ab initio perfectus eſt; ſed perfectibilis vſu, quippe qui, ſenſibus indiget, & phantaſia, quæ cum corpore roborantur, atque perficiuntur, ac propterea neceſſe habet, vniuerſalia, quæ ipſe ſuo opificio à materia, & à conditionibus materiæ ſeparauit, cum phantaſmatibus, & in ſingularibus intelligere, quare hoc, minime eius inſeparabilitatem, quemadmodum, neque intelligere vniuerſalia, eſſe eiuſdem ſeparatum, arguit; ſed eſſe mixtum, ſcilicet ſeparabile, in materia tamen; intelligere enim vniuerſalia, arguit ſeparabilitatem, & immixtionem, intelligere vero ipſa in ſingularibus, arguit eſſe in materia. Quamuis vero, etiam phantaſia, in brutis, percipiat intentiones rerum, tamen, quia ipſas non percipit, niſi ſingulariter, & hic, & nunc, non adæquat cognitionem intellectiuam, quæ eſt vniuerſalium, ac propterea extimatiua, quæ eſt gradus phantaſiæ non poteſt dici immortalis. Hanc eandem ob cauſam dicendum eſt, operationem noſtri intellectus, non eſſe continuatam; vt eſt intelligentiarum; ſed interruptam, neque ſui ipſius intellectionem eſſe per eſſentiam propriam; ſed mediantibus ſpeciebus, quas acquiſiuit, vt Ariſtot. *3. de anima tex. 8.* dixerat, quæ tamen omnia, ſecus competunt intellectui à corpore iam ſeparato, & cum Phyſicæ conſiderationis limites tranſgrediantur, in noſtram diſputationem non veniunt. Et hæc ſatis, pro noſtris viribus, ad argumenta, quæ ex primo fonte hauriuntut contra immortalitatem, dicta ſint. Ijs vero quæ, & Lucretius, & Plinius ad ea confirmanda, quæ confutauimus, attulerunt, ſpeciatim ſuo loco, Deo iuuante, etiã reſpõdebimus.

Afferuntur alia aduerſariorum, pro mortalitate argumenta, ex ſecundo fonte, ſiue animi eſſentia, & habitudine ad corpus deprompta. Caput VI.

ANIMAE eſſentiam & naturam, inueſtigans Ariſtoteles ſecundo libro; ipſam primo, in genere ſupponit eſſe ſubſtantiæ. Facta autem cathegoriæ diuiſione, in materiam, quæ eſt potentia, in formam, quæ eſt actus, & in compoſitum, ex vtraque, quod eſt hoc aliquid; animam eſſe ſubſtantiam, vt formam, non autem vt materiam, & compoſitum; pronunciauit; ineſt enim animato, anima, at materia, & corpus,

pus, nulli insunt; sed ipta potius, subiectum sunt. Materia igitur, aut corpus non est anima, sed forma; forma autem est actus, & actus duplex, alius vt scientia, & principium operandi, alius vero, vt speculari, & operatio; vtrumque ex his, dicitur actus, & perfectio. Rursus vero, quia actus alicuius est actus; anima certi alicuius corporis, erit actus, non vt speculari: nam etiam dormientibus, & feriatis, inest anima; sed vt scientia, prior autem cum sit scientia speculatione, anima erit actus primus corporis, non cuiuscumque; sed naturalis, potentia vitam habentis, hoc est, organis præditi, vt animæ operationes, & officia sit idoneum exercere. Vt vero propriam, & accommodatam, huius actus qualis est anima, naturam, & essentiam, Aristoteles significaret, ne in æquiuoco laboraret: nouo adinuento vocabulo, *ipsum ἐντελεχείαν* appellauit, quod nequaquam actus nomine, sufficienter exprimitur; sed vel interpretandum est, perfecti habia, vt Hermolaus Barbarus vertit, apud Themistium, quasi *ἐντελεῖαν ἔχειν*; vnum perfectum continens, vel vt Philoponus *2. de anima comment. 1.* ab *ἐν* quod est vnum, & *τέλειον* quod est perfectum, & *συνέχειν* quod est continere.

Quocumque autem modo accipiatur, id certum est, ea de causa fuisse ab Aristotele vsurpatum, vt actus naturam significaret, adeo intrinseci, & coniuncti, vt inseparabilis sit, ab eo, cuius est actus, quod expressit, inquiens, si securis esset animal, aciem qua securis est, & potest scindere, fore ipsius animam, & si oculus esset animal; visionem, hoc est, videndi potentiam, pariter fore, eiusdem animam, hæc autem, à prædictis inseparabilia sunt, nisi æquiuoce dicantur talia, ergo & anima, inseparabilis actus est, ab eo cuius est anima, consequentiam Aristot. *probat text. 9.* nam sicut se habet pars animæ, ad partem corporis, ita se habet tota anima, ad totum corpus; sed pars animæ, verbi gratia, facultas visiua, inseparabilis est, à parte, cuius est actus, scilicet ab oculo: ergo tota anima inseparabilis est, à toto corpore, cuius est anima. Ex hoc Aristot. discursu, & definitione tradita, quæ competit omni animæ, multa desumuntur argumenta, & ea quidem, satis difficilia, ad ostendendam, ex Aristotelis sententia, animi nostri mortalitatem. Et primo, omnis entelechia, inseparabilis est, ab eo, cuius est entelechia; sed omnis anima est entelechia. Ergo omnis anima, inseparabilis est, ab eo, cuius est entelechia. Est autem omnis anima, entelechia corporis. Ergo omnis anima, inseparabilis est, à corpore. Maiorem huius argumenti, toto prahabito discursu, Aristoteles iam probauit, tum quia, omnis entelechia, est pars compositi, vt forma,

for-

forma autem inſeparabilis eſt, ab eo cuius eſt forma, tum quia, vt nomen Entelechiæ, ſignificat, tale huiuſmodi, eſt finis, & terminus, continens vnum perfectum, hoc autem, neceſſario eſt inſeparabile, nam ea ex quibus fit vnum per ſe, nõ poſſunt ſeorſum exiſtere, alias ex ipſis, non fieret vnum per ſe; ſed vnum per accidens, tum quia, Entelechia partium, viuentis, & animati corporis eſt inſeparabilis. Ergo entelechia totius corporis, pariter erit inſeparabilis, & ſic, omnis Entelechia. Minorem vero, in definitione aſſumpſit, vniuerſaliter enim, definiens, omnem animam Entelechiam appellauit. Hoc argumentum, tanti fuit ponderis, & momenti; vt non ſolum Alexander, *1. de anima cap. 4.* ex ipſo, omnem animam, eſſe inſeparabilem, & mortalẽ, deduxerit; ſed etiam Iuſtinus, Philoſophus & Martyr, Oratione parenetica ad gentes, & Gregorius Niſſenus. *lib. de anima, & reſurrectione*, nec non Æneas Gazeus *lib. de immortalitate animæ*, exiſtimarint cenſuiſſe Ariſtotelem, omnem animam eſſe mortalem. *Plato*, inquit Iuſtinus, *Omnem animam clamat eſſe immortalem. Ariſtoteles, Entelechiam, eam nominãs, non immortalem cenſet; ſed mortalem.* Ex hoc pariter, deducit Alexander, citato loco, omnem animam eſſe per ſe immobilem, ac proinde, inſeparabilem, & ſimul corruptibilem cum corpore cuius eſt anima, ſi enim, incorruptibilis eſſet aliqua anima, à corpore, quod corrumpitur, ipſam abiungi, neceſſe eſſet, hoc autem, ſine motu, ne concipi quidem poteſt. Quare, ſi anima eſt Entelechia, & terminus eius cuius eſt anima, profecto, immobilis eſt, quod enim aptum moueri eſt, habens Entelechiam eſt, non autem Entelechia.

Præterea, ſi anima eſt Entelechia, & forma corporis, ergo incipit eſſe, cum corpore, cuius eſt anima, hæc enim eſt lex, & natura ipſius formæ; vt ſimul ſit, cum eo, cuius eſt forma, neque præcedat tempore, id cuius eſt forma, quemadmodum Ariſto *docuit 12. Metphyſ part. 16.* ſed omne, quod incipit eſſe, definit eſſe, ex Ariſtot. ſententia; vt idem fuſe monſtrauit, *1. de cælo*, diſputatione vltima. Ergo omnis anima eſt mortalis. Aut igitur dicendum eſt, omem animã, eſſe mortalem, aut, ſi aliqua erit anima, quæ ſit ſuperſtes, & immortalis, cuiuſmodi, eſſe intellectum, *ibidem tex. 17.* Ariſtot. ſignificauit, eadem non erit anima, neceſſe enim erit, ipſam tempore præcedere, id cuius eſt anima, veluti enim, quicquid incipit eſſe, definit eſſe, ita, quicquid non definit eſſe, neque incipit eſſe, vt Philoſophus ibidem docet. Totam igitur peripateticam Philoſophiam, corruere neceſſe eſt, aut ipſummet, ſibi ipſi, contradicere Ariſtotelem, ſi immortalem aliquam, & incorruptibilem animam, ex ipſius ſententia ſtatuemus.

Amplius

Digitized by

Amplius. Omnis forma, cuius operatio, sine corpore esse non potest, à corpore inseparabilis est; vt Arist. *2. de generat. animal. cap. 3.* dicebat; sed nullius animæ operatio, sine corpore esse potest. ergo nulla anima, à corpore est separabilis. Probatur minor, quia nulla anima potest exercere, actum, & operationem propriam, informandi, nisi cum corpore, & incorpore, cuius est anima, huius autem rei, euidens est argumentum, quia & si aliqua possit esse eius particula, quæ corporeo non vtatur organo, vt intellectus, tamen impossibile est, totam animam, toto corpore, non vti, vt organo, quin immo, & intellectus, quamuis immediate, corporeo nequaquam vtatur organo particulari, tamen mediate, etiam ipse, necessaria quadam consequutione pendet ab organo vniuersali, nempe à corpore, si enim tota anima, necessario pendet à toto corpore, quia est actus corporis, intellectus autem, ab anima, quia est particula animæ, ergo intellectus, necessario pendet à corpore, & propterea, neque eius operatio omnino absoluitur à corpore; sed necesse est, cum speculatur, vna cum phantasmate, speculari. Vlterius. Omnis actus debet esse proportionatus, potentiæ cuius est actus, actus enim est perfectio, potentia vero, est quid perfectibile; sed potentia cuiuslibet corporis animati, perfectibilis à qualibet anima, est mortalis, siue corruptibilis, cum sit potentia ad esse, siue materialis. Ergo quælibet anima, cum sit actus perfectiuus talis potentiæ est mortalis. Ad hæc. Quod alicui est intrinsecum, & de ratione essentiali ipsius, est inseparabile ab ipso; sed esse actum corporis, est intrinsecum animæ, & de ratione essentiali ipsius. Ergo esse in corpore, est inseparabile, ab anima; Ad hoc, aliquis dicere posset, explicando maiorem, actu, vel aptitudine, & tunc, ad minorem. Animæ est intrinsecum, & essentiale, esse actum corporis, & ex consequenti, est inseparabile ipsi, esse in corpore, actu; vel aptitudine. Nihil ergo repugnat, animam, separatam manere à corpore, habentem tamen aptitudinem, ad corpus, cuius est anima. Sed contra: Aut hæc aptitudo, aliquando reducetur ad actum, aut nunquam. Si aliquando, ergo resurrectio mortuorum, naturaliter erit possibilis; si nunquam, ergo talis aptitudo, æterno tempore erit ociosa, & frustratoria, quod dicere, est absurdum. Quamplura etiam absurda, ex his, deduxit Petrus Pomponatius *1. libro Apologiæ cap. 5.* tum quia ordo naturæ non seruaretur, exiguo enim tempore, & quasi in momento, anima esset vnita corpori, tota autem æternitate, & infinito tempore, ab eodem esset separata. Finiti autem, ad infinitum, nulla est proportio. Tum etiam, quia infinito tempore, homo sua felicitate careret,

infi-

Digitized by Google

infinito namque tempore. Anima ſola maneret, quæ eſt altera tantum pars compoſiti, beatitudo autem, vnius tantum partis, non eſt felicitas, cum ſit imperfecta. Et præter hæc; ſi contrariorum, eadem eſt diſciplina, cum vnio animæ, & corporis, ſit naturalis, ergo eiuſdem ſeparatio à corpore, erit præter naturam, & violenta; ſed nullum violentum eſt perpetuum, ex Ariſtot. *1. de cælo*. Ergo, anima non erit perpetuo tempore, à corpore ſeparata, & ita naturali tantum ordine, aliquando erit hominum reſurrectio, quod eſt falſum, cum reſurrectio, futura ſit, ab omni potentia Dei; & ipſam credere, ſit articulus Fidei, non autem ex lumine naturali. Vlterius, anima humana, aut habet idem eſſe dum eſt ſeparata à corpore, cum eo quod habebat exiſtens in corpore, aut diuerſum, ſi idem: ergo habebit eaſdem potentias, dum eſt ſeparata, quas habebat dum eſſet coniuncta corpori. probatur ſequela, quia potentiæ cum ſint accidentia, ſequuntur ſubſtantiam; quare, ſi eſt eadem forma, & habet idem eſſe, habebit ſaltem, eaſdem potentias. Ergo habebit potentiam, informandi corpus, vegetandi, & ſentiendi, vt habebat antea, coniuncta exiſtens corpori; ſed huiuſmodi potentiæ, non poſſunt eſſe ſine corpore, quia ſunt organicæ. Ergo, neque anima tota, poteſt eſſe ſine corpore, nec valet reſponſio, ſi dicatur, ex Ariſtotelis ſententia, animam ſenſitiuam, & vegetalem, eſſe alterius ſubſtantiæ, ab intellectiua, nam, etiam hoc ſuppoſito, anima intellectiua, dum eſt in corpore, ſimul eſt cum ſenſitiua, & vegetatiua; quare, ſi habet idem eſſe, habet etiam, eamdem eſſentiam, in ijs enim, quæ ſunt abſtracta à materia, idem eſt, eſſe, & eſſentia, iuxta Ariſtot. doctrinam, & ita habebit eaſdem potentias. Aut habet diuerſum eſſe, & tunc habebit diuerſam eſſentiam. Ergo, non erit eadem anima, coniuncta, & ſeparata; vel etiam conceſſo; quod ſit eadem anima, quæ habeat duplex eſſe, vnum; dum eſt in corpore, & alterum dum eſt extra corpus, quod tamen, fieri non poteſt, cum forma, nullum aliud habeat eſſe, quam in materia, tunc, aut vnum eſſe, erit ipſi naturale, & alterum præter naturam, aut ambo præter naturam, aut ambo ſecundum naturam, non eſt dicendum; ambo eſſe ſecundum naturam, quia eſſe in corpore, & non eſſe in corpore, ſunt inuicem contradictoria, ac propterea, neque poſſunt eſſe ambo præter naturam. Ergo, vnum erit illi ſecundum naturam, & alterum præter, non eſt dicendum, eſſe in corpore, animæ competere, præter naturam, quia anima eſt forma, & formæ, maxime ſecundum naturam competit eſſe in materia. Ergo dicendum eſt, eſſe in corpore, animæ competere, ſecundum naturam, & eſſe extra corpus, illi com-

li competere, præter naturam. At hoc, est impossibile, quia nullum præter naturam est perpetuum Ergo, anima humana, non habet duplex esse, vnum, quo est in corpore, & alterum, quo sit extra corpus; sed vnum tantum, scilicet, quo est in corpore.

Deinceps. Anima est multiplicata ad numerum singulorum hominum. Ergo est forma materialis, & corruptibilis. Probatur sequela, quia ea quæ sunt vnum specie, & multa numero, vt sunt animæ, sunt materialia, cũ omnis diuisio numerica, sit passio continui, & in materia, vt fuse antea probatum fuit in disputatione, de vnitate intellectus. Hoc autem argumento perculsus Auerroes, pulcherrimum illud vnitatis figmentum excogitauit, quod hucusque, maiorem peripateticorum partem dementauit. His omnibus argumentis alia cõnecti possit, quæ affert Aphrodiseus, ex eodem fonte, *lib. 1. de anima cap. 3.* si anima rationalis, non est Entelechia, & forma inseparabilis, totum corpus informans, vt actus, & altera pars compositi, tunc erit forma assistens, & tantum operationem tribuens, vt gubernator; sed consequens est falsum, & habet multa absurda, ergo, & antecedens. Probatur sequela maior, quia forma separabilis, non habet esse ab eo, cuius est forma, ergo ex se est hoc aliquid, ergo non dat esse, simpliciter, quia esse simpliciter, est ex actu, & potentia, non autem, ex eo, quod est actu. Sequela autem minor, habet multa absurda. Primo, quia talis anima non esset in toto corpore; sed in quadam certa, & determinata corporis parte, vt enim motor, & qui regit, non oportet, vt sit in toto eo, quod mouet, aut regit; ita & anima si assisteret tantum. Præterea haberet aliquod sibi proprium, & coniunctum corpus, seorsum à toto corpore, quod moueret, & regeret, neque enim potest esse gubernator absque corpore, quare, & Plato, qui animam humanam separabilem, & formam assistentem statuit, ipsi proprium corpus, tamquam vehiculum assignauit, in phædro. Tertio, neque corpus ab ipsa mouebitur per se; sed violenter, si enim cum corpore non facit vnum per se. Ergo, neque ipsi erit principium per se operationis. Quarto, poterit ad libitum corpori aduenire, & illud animatum reddere, & ab eodem recedere, & ita in animum, vt de Hermotino Clazomenio tradidit Plinius *lib 7. cap. 52.* quẽadmodũ alias diximus: Quinimmo. Si anima est separabilis, aut habet proprium corpus, tamquam vehiculum, ex quo, & forma, componitur, ratione cuius, moueri secundum locum, & accedere, ac recedere dicatur, & tunc, non totum hoc aggregatum erit anima; sed ratio tantum, & forma, quæ necessario erit inseparabilis; vel dabitur progressus in infinitum. Aut

nullum

Digitized by Google

nullum aliud habet corpus, nisi animatum, quod informat; vt dicunt peripatetici, qui propterea statuunt animam sui natura esse substantiã incorpoream, quamuis sit actus corporis, & tunc, quis nam erit eius ingressus in corpus? aut qui, ab eodem, migrationis modus? Sexto. Si anima est separabilis, & seorsum à corpore esse potest, quænam poterit assignari causa propter quam vniatur corpori? non enim propter bonum animæ, cum talis anima, sit intellectiua, intellectus autem in actione intelligendi, non indigeat corpore, vt *1. de generat. animal. cap. 3.* Aristot. dixit, quinimmo intellectui melius sit, esse sine corpore, quam cum corpore, vt idem *1. de anima partic. 49.* pariter dixit. Neque propter bonum corporis, cum non det esse corpori, & ab eo sit separabilis. Hanc vero causam, nequaquam reddere valens Plato, coactus fuit confugere ad allegorias, quare in phædro, animas, ob confractionem alarum, nequaquam valentes cœli conuexa ascendere, & verum intueri, in terram deuolui, & corpora subire asseruit; poetico potius commento, quam Philosophica ratione persuasus. & quamuis Origenes *2. periarcon cap. 8.* conatus fuerit, hanc Platonis Allegoriam interpretari, quasi alæ, duas animi potentias significent, intellectũ, & voluntatem, quibus in Deum fertur, intelligendo, & amando, confractio vero alarum, diminutionem amoris, & refrigerationem charitatis erga Deum, ex quo, dicta fuerit anima ψυχή, quasi frigida, vel frigefacta, atque ob huiuscemodi peccatum, eo quod refrixerit à charitate Dei, putet fuisse in corpus detrusam, vt Plato dicebat, veluti in quendam carcerem: tamen hæc sententia, absolute falsa est, & iure merito in quinta generali Synodo damnata: si ergo nulla potest assignari causa, propter quam anima existens absque corpore, debeat vniri, corpori, dicendum est (inquit Alexander) animã non esse separabilem à corpore, neque illi, vt rectorem, aut gubernatorem inesse. Hæc sunt omnia argumenta, quæ ex secundo fonte, aut loco; initio disputationis proposito, afferuntur, aut, meo iudicio, afferri possunt. quorum, etsi nonulla, coincidant, itaut ad pauciora reduci potuerint, volui tamen, omnia sigillatim recensere, ne quis putet, me studio contrariæ sententiæ, ipsa reticuisse.

Solui.

Soluitur primum, ex propositis argumentis. Caput VII.

SEMPER equidem sum admiratus, & vehementer, quare nam, viri Doctissimi, quos initio præcedentis capitis recensuimus, priori argumento, adeo facile, manus dederint, vt sola Entelechiæ nuncupatione, atque Etimologia, Aristotelem, censuisse omnem animam inseparabilem, & mortalem, Fuerint persuasi. Dum enim Entelechiæ nomen nequaquam vniuocum; sed æquiuocum ab Aristotele statuitur, non vna sed multiplici, ac protinus dissimili ratione, de varijs animæ generibus prædicabitur. Cognouerat Aristot. iam in vestibulo sui operis, obscurum ac dubium satis esse, vtrum vna an multiplex sit animæ essentia, & natura, ac propterea, animaduertendum cauit, an vna, & communis, omnium animarum, vel potius multiplex, & secundum vnumquodque animatum, peculiaris, sit assignanda animæ definitio: Hæc sunt ipsius verba *1. de anima part. 7 & 8. Considerandum autem, &, si partibilis sit, an impartibilis, & vtrum sit similis speciei, omnis anima, an non. Si autem, non similis speciei, vtrum specie differant, an genere, nunc enim dicentes, & quærentes de anima, de humana solum, videntur intendere. Considerandum autem est, vt non lateat, vtrum vna notio ipsius est, sicut animalis, an secundum vnumquodque, altera, vt equi, canis, hominis, Dei.* Hac ratione per motus, postquam communissimam animæ definitionem assignauit *2. de anima cap. 1. dicens. anima est Entelechia prima, corporis naturalis, potentia vitam habentis.* Videns assumptum genus Entelechiæ, esse satis amplum, nec posse, vnica ratione, omnibus animæ partibus competere, datam definitionem corrigens, illam ad propriam Entelechiæ significationem coarctat, & inquit. *Quod igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis nata est, non immanifestum est, quarumdam enim actus, partium est, ipsarum. At vero, quasdam nihil prohibet, propterea quod, nullius corporis, sunt actus.* Quibus in verbis, manifestissimum est; ipsum, nomine Entelechiæ, pressius sumpto, vt significat, actum inseparabilem, non omnem animam intellexisse; sed illas tantum, quæ corpori, & materiæ essent mixtæ; cum enim ex vi, & significatione vocabuli,

Digitized by Google

eabuli, quo animæ genus designauerat, deduxisset animam esse inseparabilem, ne quis putaret, hoc simpliciter deductum, de omni anima, id tantum, de quibusdam eius partibus, verum esse determinauit, si anima, non eiusdem rationis existens, in diuersas partiri, nata est, quod nondum, notum fecerat, hoc enim, tertio de anima, postmodum demonstrauit, ostendens, intellectum, non esse corpori commixtum, ac propterea, aliud esse animæ genus, & à reliquis, quæ corpori, ac materiæ sunt commixtæ distinctum, & separatum. Rationẽ autem subiunxit, dicens: quod quasdam animæ partes, nihil prohibet separari, eo quod, nullius corporis sunt Entelechia, ea scilicet ratione, qua Entelechia formam significat inseparabilem, duobus igitur modis, sumere licet, apud Aristotelem Entelechiã, vno quidem, presse, & rigorosa vocabuli significatione, & hoc pacto, non omni animæ; sed quibusdam tantum ipsius partibus, eam competere, Aristoteles dixit: altero autem, latius, & minus proprie, & tali pacto, omnem animam appellari conuenit Entelechiam. Quod autem, ampliori denominatione, liceat etiam Entelechiam accipere, pro actu separabili, constat ex Aristotele, hoc eodem loco; volens enim confirmare, quod dixerat, non de qualibet anima verum esse, quod sit inseparabilis; sed tantum de aliquibus ipsius partibus, si partibilis, sua natura est. Subdit. *Amplius autem immanifestum, si sit corporis Entelechia anima, sicut nauta nauis.* *Græca autem verba, sunt hæc:* ἔτι δὲ ἄδηλον, εἰ οὕτως, ἐντελέχεια τοῦ σώματος, ἡ ψυχὴ, ὥσπερ πλωτὴρ πλοίου. Quibus verbis, actum, proculdubio, separabilem, vtputa, assistentem tantum, vt est nauta nauis, Entelechiam appellare, non dubitauit. Quinimmo, quod maius est, non solum, aliquam animam separabilem scilicet, Entelechiam Aristoteles dixit; verum etiam, primam intelligentiam, seu primam formam, ab omni prorsus materia abstractam, tali nomine nuncupauit *12. Metaphys. partic. 49.* Talia sunt eius verba, τὸ δὲ εἶναι, ἃ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον, ἐντελέχεια γάρ. Hoc est. *Ipsum autem quod quid erat esse primum, non habet materiam, est enim Entelechia.* Aut igitur dicendum est, non omnem animam esse Entelechiam, si Entelechia inseparabilem actum significat, vt Aristoteles expresse docuit; aut si omnem animam Entelechiam nominare malimus, nullum esse absurdum; aliquam animam separabilem, scilicet, Entelechiam esse, concedendum erit. Ex his autem manifeste patet, argumentum, quo persuasi, Iustinus Philosophus, & Martyr; necnon Gregorius Nissenus, & Æneas Gazeus dixerunt; statuisse Aristotelem, omnem animam mortalem, falsam habere propositionem assumptam, quam dicunt

antecedentem, aut ex illa deductam, ſeu conſequentem: Aut enim, falſa eſt hæc propoſitio: Ariſtoteles dixit omnem animam Entelechiã, aut hæc altera. Ergo dixit omnem animam eſſe mortalem, quod optime intellexit Theodoretus *lib. 5.* de curandis Græcorum affectionibus, qui cum dixiſſet, non ſatis longe ab initio libri; Democritum, Epicurũ, & Ariſtotelem, animam corruptibilem, impudenter aſſeruiſſe, paulo infra, ſuam ſententiam correxit, aut explicauit, inquiens, Pytagorã, ac Platonem, intellectum eſſe diuinam partem affirmaſſe, & cum his Ariſtotelem Nicomachi filium ſenſiſſe, tametſi corruptibilem animam eſſe dixerit; Aliud enim eſſe intellectum ab ipſa anima, opinatus fuit. Corruit igitur, tota vis eius argumenti, quod ex nomine Entelechiæ ab aduerſarijs deſumptum fuit, corruunt etiam exempla, quæ pro ipſius confirmatione ab Ariſtotele acceperunt. Viſiuæ, ſcilicet facultatis, quæ anima diceretur, ſi oculus eſſet animal, & aciei, reſpectu ſecuris, quæ proculdubio, inſeparabiles ſunt actus, ſuorum inſtrumentorum, talia enim quibuſdam tantum animæ partibus aſſimilari: infra Ariſtoteles idem docuit, non autem omnibus. Verum, quia vis argumenti, non ſolum in Etimologia nominis; ſed etiam, in rei naturæ, maxime conſiſtit, propterea, etiam ex hoc capite, ipſius examen aggrediemur, & quamuis fuſius, hac de re ſuperiore libro ſermonem habuerim, vbi diſputatio propoſita fuit. Vtrum actus aliquis ſeparabilis poſſit eſſe forma, dans eſſe, & vt dicunt informans, tamen, & nunc, quantum ad ſolutionem huius argumenti pertinet, iterum diſſeremus. Eam eſſe naturam formæ, vt ſit altera pars compoſiti, nec poſſe abſque materia, aliquod eſſe habere, vel ſubſiſtere, adeo conſtans fuit apud omnes Phyſiologos ſententia, vt antiquiores ex ipſis, neque vllam formæ mentionem habuerint, & ſolam materiam, naturæ nomine dignati fuerint. Ariſtoteles vero, Socratem, & Platonem tamquam abſurda, & impoſſibilia ſtatuentes damnat, dum formas materialium rerum, & quiditates, ab ipſis rebus ſeparatas, atque exiſtentes, dicunt, talem formarum conſiderationem, prorſus alienam à Phyſico, & naturali contemplandi genere clamitans, cum formas, & quidditates Phyſicas, adeo materiæ immerſas cenſuerit, vt neque re, neque conſideratione ab eadem ſeparari, vllo vnquam tempore poſſint.

Hinc vulgatum, apud peripateticos eſt, formas non induci; ſed educi, neque ſeparari, aut abſcedere; ſed veluti ſimul cum compoſito fiunt, ita cum eodem pariter interire, ac formam præſtare quidem materiæ, vt ſit actu, habere autem à materia, vt exiſtat. Ex his autem

omni-

Digitized by Google

omnibus, liquido conſtat, non poſſe ex principijs Ariſtotelis, dari aliquam formam, quæ materiam concernat, & ſit ab ipſa ſeparabilis, ſimul enim eſſet actus, & actu, atque ita, ex ipſa, & materia non fieret vnum per ſe. Præterea etiam, talis forma ſeparabilis, dum eſt in corpore, aut vnietur ipſi, mediante quantitate, aut non, ſi primum, erit extenſa, & diuiſibilis, & ita erit corruptibilis, ſi alterum, tunc nõ informabit totum corpus. probatur ſequela, quia non erit adæquata corpori, diuiſibile enim, & indiuiſibile, non commenſurantur, quare forma carnis, non poteſt eſſe, neque concipi niſi cum materia carnis, cum ſit ratio, & quod quid eſſe carnis. Aut igitur dicendum eſt, animam humanam, non eſſe formam, & quiditatem, corporis naturalis, generabilis, & corruptibilis, quod falſum eſt, aut, ipſam eſſe cum corpore, cuius eſt forma, generabilem, & corruptibilem, eſt concedendum; his omnibus facile reſpondebimus. ſi ſupponamus; competere quidem omni formæ, quæ vere, & proprie ſit forma, dare eſſe ſubſtantiale compoſito, ſed non tamen æquo modo, ac pari ratione, hoc omnibus competere, quamuis, etenim eſſe ſubſtantiale, vt ſubſtantiale eſt, non ſuſcipiat magis, ac minus, tamen perfectius, aut imperfectius inuenitur, & hoc, multam habet latitudinem, vnde aliquæ ex formis sũt perfectiores, aliquæ imperfectiores, aliquæ imperfectiſſimæ, imperfectiſſimæ ſunt, quæ materiæ tantum dant eſſe actu, & terminos dimentionum, quales ſunt formæ elementorum, quibus minus imperfectæ ſunt, formæ mixtorum, ita tamen, vt ambarum genus, nõ ſolum in materia ſit, & ex materiæ potentia eductum, verum etiam materiæ ita immerſum, vt ipſius conditiones, & extenſionem ſequantur, & has ſolo naturæ nomine ſignificari Ariſtoteles voluit 2. *Phyſicorum partic. 12.* tamquam formas, & ſpecies minime ſeparabiles exiſtentes, niſi ſecundum rationem, his autem, omnino perfectiores ſunt animæ, quarum quilibet gradus, etiam imperfectiſſimus, ſupra materiæ conditiones, quodam pacto ſe eleuat, & ipſius imperfectionem, quadantenus traſcendit, ac propterea, ſupponit quælibet anima, ſubiectum præditum non ſolum formis elementorum, ſed etiam forma mixitonis, tamquam præuijs diſpoſitionibus affectum, ex quo dicitur actus corporis phyſici organici, hoc eſt, potentia vitam habentis, quod autem quælibet anima ſupra materiæ vires aliquo pacto erigitur, patet ex vegetali, quæ cum ſit omniũ infima, materiæ tamen limitibus non eſt ita concluſa, vel annexa, vt ſuper additam informare non poſſit, qua propter Ariſtoteles *1. de ortu, & interitu part. 41.* ipſam nutritiuam, tamquam immaterialem poten-

Digitized by Google

tiam, in materia existentem, dixit, Eleuari autem vegetalem animã supra materiam, ex quatuor potissimum colligit Albertus Magnus, egregie, vt solet libro de natura, & origine animæ *cap. 3.* Primo, quia cum perficit materiam, non facit ipsam esse in actu tantum, vt formæ omnino materiales, & imperfectissimæ; sed confert ei viuere. Secundo, quod naturali, & substantiali potentia operatur multa, cum naturalis, & corporea forma non operetur, nisi vnum. Tertio, quia habet principium motus, ad omnes positiones loci. Quarto, quia ex vno principio influit, & communicat omnibus partibus operationem vitæ. Neque hoc aduersarij negare ausi sunt; sed fatentur. Petrus enim Pomponatius *lib. 1. apologiæ cap. 2. & de nutritione, & augmentatione, cap. 23.* quamuis probare nitatur, animam rationalem esse diuisibilem, tamen ex prædicta Aristotelis auctoritate, diserte concludit, omnem animam, etiam vegetalem esse quodammodo indiuisibilem, his verbis: *Immo vnaquaque anima est immaterialis, & materialis; diuisibilis, & indiuisibilis, vt patet per textum 41. primi de generatione; toties citatum: quanto magis ipse intellectus, qui vt diximus, supremum continet gradum,* & Zabarella *lib. de accretione, & nutritione cap. 15.* idem pariter testatus est, sic inquiens, postquam exposuit prædictum textum 41. primi de ortu, & interitu. *Non possum hic me continere, quin dicam, id quod mihi, cum locum considerarem, venit in mentem, quod non credo Aristotelem cogitasse, quamquam illud cogitare, maxime debuit, sumitur enim, ex eo loco, & ex Aristot. confessione, argumentum aliquod, vel saltem coniectura, de animæ humanæ immortalitate, quamuis enim de anima vegetante, quæ ignobilissima omnium animarum est, loquens ibi Aristoteles, fateatur eam esse, modo aliquo, immaterialem, & eleuatam, & liberam à nexu materiæ, quia potest saltem à partibus suæ materiæ separari, credendum est, animam sensibilem, multo eleuatiorem esse; sed maxime omnium, animam rationalem, & proinde ita esse liberam à nexu materiæ, vt possit etiam à tota sua materia separari, si alia partes animæ sunt à partibus saltem suæ materiæ separabiles, eo enim negato, non haberet anima rationalis maiorem eleuationem, quam anima vegetans, quod non videtur consentaneum esse rationi.* Sentiens autem anima, manifestius à materiæ concretione eleuatur, cum eius operatio sine materia fit, proprium enim est, vniuscuiusque sensus, recipere sensibile sine materia, vt dicebat Philosophus *2. de anima*, & imaginatiua, quæ est sentientis potentia, non solum sine materia, verum etiam sine præsentia obiecti sensibilis operetur, quamuis & ipsa sentiens in animalibus imperfectis, diuisibilis sit, & corporeo vtatur organo, quod

quod eam non penitus à materia absolui, arguit, & conuincit. At vero intelligens, cum his omnibus longe præstet, non solum enim abstrahit à materia, & obiecto sensibili, vt sensus, & imaginatiua, verum etiam à conditionibus materiæ, & à phantasmate, cumq; nullo corporeo vtatur organo, vt Aristoteles vbique clamitat, omnino, ac penitus à materia separabilis, atque immixta dicenda erit, vt nuper etiam Zabarella, quamuis aduersarius, confessus fuit, vt igitur, vnde discessimus, reuertamur, cum multiplex sit, formarum gradus, & perfectio, quamuis omnes, dent esse suis compositis substantiale, quamuis earum quælibet sit quiditas, & vsia, tamen non omnes æquo modo, materiam perficiunt, & corpori sunt mixtæ, aliquæ enim sunt, quæ tantum dant esse materiæ, vt sunt formæ elementorum, omnium imperfectissimæ, & tantum naturæ nomine, nuncupatæ, & his, maxime conueniunt omnia ea, quæ simpliciter, & absque discrimine, de omnibus formis ab aduersarijs vsurpantur, vt scilicet sint Entelechia, & terminus materiæ, vt sint penitus materiæ immersæ, neque ab ipsa separari possint, nisi ratione tantum. Aliquæ vero, maiorem sortitæ perfectionem, animarum nomine, sunt insignitæ, inter quas nobiliores aliæ, aliæ autem ignobiliores reperiuntur, prout varie, spiritus ille cœlestis, quem Aristoteles *2. de generatione animalium cap. 3.* diuinum corpus appellauit, ipsis fuerit impertitus, quousque ad animam illam deuentum fuerit, quæ cum operationem habeat, nihil cum actione corporis communicantem, sola extrinsecus aduenit, solaq; est diuina. Ex his autem semper perfectior, imperfectiorem continet potestate, in his, quæ eiusdem sunt generis, tamquam tetragonum trigonum, & sensitiuum, vegetatiuum, vt Arist. *docuit 2. de anima part. 31.* quare veluti anima, non dat materiæ esse tantum; sed esse viuens, ita perfectior anima dat perfectiorem vitam, & veluti nihil obstat, vegetatiuam, dare esse substantiale corpori, quamuis habeat esse corporis à forma mixtionis, quam dicunt corporeitatis formam, quæ est distincta ab anima, vt fuse probant Auerroes, & Scotus, & patet, quia remanet post animam. Ita nihil vetat, aliquem gradum animæ, præstare esse vitale alicui corpori, prædito formis alijs alterius generis, modo tamen illæ priores formæ obtineant vicem potentiæ, & materiæ respectu vltimi actus, quemadmodum existimauit Arist. de gradu intellectiuo, qui embrioni, extrinsecus aduenit, post animam vegetalem, & sensitiuam, eductas de gremio materiæ, vt *2. de generat. animalium cap. 3.* & nos fuse probauimus præcedente libro quæstione vltima. Atque ita præcise respondentes argumentis prædictis: dicimus,

quod fundamentum acceptum de esse, quod forma tribuit materiæ; vel de existentia, quam materia tribuit formæ, non est vniuocum; sed analogum, & vt prisco more loquamur, ab vno, & ad vnum, ab eo enim, quod forma tribuit esse substantiale composito, omnis forma dicitur altera pars compositi; sed non vniuoce, aliæ enim, secundum totum suum esse, ita pendent à materia, vt sint omnino materiales, & hæ sunt prorsus inseparabiles, aliæ quamuis pendeant à materia, tamen non dicuntur materiales, quia quodam pacto excedunt, & superant conditiones materiæ, & ab eius imperfectione emergunt, & tales sunt omnes animæ, vt nuper ostendimus. Aliæ vero, quamuis pendeãt à materia; secundum aliquam sui operationem, non propriam, tamen secundum esse, non pendent à materia, neque secundum propriam sui operationem, quales sunt animæ cœlorum ex Aristot. sententia, quæ cum sint immortales, proculdubio non pendent à materia; secundum esse, neque secundum operationem intelligendi, cum ad talem operationem, non requiratur actio corporalis, & tamen, quoad operationem mouendi, sunt animæ, & formæ cœli, vt *2. contra gentes cap. 70.* & alibi sæpius. S. Thomas docuit, egregius Philosophus, & Doctor vere Angelicus, cuius diuina monumenta, si frequentius, & attentius legerentur, tantam profecto, quantam patitur; Philosophia iacturam, non pateretur; sed de hoc fusius, opusculo proprio. Talis etiam est intellectus humanus, ex Aristotelis sententia, qui & si, quantum ad esse, non pendeat à materia, nec sit forma materialis, tamen quia est pars animæ, & dat esse vitale, nempe intellectiuum, quo etiam determinatur anima, & corpore indiget obiectiue, & etiam subiectiue, quantum pertinet ad facultatem mouendi, & impulsum intellectus practici, vere dicitur anima, & forma informans corpus, nõ autem assistens tantum, vt perperam Auerroes, & eius sectatores existimarunt. Itaque, etsi omnis anima, & etiam intellectiua, vere dicatur forma, tamen non omnis anima est inseparabilis, cum nihil prohibeat aliquas eius partes, esse separabiles, propterea quod, nullius corporis sunt Entelechia, vt Aristoteles dicebat, quod autem, hoc non sit nouum apud Aristotelem inuentum, iam ante sæpius, eiusdem auctoritate probauimus, tum *2. Physicorum, part. 26.* vbi earum neminit formarum, quæ cum sint in materia, tamen separabiles sunt, & quatenus in materia sunt, ad naturalem pertinent, quatenus vero separabiles ad Metaphysicum, tum etiam *6. Metaphysicorum partic. 2.* vbi de anima aliqua ad Physicum pertinere dixit, nempe, quæ est in materia, significans humanæ animæ naturam mediam, quæ sui quidem sub-

stan-

Digitized by Google

ſtantia eſt ſeparabilis, ſed quatenus forma eſt, materiam reſpicit; quod idem *1. de partibus cap. 1.* docuerat, vbi intellectiuam animam, naturam eſſe negauit, naturæ nomine ſignificans, formam, materiæ omnino immerſam, atque inſeparabilem, vt etiam *2. Phyſic. part. 12.* ab eodem fuiſſe dictum ſupra adnotauimus. Perperam igitur deducitur conſequentia, omnis anima eſt forma, quæ tribuit eſſe & vt, dicunt, informat. Ergo omnis anima eſt inſeparabilis, cum ex Ariſtotelis, & naturæ principijs detur aliqua forma tribuens eſſe, quæ tamen eſt ſeparabilis. Et hæc aduerſus primum argumentum, ſint ſatis dicta.

Soluuntur reliqua argumenta, ex eodem fonte. Caput VIII.

DEDVCVNT aduerſarij, ex eo, quod anima eſt forma, & Entelechia, ipſam eſſe immobilē, ac proinde inſeparabilem, & ſimul cum corpore incipere, & deſinere. Sed videamus, quantum valeat hæc conſequentia. Profecto, multa immobilia ſunt, quæ ſeparantur, & adſunt, & abſunt, non ſolum intentione, vt accidentia; ſed etiam re, talia ſunt, omnia incorporea, & vt ab eo quod maxime conſpicuum eſt; id doceamus, lumen à diaphano ſeparabile eſt, & adeſt diaphano, & abeodem abeſt, & non per motum, cum lumen qualitas ſit, neque moueri poſſit; ſed dicet aliquis, non omnino ſine motu, nam quamuis lumen ipſum, non moueatur, tamen, corpus lucidum, cuius præſentia producitur lumen in diaphano, mouetur; ſed hoc, parum refert, quia ad productionem luminis, non requiritur, vt corpus lucidum moueatur; ſed tantum, vt diaphano, fiat præſens, ſuppoſito enim, quod Sol, non moueatur, ſemper tamen producet lumen, veluti etiã interpoſito opaco, etiam nullo interueniente motu, ceſſabit lumen; adeſt igitur, & abeſt, lumen à diaphano, & non per motum; ſed per ſimplicem emanationem, vt dicunt. Vt vero hoc, in re noſtra, de qua eſt ſermo, magis proprie demonſtremus, nonne, intellectus agens, ex Alexandro, & aduerſariorum ſententia, nobis coniungitur, & à nobis ſeparatur? & hoc, non per motum? Audiamus hac de re Alexandrum, nobis modum, quo hoc fiat, declarantem *2. de anima*

à cap. 21. vsque ad 24. inclusiue, iuxta partitionem, & interpretationem fidelissimam, Angeli Caninij Anglarienſis. Tali pacto. *Cum vellet autem ostendere, intellectum, sempiternum esse, easq; dubitationes, quas in intellectum, qui extrinsecus est, adducunt, declinare, cum necessarium videretur, vt locum mutaret, nec tamen posſit, quandoquidem incorporeus est, aut in loco esse, aut migrare, aut alias, in alio loco versari, ex proprio ingenio, suaq; commentatione, hæc de intellectu, pronuncianit, esse videlicet, in omni corpore, quod humanum, ac mortale vocatur. Et sane aiebat, intellectum, in materia versari, ceu substantiam, in substantia, & actu semper, suas actiones perugere.* Et infra *cap. 24.* hæc habet, *Atque is noster intellectus, & secernitur, sane, quemadmodum etiam concernitur, neque enim, alio migrat; sed quoniam vbiq; est, manet in corpore, quod ex secretione, dissolutum est, corrupto, atque abolito organo. Velut artifex, amissis ferramentis, agit quid etiam tunc, non tamen materialem, atque organicum actum.* Instabit vero, contra hæc, aliquis, dicens, facile fuisse Alexandro, de intellectu agente hæc vsurpare, quandoquidem intellectus agens, apud ipsum est Deus, vt reliquo *eodem cap. 24.* docet, Deus autem, cum sit vbique, & impleat omnia, minime oportet, vt accedendo, vel recedendo, aliquid moliatur, secus autem est, de intellectu humano. Ad hæc, dicimus, quod & si, apud Alexandrum, aliquis intellectus agens, sit Deus, quemadmodum, citato capite, ipse loquitur, & nos fusius, primo cap. huius libri, ostendimus, tamen, nihil impedit, quin ab eodem intellectu agente, qui vbique est, & est Deus, producatur, & manet, alius intellectus, qui conueniens sibi sortitus corpus, & subiectum, humanus sit, & dicatur intellectus, minime per motum incipiens, aut per generationem; sed ab extrinseco, communicatus; tamquam vltima perfectio, humani corporis, qui pariter, corrupto corpore, in quo operabatur, tanquam in officina, nequaquam in nihilum abeat; sed in se ipso, maneat, neque amplius, in corpore; sed propriam exerceat operationem, intelligendi. Quæ omnia, ad verbum docuit Alexander ille Aphrodisseus, quem perpetam, immortalitatis hostem, hucusque, existimarunt. Hæc autem sunt eius verba *capitibus 22. 23. & 24.* contenta, iuxta prædicti Angeli versionem, cum antiquissimis Græcis codicibus, collatam. *Quoties itaque, ex corpore temperato ignis, genitus fuerit, aut aliquid eiusmodi, ex mixtione procreatum, vt & organum posſit huic intellectui suppeditare, qui est, in eiusmodi mixtione (quoniam est in omni corpore, corpus autem, etiam hoc est) id organum, intellectus potestas dicitur; apta scilicet quadam potestas, ad excipiendum intellectum, qui in actu est. Quoties igitur, consequutus fuerit, hoc organum, tunc, & tanquam per organum,*

ganum, & tanquam circa materiam, & tanquam per materiam, agit, & tunc, nos dicimur intelligere: noſter enim intellectus, compoſitus eſt, tum ex poteſtate, quæ eſt organum diuini intellectus, quem intellectum in poteſtate Ariſt. nominat, tum ex illius actu, quorum, altero abſente, impoſsibile eſt, vt intelligamus, vna enim, cum prima ſeminis emiſsione, eſt intellectus in actu, qui per omnia penetrauit, & actu exiſtit, veluti in alio quodam corpore, quorumlibet: Poſtquam vero, etiam per noſtram poteſtatem agit, tunc & noſter intellectus, is nuncupatur, & nos intelligimus. Quemadmodum, ſi quis, cogitatione complecteretur, artificem, qui nunc ſine ferramentis ageret, ex arte; nunc, cum ferramentis, cum etiam actus, iuxta artem, circa materiam, in ipſo eſt. Eadem quoque ratione, diuina mens, ſemper quidem agit, quamobrem, & eſt actu, & per organum etiam, vbi ex collatione corporum, ac temperatura, factum fuerit, inſtrumentum eiuſmodi, tunc enim materialem quemdam actum agit. Atque is, noſter intellectus eſt, & ſecernitur ſane, quemadmodum etiã, concernitur, neque enim, alio migrat; ſed quoniam vbique eſt, manet, in corpore, quod ex ſecretione, diſſolutum eſt, corrupto, atque abolito organo, velut artifex, amiſsis ferramentis, agit quidem, etiam tunc, non tamen materialem, atque organicum actum. Hæc Alexander, quæ fuſius, à nobis primo capite huius libri, ſunt explicata. Falſa igitur eſt conſequentia, omnis anima eſt immobilis. ergo, eſt inſeparabilis, cum ſeparari poſsit, etiã ſine motu, ſi enim, talis eſt forma, vt non ſolum ſit actus; ſed etiam actu, quemadmodum probatum fuit; poterit eſſe, ſine eo, cuius eſt forma, quod ſi ab ipſis accipitur forma, vt actus, qui non poſsit, eſſe actu, & talem dicant eſſe humanam animam, tunc petunt principium, hoc enim eſt in quæſtione, & contrauertitur. Ad tertium argumentum, in quo dicebatur, ſi animus humanus eſt immortalis. ergo non incipit eſſe, quia hæc ex Ariſtotele conuertuntur, vt primo de cœlo docuit, *à texiu 110. vſque in finem*, quod ſi non incipit eſſe, non eſt forma, & anima, quia hæc non ſunt ante; ſed ſimul, cum eo, cuius ſunt forma, & anima, vt idem decreuit *12. Metaphyſ. part. 16.*

Non placet mihi reſponſio Gaſparis Cardinalis Contareni, pace dictum ſit viri doctiſſimi, valde enim tenuis eſt, & ſophiſtica, vt ipſi, Petrus Pomponatius, obiecit. Reſpondet namque, concedens, animã humanam, veluti incepit in tempore, quia non niſi concurrente motu Solis, & lumine, ad præuias diſpoſitiones, extrinſecus aduenit, ita etiam deſinere, in tempore eiſdem, deficientibus diſpoſitionibus; ſed tamen, perdurare, in æternitate, quæ cum ſit tota ſimul, longe differt à tempore. Hoc autem dicere, primo eſt à mente, & propoſito, Ariſtotelis deflectere, cum Ariſt. *12. metaphyſic. part. 16. & 17.* dicat, nullam

for-

formam esse, ante id, cuius est forma, nihil autem prohibere, aliquam remanere, post, vti animam, fortasse, non omnem; sed intellectum. Ante vero, & post, sunt differentiæ temporis, non autem æternitatis. Secundo, est egredi limites naturalis considerationis, æternitas enim, illa, quæ est duratio tota simul, naturalis cognitionis captu, non comprehenditur. Quapropter mihi videtur, melius respondendum. Intellectum, vt sæpius dictum est ab Aristotele, dupliciter sumi, vno modo, vt intellectus est, altero vero, vt est anima, siue pars animæ, & constituit corpus, vt est pars animæ, ita non est ante corpus; sed simul est cum corpore, vt bene Arist. docuit *12. Metaphysic.* ita enim coniunctus est cum sensu, qui simul est, & incipit, cum corpore, atque ita pariter desinit cum corpore; deficiente enim sensu, desinit informare illud corpus, & veluti aduenies corpori, accipit nouum esse, & nouum operandi modum; factus enim est intellectus, qui est potentia omnia, & veluti tabula agrapha, & non intelligit, nisi cum phantasmate, ita recedens à corpore, amittit prius esse, quia non est amplius intellectus potentia, & priorem operandi modum, quia amplius non reminiscitur, vt Philosophus dicebat *3. de anima part. 20.* at vero, quatenus intellectus est, neque incipit esse cum corpore, neque desinit. Hanc doctrinam, legere est apud Simplicium, grauissimum Philosophum, in expositione præcitatæ particulæ: non longe ante finem; sed dicet aliquis. Ergo intellectus, quatenus intellectus est, non incipit esse, nec desinit esse, & ita erit æternus vndequaque.

Respondeo, nullum esse inconueniens apud Philosophos, huiusmodi intellectus, etiam multiplicatos, esse æternos, cum per simplicem emanationem pendeant, & producantur à causa, & principio æterno; quinimmo, apud Sacros Theologos nihil prohibet, tali pacto. effectum æternum, produci à causa æterna, vt docuit S. Thomas *1. parte quæst. 46. artic. 2.* auctoritate S. Augustini *10. de ciuitate Dei cap. 31.* quamuis, hoc de animabus humanis dicere, sit omnino falsum, & ab Ecclesia damnatum, vt ibidem S. Augustinus docet, contra aliquos Platonicos, quinimmo, certissimum sit, easdem animas, non solum non fuisse ante corpus ab æterno; sed neque aliquatenus ante corpus extitisse, vt in Quinta generali Synodo, contra Origenem decretum fuit, ac vere dicendum sit, ipsas, simul & dum creantur, à Deo, corporibus infundi, & dum infunduntur, creari. Possumus etiam respondere, & verius, nullum sequi absurdum, etiam apud Aristotelem, si anima incepit esse, quod nunquam desinat esse, neque obstant rationes, quas attulit in contrarium, *1. de cælo, à tex. 110. vsque in fine,*

cum

Digitized by Google

cum illæ rationes, non concludant, niſi de rebus materialibus, quæ accipiunt eſſe, per generationem, & motum, ſi enim diligenter aduertitur, aut rationes illæ, non habent efficaciam, ſi abſolute, & ſimpliciter accipiantur concludere de quolibet, quod incipit eſſe, pariter deſinere eſſe, cum ſint rationes ex communibus, vt ipſemet Ariſtoteles, confitetur, *tex. vltimo*, appellans ipſas vniuerſales, quare, & Auerroes, ibidem, dicit ipſas eſſe Logicas. Aut ſi habent aliquam efficaciam, illam habent ex potentia contradictionis, propterea enim, ſtatuit Ariſtoteles, nullum, quod incepit eſſe, poſſe eſſe perpetuum, quia ſimul eſſent duo contradictoria, quod eſt impoſsibile, probat autem, fore ſimul duo contradictoria, tali pacto, quod eſt perpetuum, non poteſt non eſſe, quod autem incepit eſſe, aliquando non fuit: ergo, idem, ſimul non fuit, & fuit. Hæc autem ratio, aut eſt Sophiſtica, cum ſupponat, id quod incepit eſſe, antequam ſit; eſſe, ſupponit enim, in eodem eſſe duo contradictoria ſimul, quod, de non ente falſum eſt, & impoſsibile; aut ſi verum concludit; concludit de aliquo ente, quod cum ſit in potentia, non eſt actu, antequam fiat; atque de hoc, bene concluditur, quod cum ſit genitum, non poteſt eſſe ſempiternum: ſempiternum enim eſt, quod actu eſt: nam non poteſt non eſſe, quod autem, eſt genitum, cum ante non eſſet, poterat eſſe. Ergo, quicquid eſt genitum, non poteſt eſſe ſempiternum: probatur ſequela: nam quicquid poterat eſſe, antequam ſit, non fuit; ergo habebat potentiam, vt eſſet, & non eſſet; quod autem habet potentiam, vt non ſit, non poteſt eſſe ſempiternum; hoc enim eſt ſempiternum, quod cum ſit, non poteſt non eſſe.

Cum igitur huiuſmodi rationes, habeant efficaciam, ex potentia contradictionis, & radix, vel fundamentum, huius potentiæ ſit materia, dicendum eſt, prædictas rationes, fuiſſe allatas ab Ariſtotele, vt probaret, tantum res materiales, quæ incipiunt eſſe per generationē, & motum, deſinere eſſe, non autem ſimpliciter, & abſolute, quālibet rem, quæ quomodolibet, incipit eſſe, deſinere eſſe, & quamuis clare Ariſtoteles dixerit, de qualibet re, vniuerſaliter, hoc eſſe oſtenſurum, tamen, hoc, non niſi rationibus Logicis probauit, quod præter ea, quæ nunc attulimus, poſſem multis monſtrare; ſed ne hac in re ſim prolixior, ſatis erit, vnum afferre, ex illo argumento, quo dicit inter ſemper eſſe, & ſemper non eſſe, dari medium, quod aliquando ſit, aliquando non ſit, hoc autem, eſſe, genitum, & corruptibile, quæ ratio profecto, aut non concludet, cum falſum ſit, inter talia dari medium, ſunt enim contradictoria, aut ſi concludet, cōcludet dari opor-

ri oportere subiectum medium, quod vtrumque participet, scilicet, esse, & non esse, vt bene aduertit Simplicius, hoc autem subiectum est materia, quæ cum sit ens potentia, quodam pacto est, & quodã pacto, non est, & hæc est causa, vt ea quæ fiunt, non sint perpetua. At vero, quæ materia non participant, quæue ita fiunt, & à suo principio incipiunt esse, vt ab ipso non per generationem, aut motum, sed per simplicem emanationem quã creationem Theologi dicunt, originem habeant, vt est humanus animus, qui à prima mente, quæ est Deus Optimus Maximus, originem habet, quamuis incipiant esse, nihil prohibet, quin sint perpetua, vt patet exemplo luminis, quod, quamuis, inciperet, Sole Orizontem, iam superante, tamen numquã deficeret, Sole ibidem, perpetuo existente. Aristotelis igitur rationes, bene possunt concludere, de mundo, quod si incepit esse, desinet esse, cum mundus constet ex de materia, non autem de humanis animis, quos dicimus, esse materiæ expertes. Ad quartum, in quo assumitur, ex *2. de generat. animal.* omnis anima, cuius operatio non potest esse sine corpore, inseparabilis est à corpore. Respondemus, subnectendo minorem ex eodem loco; sed animæ intellectiuæ operatio potest esse sine corpore, quia cum intellectus operatione, non communicat actio corporalis. Ergo anima intellectiua est separabilis, ad minorem vero, quam ipsi adiungunt; siue ad eius confirmationem, pro qua dicebatur, nullam animam posse exercere operationem propriam informãdi, sine corpore cum sit actus corporis. Dicimus, animam intellectiuam, siue humanam, quibusdam potentijs, seu facultatibus, exercere operationem informandi corpus, quæ sunt, & dicuntur actus corporis, ab Aristotele, & quantum ad has facultates spectat, necessario indiget corpore, quæ facultates sunt; vegetales, & sentientes, & ita, quantum spectat ad has facultates, dicitur inseparabilis; quadam vero facultate, quæ est illi propria, non exercere operationem informandi corpus, siue formæ corporeæ, & talis facultas est intellectus speculatiuus, qui propterea, ab Aristotele, non dicitur actus corporis, & penes hanc potentiam, quæ, cum sit homini propria, humani animi designat substantiam; dicitur separabilis, quia in eius operatione non indiget corpore. Ad illud vero, quod afferunt, etiam in hac operatione, animum humanum, corpore indigere, quia non intelligit, sine phantasia, quæ est virtus corporea; iam sæpius diximus, & nunc iterum dicimus, hanc indigentiam, siue dependentiam, esse ratione obiecti, quæ cum sit ab extrinseco, non arguit essentiam, & eo maxime, quia phantasia, non subministrat intellectui, obiectum proximum,

Digitized by Google

ximum, & totale, ſiue adæquatum, tale namque, eſt ſpecies intelligibilis, vt intelligibilis, non autem phantaſma; ſpecies autem intelligibilis, poteſt etiam aliunde ſubminiſtrari, quam a phantaſmatibus, quare, talis dependentia, eſt adſimilis, indigentiæ, qua aliquis legẽs, opus habet libro, ſine quo, non poteſt legere; ſed nihil impedit, quin amiſſo illo libro, poſſit legere, alium ſibi commodatum librum. Ita, & intellectus, quamuis in phantaſmatibus, tamquam in quodam libro, intelligat ſpecies intelligibiles, & ita, ſine phantaſia, non poſſit intelligere, tamen nihil obſtat, quin aliunde ſibi oblatas ſpecies intelligibiles, percipere poſſit; quæ cum poſſint ipſi offerri, dantur enim ſubſtãtiæ ſeparatæ, quæ ſunt vera intelligibilia, & vera entia, quæ ſi ſupponatur, quod ipſi offerãtur ipſa intelligere nullũ erit abſurdum; poſſibili enim, poſito in eſſe, nullum ſequitur impoſſibile, vt Ariſt. dicebat, *1. de ortu, & interitu text. 8.* quamuis ipſas, intellectus, dum eſt in corpore, vix, & quam minimum, percipiat, & veluti Nicticoracis oculus, lumen Solis, vt idem *2. Metaphyſic. cap. 1.* dicebat, & hæc ad quartum. Ad Quintum, quo dicebatur, omnis actus debet eſſe conuẽniens, & proportionatus, potentiæ, cuius eſt actus; ſed potentia cuiuslibet corporis animati, corruptibilis, eſt mortalis, quia eſt potentia ad eſſe. Ergo, omnis actus, corporis animati debet eſſe mortalis. Concedimus maiorem; ſed explicamus minorem, & dicimus, potentiam omnem, cuiuslibet corporis animati, eſſe duplicem; vna enim eſt potentia, ſimul ad eſſe ſimpliciter, & ad eſſe animatum; altera vero eſt potentia, ad eſſe animatum tantum. Hac ſuppoſita diſtinctione, Reſpondemus, quod non omnis potentia, cuiuslibet corporis animati, eſt corruptibilis, & ratio eſt, quia non omnis potentia talis corporis, eſt potentia ad non eſſe; ſed illa tantum, quæ eſt potentia ad eſſe ſimpliciter, & ad eſſe animatum ſimul, potentia enim ad non eſſe ſimpliciter, quæ dicit corruptibilitatem, ſequitur potentiam ad eſſe ſimpliciter, non autem potentiam, ad tale eſſe, huiuſmodi potentia, eſt potentia quæ reſpicit animam vegetalem, & ſenſitiuam, quæ cum educantur ex materia, ita ſunt actus corporis, vt ſint inſeparabiles à corpore; at vero potentia ad eſſe animatum tantum, poteſt eſſe, ſine corruptibilitate, qualis eſt potentia, quæ reſpicit animam intellectiuam, quatenus eſt intellectiua; cum enim intellectus non ſit forma materialis, non eſt à corpore inſeparabilis, & propterea dicitur ab Ariſtotele, quod non ſit actus corporis; ex quo fit, vt anima intellectiua, per ſe; ſit immortalis, hoc eſt, quatenus eſt intellectiua, per accidens vero, ſit mortalis; hoc eſt, ratione facultatis, vegetalis,

getalis; & sentientis, quod è diametro pugnat, cum sententia Pomponatij. Neque obstat, quod dicunt ex Arist. sententia, potentias animæ esse idem re, quod anima, quare, non possent potentiæ animæ rationalis, esse corruptibiles, eius substantia existente incorruptibili, potentiæ enim animæ, aut considerantur in sua radice, & fundamento à quo fluunt, & ita, sunt idem re, cum anima, nec ab ipsa differunt, nisi ratione, vt Aristot. inquit: aut considerantur, vt coniunctæ sunt cum organo, cum quo operantur; & ita, differunt re, ab anima, & dicuntur accidentia, quæ, nihil prohibet, esse corruptibilia, incorruptibili manente substantia ipsius animæ. Quod autem diximus, de duplici potentia, quæ esse potest in corpore animato; Vna, quæ respicit actum, dantem esse simpliciter, & animatum simul; altera vero, quæ respicit actum, tribuentem esse animatum tantum; manifeste probatur, ex animatione cœli, quod, cum sit incorruptibile, tamen ab Arist. dicitur animatum, anima informante, siue dante esse, vt fuse probauimus, in proprio opusculo. Ergo, in cœlo, cum non sit potentia, adesse simpliciter, quia tunc esset corruptibile; tamen est potentia ad esse animatum, quia si careret tali potentia, tunc non esset vere animatum, anima tribuente esse, siue informante.

Ad Sextum; Iam responsum fuit, quod esse actum corporis, cum sit intrinsecum animæ, & de eius essentia, est ab eadem inseparabile, vel quoad actum, vel quoad aptitudinem; Ad instantiam vero, quam afferebant, de hac aptitudine, si aliquando reduceretur ad actum, vel nunquam, si enim reducetur, tunc resurrectio mortuorum, erit ex præscripto naturæ, quia hæc aptitudo, quæ remanet in anima post separationem, vt iterum vniatur corpori, naturæ ordine, reducetur ad actum; vt existimauit Democritus, quod tamen, est falsum, quia hoc pertinet ad Diuinam omnipotentiam. Si autem, nunquam reducetur, tunc erit æterno tempore otiosa. Possumus respondere dupliciter; Primo, ad mentem Aristotelis, quod quamuis concederetur, intellectum, qui solus ex sententia Arist. remanet post mortem, naturali aptitudine, corpori iterum vniri, tamen non propterea sequeretur resurrectionem dari, ex præscripto naturæ, vt resurrectionem nos credimus, non enim eadem anima vegetatiua, & sensitiua, vniretur iterum corpori, ex sententia Aristotelis, quia ipse existimauit, vegetatiuam, & sensitiuam, corrumpi, etiam in homine, quamuis hoc, secundum veram Philosophiam, sit falsum, vt præcedente libro, in propria quæstione ostendimus; at in resurrectione, quam credimus, tota anima rationalis, vnietur corpori, quapropter; dicitur apud Iob *Et in carne*

mea

Digitized by Google

mea, videbo Deum Saluatorem meum. Secundo, poſſumus dicere, quod &ſi talis aptitudo, naturæ viribus, nunquam reduceretur ad actum, tamen, non eſſet æterno tempore otioſa, quia, vt aliqua potentia non dicatur æterno tempore otioſa, & fruſtratoria, ſufficit aliquando fuiſſe reductam ad actum, vt patet, de virtute formatrice, quæ abſoluto fœtu, non amplius operatur, & tamen, non dicitur otioſa, & de augmentatiua potentia, quæ pariter, adepto termino augmentationis, qui debetur formæ, non amplius operatur; & tamen non dicitur otioſa.

Hac pariter reſponſione, ſatisfit Septimo argumento, quod affert Pomponatius *cap. 5. primi libri Apologiæ*, vt enim ordo naturæ ſeruetur, non eſt neceſſe aliquam formam, ſecundum omnes ſui potentias, ſemper operari; ſed ſufficit, vt ſecundum potentiam, operationis, ſibi propriæ poſſit, quamdiu eſt, operari; ſecundum alias vero, ſufficit, vt operata fuerit aliquando, ſcilicet cum oportuit, vt eſt de anima rationali; cuius cum ſint multæ potentiæ, non eſt neceſſe, vt ſecundum omnes ſemper operetur; ſed ſufficit, vt ſecundum potentiam intelligendi, quæ eſt ipſi propria, poſſit ſemper, & dum manet, operari. Hoc autem, illi non eſt impoſſibile, quia in operatione intelligendi, non indiget corpore, cum non ſit facultas organica, neque in ea communicet actio corporalis, vt Ariſt. ſæpius dixit.

Ad Octauum eadem reſponſio ſufficit, nam quamuis anima æterno tempore, ſeparata à corpore maneret, tamen non poſſet dici, hominem æterno tempore, vera felicitate carere, quæ eſt totius compoſiti, nam ſufficeret, quod totum compoſitum, aliquando hac felicitate potitum fuerit, nempe dum anima fuit vnita corpori; quamuis, etiam dici poſſit, ex Ariſtot. ſententia, veram felicitatem, magis competere animæ ſeparatæ, quam coniunctæ, tum quia, melius eſt animæ, hoc eſt intellectui, eſſe ſine corpore, quam cum corpore, vt *1. de anima* dixerat, tum etiam, quia vera felicitas, eſt in vita contemplatiua, quæ homini competit, quatenus participat intellectũ, vt idem Phyloſopus dicebat *10. Ethicorum*. Ergo, verior fecilitas eſt, quæ competit intellectui, vt intellectus eſt, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis.

Erat nonum argumentum. Contrariorum eadem eſt diſciplina; ſed vnio animæ cum corpore, eſt naturalis, ergo eiuſdem ſeparatio, eſt præter naturam, & violenta, ex hoc autem, alterutrum ex duobus abſurdis, ſequi neceſſe eſt, ſcilicet, aut reſurrectionem aliquando naturaliter futuram, aut aliquod violentum eſſe perpetuum. Huic reſpon-

ſpondetur: poſita animi immortalitate, neutrum ex his abſurdis, apud Ariſtotelem ſequi, & Primo, non ſequitur primum, nam quamuis ex hac ratione, ſuppoſito fidei articulo, ſatis probabiliter colligitur, reſurrectionem mortuorum, futuram, vt colligit S. Thomas. *quæſt. 75.* additionum ad tertiam partem, art. 2. in corpore cõcluſionis. Tamen non propterea probatur, reſurrectionem, fore naturalem, hoc eſt à principio naturali, & ex præſcripto naturæ, quia, & ſi, anima ſeparata à corpore, ſupponatur habere aptitudinem, ex parte ſui, vt vniatur corpori, cum ſit forma corporis; tamen hoc nunquam fiet, neque fieri poterit, virtute naturalis agentis, neque reſpectu coniunctionis animæ ad corpus, nec reſpectu, diſpoſitionis, quæ eſt neceſſitas ad talem coniunctionem, quia talis diſpoſitio non poteſt à natura induci, niſi determinato modo, per viam generationis, ex ſemine, vt docuit idem S. Thomas eodem loco *quæſt. 76. art. vlt* in corpore concluſionis, non ſatis longe à fine, neque ſequitur alterum abſurdum, nam quamuis vnio animæ cum corpore, ſit naturalis, quantum ſpectat ad diſpoſitiones, quæ requiruntur, ad talem vnionem, quæ producuntur ab agente naturali, ac propterea, dixerat Philoſophus, quod homo, & Sol generant hominem, tamen, non dicitur naturalis, quoad productionem formæ, quia mens humana, non ſolum ex veritate; ſed etiam ex ſententia Ariſtotelis, non producitur ab agente naturali, nec educitur, ex ſemine, vt reliquæ animæ; ſed extrinſecus aduenit, vt claris verbis dixit *2. de generatione Animalium cap. 3.* & ita, vnio eius cum corpore, non dicitur ſimpliter, & abſolute naturalis, vt reliquarum formarum productiones, quæ per generationem incipiunt. Quod, ſi verum eſt, non erit dicendũ, quod exiſtere ſeparatum à corpore, competat animæ violenter, quamuis ſeparatio, ſit aliquo pacto violenta ob corruptionem earum diſpoſitionum, quæ requiruntur ad vitam, ex quo, ſequitur mors, quæ ſemper eſt præter naturam, & veluti præexiſtere corpori, quod putauit Ariſtoteles, loco prædicto, dum dixit, illam extrinſecus accedere, non fuit ipſi præter naturam, & violentum; ita, neque manere poſt corpus, dicendum eſt, eidem fore præter naturam, & violentum.

Decimum argumentum eſt. Anima humana, aut habet idem eſſe, ſeparata à corpore, quod habebat, vnita corpori; aut diuerſum, ſi haber, idem eſſe, tunc habebit eaſdem potentias, nam potentiæ fluunt ab eſſentia; ſed hoc, eſt impoſſibile, nam potentiç vegetandi, & ſentiendi, non poſſunt eſſe ſine corpore, aut non habet idem eſſe, & tunc, neque habebit eamdem eſſentiam, quare non erit eadem anima. Huic reſpondemus;

Digitized by Google

demus dupliciter: Primo ex ſententia, & principijs Ariſtotelis, quamuis falſis, diſtinguendo, aſſumptã diſiunctiuam, nam, vel accipitur, de tota anima, vel, de parte animæ, qua anima intelligit, & ſapit; quæ dicitur intellectus, ſi accipiatur, de tota anima, dicendum eſt, quod non habet idem eſſe, quia tota anima, vt ſic, comprehendit, vegetatiuam, & ſenſitiuam, quæ ex Ariſt. ſententia, ſunt corruptibiles, ſi autem accipiatur, de parte animæ; dicendum eſt, quod habet idem eſſe, non tamen, quantum ad eſſe, reſpectiuum; nam amplius, non eſt pars, animæ; ſed quantum, adeſſe abſolutum, hoc eſt, quatenus intellectus, qui cum ſit diuerſi generis, à reliquis partibus animæ, ac re & ſubſtantia, ab ipſis diſtinctus, non oportet, vt habeat, eaſdem potentias. Neque obſtat, quod hic idem intellectus, dum erat in corpore, eſſet coniunctus, cum vegetatiua, & ſenſitiua, quia tunc habebat eſſe reſpectiuum, ſcilicet erat pars animæ, ad quod requirebatur neceſſario eſſe ſimul cum dictis alijs animæ partibus, ſeparatus autem, cum non habeat, niſi eſſe abſolutum, non requirit, ipſarum connexionem. Ad aliud verò, quod dicebatur, de duplici hoc, animæ ſtatu in corpore, & extra corpus, aut vterque eſt illi naturalis, aut vterque præter naturam; vterque ſecundum naturam, aut præter, eſt impoſſibile, quia eſſe in corpore, & non eſſe ſunt contradictoria; Ergo, alterutrum erit ſecundum naturam, vel præter; ſi alterutrum, non eſt dicendum, quod eſſe in corpore, ſit animæ præter naturam, quia ipſi maxime naturale eſt, cum ſit forma: Ergo eſſe extra corpus illi erit præter naturam, & violentum, & tunc aliquod violentum erit perpetuum. Reſpondemus, negando totum argumentum, ex inſufficienti diuiſione, & ratio inſufficientiæ eſt, quia inter eſſe ſecundum naturam, & eſſe præter naturam, datur medium, quod neque eſt ſecundum naturam, neque præter. Hoc autem manifeſtum eſt, in motu ignis circulari, facto à concauo Lunæ, ipſum circumagente, qui neque dicitur ſecundum naturam, quia igni ſecundum naturam, competit motus ſurſum, & vni ſimplici corpori, vnus tantum competit motus ſimplex, neque præter naturam, cum ſit perpetuus, & ignis cõſeruatiuus, qualis nõ eſſet, ſi eſſet præter naturam; ſed medius, cum participet ſecundum naturam, quatenus eſt conſeruatiuus, & præter naturam, quatenus non fit à principio intrinſeco; ſed extrinſeco, quapropter appellant aliqui, ipſum, motum ſupra naturam. Ita pariter, dicendum eſt, de duplici hoc animæ ſtatu, quod neque vterque eſt ſecundum naturam, neque vterque præter naturam, & quamuis, eſſe in corpore, & non eſſe in corpore, ſint contradictoria, tamen,

Digitized by Google

non propterea ſequitur, quod vnũ ſit ſecundũ naturã, & alterũ præter naturã, cũ alterũ ex ipſis, poſſit participare, vtriuſque prædicati conditionẽ, vt eſt, in re propoſita; eſſe enim intellectus in corpore, eſt ipſi naturale, vt pars animæ, & forma corporis, & tamen eſſe ſeparatũ à corpore, non eſt illi præter naturam, cum ſit forma ſeparabilis, & non dependens in eſſe à corpore, quare nihil prohibet, quin talis ſtatus, poſſit eſſe perpetuus, cum non ſit violentus, quemadmodum nihil prohibet, motum ignis circularem, eſſe perpetuum, & ratio eſt, quia veluti motus rectus, in igne, non eſt contrarius, motui circulari; ſed tamquam imperfectus, ordinatur ad circularem, tanquam ad perfectum; quod inde patet, quia motus rectus, non competit niſi partibus, ignis, & igni exiſtenti, extra proprium locum, motus autem circularis, competit toti igni, & exiſtenti in propria ſphœra. Ita, & eſſe, in corpore, non competit intellectui, niſi quatenus eſt pars animæ, & in ſtatu imperfectiori, eſſe autem extra corpus, ipſi competit, vt intellectus, & in ſtatu perfectiori. Hæc ad Ariſtotelis ſententiam, & ex eius principijs reſponderi poſſunt. Verum quia Ariſtoteles ſuppoſuit, intellectum eſſe aliam ſubſtantiã, à ſenſu, & vegetali, quod eſt falſum, cum rei veritate, anima ſit vna tantum ſubſtantia, tota immortalis, quamuis aliquas potentias habeat mortales, vt vegetatiuam, & ſenſitiuam. Propterea aliter reſpondemus. Supponentes diſtinctionem potentiarum animæ, vt etiam ſupra in potentias fundamentales, vt ita dicam, & in potentias organicas. Fundamentales, hoc eſt, quæ ſunt in radice ſua, & fundamento, ſcilicet in eſſentia animæ, ſunt idẽ quod anima, vt bene inquit Scotus, nec differunt ab anima re, ſed ratione tantum, non enim eſt aliud potentia animæ, quam anima potens, potentiæ autem organicæ, hoc eſt, quæ ſunt coniunctæ cum organo, illæ differunt re, ab anima, vt bene docuit S. Thomas, & ſunt accidentia, quæ fluunt, ab anima. Exemplum eſt, facultas viſiua, quæ eſt in oculo, auulſo oculo; perit, at vero facultas, quæ eſt in anima, non perit, vnde poſſumus dicere, quod dixit Philoſophus *1. de anima part. 65.* quod ſenex, ſi acciperet oculum iuuenis, videret, vt iuuenis, quamuis Ariſtoteles, hoc aliter acceperit, vt alias, declarauimus, nunc ſatis eſt, hoc accepiſſe, ad exemplum. Hac ſuppoſita diſtinctione. Reſpondemus, animam ſeparatam, habere idem eſſe, quod habebat in corpore; ſi eſſe non differt ab eſſentia, & ex conſequenti, eaſdem potentias, fundamentales tamen, ſiue radicales, vt diximus, non autem organicas, nam organicæ, cum non poſſint eſſe ſine corpore, neceſſe eſt pereant, corpore pereunte. Ad aliam vero inſtan-

inſtantiam, qua quærebatur de eſſe ſeparato, vtrum, ſit animæ naturalis, vel præter naturam. Dicimus, quod eſſe ſeparatum, eſt ipſi præter naturam, quatenus anima, ſua natura, eſt forma, conſtituens corpus, & altera pars compoſiti, & ita, non ſemper erit ſeparata à corpore; ſed aliquando vnietur corpori, ab omnipotenti Deo, vt veriſſime fides noſtra, nos docet.

Ad Decimum, quo dicebant aduerſarij. Si anima eſt multiplicata; Ergo, eſt forma materialis, cum ea, quæ ſunt vnum ſpecie, & multa, numero, materiam habeant, abunde reſpondimus præcedente libro, in diſputatione, contra vnitatem intellectus; ſed nunc iterum breuiter dicimus, animam quamuis immaterialem, indiuiduari, ſiue multiplicari penes habitudinem, quam habet, ad materiam, ſiue ad corpus, cuius eſt forma, & ita intellectum, qui eſt pars animæ informantis corpus, vt S. Thomas docet, in Opuſculo, contra Auerroem. Ad aliud argumentum, quod attulit Alexander, *2. de anima cap. 3.* Ex eo, quod anima eſt forma, dans eſſe corpori, & ex conſequenti; neceſſario oportet, vt ſit inſeparabilis. Iam ſatis, ſuperq; reſpondimus, tum libro præcedente contra Auerroem, tum etiam paulo ante, in hac eadem diſputatione, dum ſolueremus primum argumentum, ex natura, & etimologia Entelechiæ, quibus in locis oſtendimus; non omnem formam informantem, neque omnem Entelechiam, eſſe apud Ariſtotelem, formam inſeparabilem; ſed illas tantum, quæ ita ſunt formæ, & actus, corporis, vt corpori ſint mixtæ, & materiæ immerſæ, vt ipſemet Alexander, confeſſus fuit, *lib. 1. de anima cap. 4.* non longe à fine, his verbis. *Poſtquam autem anima, quæ perfectionis, & Entelechiæ vocabulo, ab Ariſtotele, vocari conſuenit, ſpecies eſt, ſicut oſtendimus, eiuſmodi ſpeciem intelligamus, quæ ſit in materia*, & aliis etiam multis in locis, quæ citantur ab Eugubino *lib. 9. de perenni Philoſophia cap. 21.* Cum igitur falſum ſit; omnem Entelechiam, eſſe formam inſeparabilem, ac nihil obſtet, quin aliqua forma ſeparabilis, ſit actus, & Entelechia, vt fuſe, ante probatum fuit. Falſa erit illa conſequentia, quam Alexander deducebat, ſi anima non eſt Entelechia, & forma inſeparabilis, erit aſſiſtens tantum, & non informans, quare, & abſurda, quæ deducit contra hanc conſequentiam; nos non tangunt, qui monſtrauimus, animam intellectiuam, quamuis ſeparabilem, non eſſe formã aſſiſtentem tantum; ſed informantem. Probationem vero ſequelæ, cum ibidem, valide confutauerimus, non eſt, cur iterum aggrediamur. At vero abſurdum, vltimo loco deductum, propter opinionem Platonis, quæ Origeni, fuit cauſa erroris, conſiderare nequaquam

prætermittemus. Erat autem hoc absurdum. Si anima est forma separabilis, nulla poterit assignari causa, ob quam in corpus mittatur cum neque, propter bonum corporis, quia illi esse non tribuit, neque propter bonum sui ipsius, cum formæ separabili, melius sit, esse sine corpore, quam cum corpore. Huic dicitur, quod supposito eo, quod iam probauimus, animam scilicet, quamuis separabilem, esse informantem; causa in promptu est, cur anima, cum possit esse sine corpore, indita fuerit corpori. Hoc enim factum est, & propter bonum corporis, & propter bonum animæ, propter bonum corporis, quia illi largitur esse substantiale, cum largiatur, esse animatum; propter bonum autem sui ipsius, cum ipsa ex coniunctione cum corpore, sortiatur operationes aliquas, quas sine corpore, non posset exercere, vt vegetandi, & sentiendi; quinimmo, & intellectus, ex vnione cum corpore, aliquam accipit perfectionem, saltem secundum intellectum practicum, & operationem motiuam.

Afferuntur aduersariorum argumenta, ex tertio fonte deprompta. Caput IX.

ERAT tertius locus, siue fons, ex quo aduersarij argumenta depromere consuerunt, animi nostri status, siue conditio, post mortem. Si enim superstes maneat, multæ, atque inextricabiles, ex principijs, & Doctrina Aristotelis, nobis aderunt difficultates. Et primo supposita mundi, & speciei humanæ æternitate, ita vt, numquam inceperint, quod Aristoteles, vbique clamat; necesse est, infinitos homines interijsse, quorum animæ si iam manserunt, & adhuc actu manent, vt ipsarum immortalitas supponit, erunt actu, etiam infinitæ, quod impossibile esse Aristot. docuit, *3. Physicorum*. Neque satisfacit, quod aliquis posset dicere, loquutum fuisse ibi Philosophum de infinito continuo, argumentum enim, quod affert in rationibus Logicis *tex. 40.* bene concludit, etiam, de quantitate discreta, cum enim numerus quilibet, sit nnmerabilis, nullum autem infinitum, sit numerabile, quia infinitum pertransiri non potest, necessario sequitur, vt nullus numerus, sit infinitus, vniuersalis enim negatiua in seipsam conuertitur, quare si nullum infinitum, est numerabile, nullum numera-

merabile eſt infinitum. Nec minus ſoluit difficultatem, quod aliqui nimis inepte dicunt, in tali animorum numero, non eſſe infinitum actu, eo quod, ipſi poſſunt, nouæ animæ, naſcentium ſemper hominum, apponi; infinito autem, non datur maius, ex quo fit, vt talem numerum, non ſimpliciter infinitum dicant; ſed tantum à parte ante, non autem à parte poſt. Hic enim ipſorum diſcurſus, verus eſt in ijs, quæ non permanent, non autem in ijs, quæ permanent, vt exempli gratia, nullum eſt abſurdum ſi cœlum fuit æternũ, infinitas ipſius, præceſſiſſe circulationes, ſiue infinitos dies, nam tales circulationes non permanent: ſed præterierunt, quare ipſarum infinitas non eſt actu, cũ autem futuræ ſint, & poſſint eſſe, ex ipſis infinitæ aliæ dicentur infinitæ poteſtate, at ſecus eſt de ijs, quæ permanent, vt ſunt animi, nam parum refert, ſi detur vltima anima, & non detur prima; ita enim dicentur infinitæ animæ; ſi detur vltima, & non detur prima, quemadmodum dicerentur, ſi daretur prima, & non daretur vltima; neutrum enim ipſarum numerum, ſeu congeriem eſſet pertranſire; ſed ſemper eſſet aliquid aliud, extra accipere; tale autem eſt, & dicitur infinitum. Manet igitur argumentum in ſuo robore. Suppoſita humanæ ſpeciei æternitate. vt exiſtimauit Ariſt.. Si igitur animæ ſunt immortales, datur infinitum actu. Sed conſequens eſt falſum. Ergo, & antecedens. Hoc argumentum fuit tanti ponderis, vt S. Thomas *2. contra gentes cap. 81. in reſponſione ad tertium*, putauerit, illud eſſe ſoluendum, ſuppoſito fidei principio; nempe quod mundus fuerit creatus, ſtatuerat enim infinitum actu, eſſe penitus impoſſibile; tam in quantitate continua, quam indiſcreta, vt poſtea docuit in *1. par. quæſt. 7. artic. 3.* Ex hoc eodem fonte, ſtatus, & conditionis animæ ſeparatæ, alia quamplura deſumuntur argumenta, quorum aliqua fuerunt etiam ante propoſita, & ſoluta, quæ nunc iterum, quantum pertinet ad præſentem diſputationem conſiderabimus, & inter cætera; Arguit Pomponatius. Si anima remanet poſt corpus, aut ſemper remanebit ſeparata à corpore, & ita, potentiæ vegetales, & ſentientes, quas dictum fuit, remanere in eſſentia animæ, tamquam in ſuo fundamento, & radice, erunt fruſtratoriæ, & otioſæ, aut aliquando reunientur corpori, & ex hoc multa deducit abſurda, vt apud eundem legitur *lib. 1. ſuæ Apologiæ cap. 5.* nempe, quod homo, nunquam eſſet certus de ſua felicitate, quia ſemper eſſet dubius, de fato ſuo poſt mortem, manens etenim ſeparata anima non poterit frui integra felicitate, cum illi deficiat altera pars eſſentialis, nempe corpus, & vnita corpori, multis premitur calamitatibus, & malis, quare pro tempore, quo maneret ſeparata, eſſet

infelix, & pro tempore, quo maneret coniuncta, pariter esset infelix, atque ita, numquam esset felix; sed semper infelix. vt Sanctus Augustinus, contra Platonicos, & Pytagoricos, animarum regressum statuentes, arguit *12. lib. de ciuitate Dei cap. 13.* his verbis: *A quo ludibrio prorsus immortalem animam, etiam cum sapientiam perceperit, liberare non possunt, euntem, sine cessatione ad falsam beatitudinem, ad veram miseriam, sine cessatione, redeuntem, quomodo enim vera beatitudo est, de cuius nunquam aternitate confiditur, dum anima, venturam miseriam, aut imperitissime in veritate nescit, aut infelicissime in beatitudine pertimescit.* Præterea resurrectio naturaliter daretur, quia eadem anima, habens idem esse rediret, & posset eandem materiæ partem sæpius informare, materia prima æterna ex Arist. principijs existente. Præterea, non potest concipi, per quem motum animæ in corpora iterum redirent. Amplius certo animarum numero existente, vt necesse est dicere, ponentibus ipsarum regressum, vt vitent infinitum actu, non posset aliquis homo generari; nisi aliquis alius periret, neque aliquis interire, nisi alius generaretur, aut aliquo certo tempore, frustra manebunt separatæ, quousque Sol, & homo concurrant ad huiusmodi reunionem. Vlterius, aut omnes masculorum animæ, iterum vniuntur corporibus masculorum, & fœminarum, corporibus earumdem, aut promiscue, aut in eadem prouincia, & ciuitate, vbi separantur, aut in alia. Si igitur hæc, & huiusmodi absurda sequuntur ad animæ regressum, & reunionem cum corpore, & semper separata à corpore non potest manere, cum sit forma corporis dicendum est, ipsam nullo modo, corpori superstitem esse posse. Arguit præterea *idem cap. 7. eiusdem libri.* anima separata, aut otiabitur, aut operabitur, non est dicendum, quod otiabitur, quia nihil frustratorium est in natura, & præcipue æterno tempore. Ergo intelliget, si intelliget, aut intelliget, cum phantasmate, aut sine, non cum phantasmate, quia phantasia perijt cum corpore, vt dixerat Philosophus *3. de anima text. 20.* ergo sine phantasmate. Ergo habebit alium modum operandi, ab eo, quem habebat in corpore. Ergo aliam essentiam, probatur sequela, quia modus operandi diuersus diuersam sequitur essentiam. Ergo non erit eadem anima, quæ erat in corpore, & quæ postmodum est separata à corpore. Vlterius, ex vera philosophia patet, omnes opiniones, quæ statuunt animos humanos, immortales, & multiplicatos, esse fabulas, falsas, & impossibiles, vt clarum est de opinionibus, non solum Poetarum, Homeri, Hesiodi, Virgilij, & aliorum, verumetiam Philosophorum, vt Pytagoræ, & Platonis, vna tantum

excepta

excepta ſententia, quam docet Chriſtiana, & Catholica fides, quæ diuinæ reuelationi, non autem humanis rationibus innititur. Ergo talis ſententiæ veritas non eſt, ex Ariſtotelis, aut alicuius alterius, infidelis hominis, Philoſophia petenda; ſed ex Sacris Libris, & Canonicis, Eccleſiæ ſanctæ decretis; cum humana Philoſophia errorum omnium ſit promiconda, & Philoſophi gentiles, vt Tertullianus dicebat, Hæreticorum ſint Patriarchæ. Hoc autem, maximè confirmat Arnobius, vir Chriſtianus, & Doctiſſimus, ac Lactantij præceptor, qui ſententiam, de Immortalitate animorum, ab Etnicis Philoſophis demonſtratam, non ſolum inutilem, verum etiam pernicioſam, hominibus eſſe, Secundo libro contra gentes, poſtquam aduerſus Immortalitatem animorum à Platonicis poſitam, & ipſorum, in corpora regreſſum, multa diſſeruit; his verbis oſtendit.

Cum enim vos oporteret, viros, rectè, atque integritatis Auctores, Typhum, & arrogantiam, frangere. quorum malis, cuncti extollimur, & inanium diſtendimur vanitate, non tantum accidere mala iſta cenſetis, verum (quod grauius multo eſt) addidiſtis cauſas, quibus, & vitia creſcerent, & in emendabilis nequitia permaneret. Quis eſt enim hominum, quamuis ille ſit, indolis, infamiam ſemper, atque ignominioſa fugientis; qui, cum dici exaudiat, viris ab ſapientibus, maxime immortales animas eſſe, nec fatorum eſſe obnoxias legibus, non in omnia flagitia præceps ruat? non intrepidus, res obeat, atque aggrediatur illicitas? non denique omnia ſuis cupiditatibus largiatur, quæ libido impotens iuſſerit? impunitatis præterea etiam libertate munita. Quid enim prohibebit, quo minus hæc faciat? metus ſuperbæ poteſtatis, iudiciumq; diuinum, & qui poterit territari formidinis alicuius horrore, cui fuerit perſuaſum, tam ſe eſſe immortalem, quam ipſum Deum primum? nec ab eo iudicari quicquam, de ſe poſſe, cum ſit vna immortalitas in vtroque, nec in alterius, altera conditionis poſsit æqualitate vexari; ſed memoratæ apud inferos pœnæ, & ſupplicíorum generibus, multiformes. Ecquis erit tam brutus, & rerum conſequentias neſciens, qui animis incorruptibilibus, credat, aut tenebras tartareas poſſe aliquid nocere, aut igneos fluuios, aut cœnoſis gurgitibus paludes, aut rotarum volubilium circumactus. Quod enim contiguum non eſt, & ab legibus diſſolutionis, amotum eſt, licet omnibus ambiatur flammis, torrentium fluminum, voluatur in cœno, ſaxorum imminentium caſibus, & immanium montium operiatur ruinis, illibatum neceſſe eſt permaneat, & intactum, neque vllum ſenſum mortiferæ paſsionis aſsumere. Quid? quod iſta perſuaſio, non tantum eſt incitatrix ad vitia, libertate ex ipſa peccandi, verum etiam Philoſophiæ ipſius cauſam tollit, & inaniter eam ſuſcipi, ſuperuacanei operis, difficultate, declarat.

Cauſam vero legitimam videtur attuliſſe Arnobius, confutandi eam

immortalitatem, quam Platonici statuunt; & Pytagorici, si enim animus, non solum incorporeus est, verum etiam, omnino immortalis, & impatibilis, qua ratione affici poterit à dolorificis, cum talia dolorem afferant, soluendo continuum, aut intemperiem inducendo inæqualem, & subito, vt non solum Medici, verum etiam Philosophi statuunt; at vero, hoc, nobis Christianis, nullum negotium facessit, quia fide Catholica docemur, animum nostrum, quamuis immortalem, tamen patibilem esse à dolorificis, tamquam diuinæ Iustitiæ instrumentis ad puniendum, neque aliam ipsi inesse immortalitatem credimus, quam participatam, quam etiam Deus auferre posset, & illum in nihilum redigere; sed ad hæc naturalis Philosophia peruenire non potest, tamquam inferioris ordinis, quare necesse est, se submittat, & Maioris numinis lumen atque reuelationem expectet. Hæc sunt omnia argumenta, quæ Petrus Pomponatius, Simon Portius, necnon alij peripatetici, tum ex Aristotelis principijis, tum ex naturali, & humana Philosophia aduersus immortalitatem animorum contorserunt.

Soluuntur argumenta vltimo recitata.
Caput X.

PRAEDICTIS argumentis, nunc erit reliquum respondere, vt in his etiam aduersarijs satisfaciamus. Erat primum argumentum, valde difficile. Si animi post mortem remanent, supposita humanæ speciei æternitate, erunt actu infiniti. At hoc repugnat Aristoteli, & rei naturæ, quia contradictionem implicat, esse multitudinem, & esse actu infinitam, ergo. Huic argumento, quamuis ante, præcedente libro, in disputatione, contra vnitatem intellectus, satisfecerimus. Tamen, etiam nunc, iterum respondebimus. Et primo, possemus dicere, quemadmodum bene respondet S. Thomas, in Opusculo de vnitate intellectus, contra Auerroem, quod nos, nescimus, quid Aristoteles, responsurus fuerit huic argumento, quia agere de formis separatis, pertinet ad Metaphysicũ, vt dicebat idem Philosophus *2. Physic. part. 26.* & illi libri Metaphysicorũ, in quibus ad hoc argumentũ tũc potuit respondere, ad nos non peruenerunt, cum dicat idem S. Thomas, se vidisse alios Aristotelis Metaphysicos libros, qui adhuc in Latinũ sermonem non erant

tran-

translati, vel fortaſſe reſpondit, in libro de Anima, qui inſcriptus erat Eudemus, qui perijt, cuius ſæpius mentionem habent, Philoponus, & Plutarchus. Tamen reſpondeo abſolute, & ſimpliciter, non pertinere ad Philoſophum, nec naturalem, nec Metaphyſicum, aliquid determinare, de animis à corpore ſeparatis, ac propterea, hoc argumentum, eſſe impertinens, & extra Philoſophiæ aleam, & eius ſolutionem petendam eſſe, à ſcientia ſuperioris ordinis, ſcilicet à Theologia, cui hæc diuino lumine ſunt patefacta. Hoc vero, tali argumento probo. Naturalis Philoſophia, non poteſt cognoſcere, de formis ſeparatis, aut ſeparabilibus, niſi, quod ſint; quomodo autem ſe habeant, & quid ſint, non poteſt cognoſcere, quia hoc pertinet ad Metaphyſicum, vt diſertis verbis Arist. docuit *2. Phyſic. tex. 26.* Metaphyſica autem, nec poteſt cognoſcere, de formis eiſdem, niſi illa, quorum notitiam Phyſica, antea præparauerat, cum enim omnis noſtra cognitio, originem habeat, à ſenſibus, de ſupernaturalibus, nullam poſſumus habere cognitionem, niſi ad eam nos perduxerint naturalia; quapropter, Meta Taphyſica, hoc eſt, poſt Phyſica, & poſtnaturalis, hæc ſcientia ab Ariſtotele, fuit appellata, & idem intelligentias ex motu inuenit, & ipſarum numerum, ex numero orbium, & immaterialem, atque ſeparatam ipſarum eſſentiam, ex perennitate motus. At vero, quæ ad animi ſtatum, poſt mortem, pertinent, & eſſe à corpore ſeparatũ; nullo pacto ex ſenſibus innoteſcere poſſunt, cum nullam habeant, cum ſenſibus connexionem, mors enim, eſt extrema linea, & omnis animi operatio, quæ cum ſenſu eſt, in morte deſinit; ſecus autem eſt, de intelligentijs, ipſarum enim operatio, cum ſit in corpore ſenſibili, perpetuo ex ſenſibus, nobis tanquam perpetua, innoteſcit, & ita, per ſenſus, nobis datur aditus, ipſarum ſubſtantiæ contemplandæ, qui nobis omnino præcluſus eſt, ad ſtatum animæ, poſt mortem perquirendum, nec alia relinquitur nobis via, hæc ſciendi, niſi per reuelationem, & ex traditione, ab ijs, qui ſunt fide digni, quibus aduerſarij, nolunt credere, quamuis Plato clamet in Timeo. *Impoſſibile ſane, deorum filijs fidem non habere licet, nec neceſſarijs, nec veriſimilibus rationibus eorum oratio confirmetur.* Deorum autem filios appellat, aut Genios, quos nos Angelos appellamus, aut fortaſſe etiam Sacrorum præſides. Et idem *lib. 20. de republica*; dicturus de pœnis malorum, & præmio bonorum, poſt mortem, ex relatione Eri Armenij, qui decimo die poſt obitum reuixit, omnia ſtatuit; & in Phædone Socrates, cum pariter dixiſſet, de ijs, quæ poſt mortem, animis contingunt, videns, nulla ſe ratione munitum, de talibus loquutũ fuiſſe; admonet auditores, ne exiſtiment,

aliquid

aliquid ſe, eorũ quæ dixerat, aſſeueranter ſtatuiſſe; ſed probabiliter tantũ, & cum dubitatione, atque, vt ipſe inquit, periclitans, talia autem, ſunt eius verba : *Hæc igitur, eo ſe pacto, prorſus habere, quo ego diſpoſui, non decet, virum ſanæ mentis aſſerere, eſſe tamen, vel hæc, vel talia quædam, circa animos noſtros, eorumq; habitationes, quandoquidem animus ipſe, immortalis apparet, & decore mihi videtur, & dignum, quaſi periclitantes; iſta exiſtimare, honeſtum enim periculum eſt, oporteatq; hæc, quaſi carmina quædam, magorum ritu mentibus noſtris infundere.*

Quapropter, ſapienter Cardinalis Contarenus, libro 2. de immortalitate Animæ contra Pomponatium, dixit. Ratione naturali, cognoſci quidem poſſe, animi noſtri immortalitatem, at vero, quæ ſunt, huic annexa, vt ſtatus eius poſt mortem, ipſiusq; operandi modus, & an iterum, corporibus vniatur, ita vt non oporteat, infinitam dari ipſorum multitudinem, & huiuſmodi talia, non poſſe ratione, & lumine naturali, certo ſciri; ſed probabiliter tantum, vt etiam Plato dixerat, & ita, quamuis, de conſequentia, non habeatur certa, & euidens ſcientia, non propterea de antecedente, eſt dubitandum, quia poteſt aliquid, in parte eſſe notum, quamuis, non omnia, quæ conſequuntur, ad talem notitiam, ſint certe cognita, vt patet, in corporibus cœleſtibus, de quibus, multa ſcimus, & rationibus neceſſarijs, cum tamen, multa alia, quæ conſequuntur ad talem ſcientiã, non ſciamus certe; ſed cum formidine, ób contradictionem, quam inuoluunt cum certa ſcientia antecedentis, vt exempli gratia, certiſſime, & Mathematicis rationibus ſcitur, cæleſtia corpora, eſſe Sphœrica, ac propterea circa centrum moueri; ſed vtrum, circa centrum vniuerſi, vel circa propriũ centrum, non dum ſcitur, quia multas inuoluit contradictiones, vtrũque hoc, cum eo, quod eſt iam certum, & determinatum, ipſa ſcilicet eſſe Sphœrica, ſi enim dicamus, habere vnum centrum, tunc ipſorum apparentiæ non poſſunt ſine irregularitate motus celerioris, aut tardioris ſaluari, quod eſt abſurdum, nulla enim in cœlo poteſt eſſe irregularitas, ſi autem dicamus, habere alterum centrum, tunc non erunt perfecte orbicularia; ſed ex vna parte ſubtilia, ex altera vero, craſſa, quod implicat, cum priore ſuppoſitione, & multa deducit abſurda, vt fuſius ipſe demonſtrat; ſed præter hæc, affero ego, aliud exemplum, in re noſtra, de qua agimus. Suppoſita immortalitate animorum, & ſuppoſita, Diuina iuſtitia, certiſſimum eſt, Animas malorum, poſt mortem, eſſe puniendas, & animas bonorum, eſſe præmiandas, tamen, quomodo anima, cum ſit immortalis, poſsit puniri, & doloribus vexari, ratione naturali, certo non poteſt ſciri, atque ita, dicendum

Digitized by Google

dum erit, quod Philoſophus, lumine naturali poteſt ſcire, vſque ad veritatem hanc, quod anima intellectiua, non eſt forma materialis, cum non ſit organica, nec eſt mixta corpori, cum intelligat vniuerſalia, & percipiat omnia, & ex conſequenti, eſt ſeparabilis, & immortalis; reliqua autem, quæ ad hæc conſequuntur, pertinentia, ad ipſius ſtatum, poſt ſeparationem à corpore; non poteſt ſcire, & propterea, omnes inſtantiæ, & omnes interrogationes, quæ ab aduerſarijs, circa hæc afferuntur, ſunt impertinentes, neque illis, tenetur Philoſophus reſpondere; ſed mittere ipſos debet ad Theologos, & Sacræ Scripturæ interpretes, illos de his, certiores faciant. Hoc autem ipſemet qui Pomponatius coactus fuit confiteri; primo enim libro ſuæ Apologiæ *cap. 7. in fine*, oſtendens, ad primum Philoſophum, minime ſpectare ea, quæ poſt mortem, animo contingunt: probat nullo pacto, hæc lumine naturali poſſe cognoſci, hæc autem ſunt eius verba, *Quod etiam de eſſe animæ ſeparatæ, quoad ſuas operationes, nihil ad primum Philoſophum attineat, præcipue, & ſecundum poſitionem, ſic confirmatur. Nam dato quod remaneret profectò non eſt ſcibile per naturam, de eius operationibus, nullam enim operationem habere poteſt, quæ non ſit cognitio, vel cognitionem non præſupponat, quomodo igitur ſciri poteſt, de eius cognitione?* Hoc autem, etiam ratione valida probat, vſque ad calcem capitis. Si igitur te confitente, talia naturæ lumine, minime cognoſci poſſunt, vt quid Vrges Philoſophũ naturalem, ſolis Ariſtotelis principijs innixum, vt de talibus, tibi reſpondeat? Hæc ſola meo quidem, & omnium, recte ſentientium iudicio reſponſio; importunis omnibus Pomponatij garrulitatibus, poterit ſatisfacere. Qua præſuppoſita, poterimus etiam, alio pacto argumentum de infinita animorum multitudine ſoluere, ex Ariſtotelis ſententia, vt ſoluit etiam Contarenus; poſſet enim aliquis peripateticus dicere, non fore neceſſarium, etiam ſuppoſita, humanæ ſpeciei æternitate, infinitos eſſe animos, actu, poſſent enim eſſe, in certo, & determinato numero, & ſæpius corpora informare; vt Plato ſtatuit, neque hoc eſſet figmentum Pytagoricũ, contra quod inuehitur Ariſt. *1. de anima*: Pytagoras enim animas humanas, tranſmigrare ſtatuebat, etiam in corpora brutorum, quæ ſunt diuerſæ ſpeciei, & ex hoc capite, quorumdam antiquorum, & Pytagoræ ſententiam, damnauit Philoſophus *1. de anima tex. 53.* his verbis: *Hi autem ſolum conantur dicere, quale quid, ſit anima, de ſuſceptiuo autem corpore, nihil amplius determinant, tamquam poſſibile ſit, ſecundum Pytagoricas fabulas, quamlibet animam, quodlibet corpus ingredi. Similiter itaque dicunt, atque, ſi quis dicat, Tectonicam in ſiſtulas ingredi, oportet enim, artem quidem, vti inſtrumentis,*

ani-

animum autem corpore; videtur enim vnumquodque, propriam habere ſpeciem, & formam. At vero, ſecus eſſet, in hac ſententia, quæ animas regredi in corpora humana tantum ſtatueret. Quod autem Ariſtoteles, ab hac ſententia, non aborruerit, non ſolum Contarenus Cardinalis, eſt Auctor; ſed etiam ante ipſum, Beſſario Cardinalis Nicenus *2. lib. contra calumniatorem Platonis, cap 7.* his verbis: *Nam, qui Mundum ingenitum, atque incorruptibilem, & nihil actu infinitum, ponit, hunc Platonis ſententiã, probare, de tranſitione animarum, neceſſe eſt, ſi animam hominis eſſe immortalem, fateatur. Nec Ariſtotelem, hoc negaturum fuiſſe exiſtimo, modo(quod equidem reor) immortalem eſſe, hominis animam cenſuerit, quod niſi hunc, teneat animationis modum nefarium illum amplexetur, neceſſe eſt, quem eius expoſitores, qui præſertim doctiores habiti ſunt, Alexander Aphrodiſienſis, Græcus, & Auerroes Arabs, ei manifeſte tribuunt, vt vnus, communiſq; ſit, omnium hominum intellectus. Nos, ex fide religionis noſtræ, omnia rite tuemur, cum principium, finemq; vniuerſi ſtatuamus*. Hæc Beſſario; ſed clare Ariſt. *3. lib. de anima, part. 20.* hoc ſignificauit, vbi dixit: *Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem, impaſſibile eſt, paſſiuus vero intellectus, corruptibilis eſt, & ſine hoc, nihil intelligit*. quæ verba profecto, non poſſunt intelligi, niſi regreſſum hunc animorum, in corpus ſupponamus, non enim, ita poſſumus, ipſa intelligere, vt aliqui putarunt, *non Reminiſcimur autem*, ſcilicet, poſt mortem, quia hoc Reminiſci, aut intelligitur de compoſito, & hoc eſt impoſſibile, quia poſt mortem, compoſitum, non eſt, aut de anima, & hoc pariter eſt impoſſibile, quia Reminiſcentia, eſt cum ſenſu, & imaginatiua, hæc autem in morte perierunt, quinimmo propterea dicit, nos non Reminiſci, quia intellectus paſſiuus, hoc eſt, imaginatiua, ſine qua, intellectus, nihil intelligit, corruptibilis eſt, & in morte, perit. Reliquum igitur eſt, vt hoc, intelligatur, de compoſito, cui vnita eſt anima, ſiue intellectus, qui iam alijs hominibus, fuerat ante vnitus, & hoc conſentaneum eſt, & connexum cum ijs, quæ Ariſt. ante dixerat, cum enim dixiſſet, intellectum agentem, qui eſt intellectus acceptus, vt intellectus eſt, & ſecundum ſinceram ſui ſubſtantiam, vt alias monſtrauimus, eſſe ſeparabilem, & incorruptibilem, hunc vero eundem antea dixerat, copulari, cum anima, vt cauſam efficientem, intellectionis, poſſet aliquis dubitare, ſi hic intellectus, non interit; ſed iterum copulatur, cum alijs naſcentibus hominibus, quare cum habeamus intellectum, qui fuit in alijs hominibus, ante nos, non Reminiſcimur, eorum, quæ idem animus, in alijs, ante exiſtens, cognouit, & acquiſiuit, vt verbi gratia, ſi intellectus non moritur; ſed eſt ſuperſtes, &

ite-

Digitized by Google

iterum coniungitur corpori, ſupponatur, corpori meo, quare, ego, habens eundem intellectum, qui ante, fuit in Iulio Dictatore, non reminiſcor, eorum quæ ante, idem animus in bello farſalico meditatus fuit.

Reſpondet Ariſt. & inquit, quod propterea, non Reminiſcimur, quia, & ſi, hic intellectus, qui ſeparabilis eſt, eſt incorruptibilis, tamen intellectus paſſiuus, hoc eſt, imaginatiua, corruptibilis eſt, & ſine hoc, intellectus, dum eſt coniunctus corpori, nihil intelligit, quare, habens aliam phantaſiam, ſibi miniſtrantem phantaſmata, in corpore meo, ab illa, quam habebat in corpore Iulij Dictatoris, non poſſum, quamuis habens eundem numero intellectum, Reminiſci, quæ ille in farſalia meditabatur. Quare, mendacem, & inanem exiſtimaſſet Ariſtoteles, illam Pytagoræ recordationem, qua dicebat, ſe ante, in Troiano bello, fuiſſe Euforbum, & pariter, illam, vaniſſimi Tianei, qua ſe iactabat, fuiſſe Pytagorã; hæc enim impoſſibilia ſunt, etiã ſuppoſito animorum regreſſu, in corpora. Neque obſtant, contra hanc ſententiam impertunæ Pomponatij interrogationes, ſcilicet, ſi reuniuntur, vtrum ſtatim, vel poſt aliquod tempus, & illo intermedio tempore, quid agunt, & vtrum omnes animi maſculorum, vniantur maſculis fœminarum fœminis, an promiſcue, & vtrum animæ Gallorum vnientur Gallis, an potius Hiſpanis, vel Italis, & alia ſimilia nugamenta, ad hæc enim, cum pertineant ad animæ ſeparatæ ſtatum, qui naturali lumine, etiam ipſo confitente, cognoſci non poteſt; Philoſophus reſpondere non debet. Verum, quia hæc ſententia de animorum regreſſu, quamuis Ariſtotelis doctrinæ, & principijs, non repugnaret, falſa omnino eſt, in vera Philoſophia. Propterea aliam ad argumentum, afferimus reſponſionem, quam etiam ante attulimus, & dicimus, infinitum actu, quod Ariſt. impugnauit, & contradictionem inuoluit, eſſe infinitum in materia, hoc eſt, in quantitate continua, de quo principaliter Ariſtot. *3. Phyſicorum*, loquutus fuit, & quamuis, ibidem impugnauerit etiam infinitum, in quantitate diſcreta, quod pariter fecit, *11. Metaphyſicorum*; Tamen hoc nihil prohibet, quin dari poſſit infinitum actu, in rebus immaterialibus, hoc eſt, nullam materiam, & quantitatem participantibus, neque ſenſibilem, vt ſunt naturalia, neque intelligibilem, vt ſunt Mathematica, quod Ariſtoteles non negauit; ſed indeciſum reliquit, eodem libro *3. Phyſic. part. 39.* his verbis. *Sed fortaſſe, hæc quidem eſt, vniuerſalis quæſtio magis, ſi contingit infinitum, & in Mathematicis eſſe, & in intelligibilibus, & his, qua nullam habent magnitudinem, nos autem conſideramus, de ſenſibilibus.* Argumenta

menta vero omnia, quæ Aristoteles attulit, tum *lib. 3. Physic.* tum *lib. 12. Metaphys.* non auferunt infinitum, nisi de quanto, & continuo, & discreto; non autem destruunt infinitum, quod potest esse in non quanto, qualia sunt intelligibilia, & omnino separata à materia. quæ statuebantur principia à Pytagoricis, de quibus indecisum reliquit Aristot. si sunt infinita actu, necne; & quamuis dicat, non posse dari infinitũ, proprie dictum; nisi in quanto, quod enim non est quantum, est indiuisibile; tamen hoc, non est verum, nisi de infinito, accepto in rebus Physicis, aut Mathematicis, quæ non abstrahunt à quanto, aut sensibili, aut intelligibili; nihil autem prohibet in rebus immaterialibus; intelligere infinitum, sine quanto, veluti enim multitudo, est quodam accidens, quod potest esse in quanto, & non quanto; ita, & infinitum potest esse in quanto; & hoc non est actu; sed potestate, siue sit in quanto continuo, siue discreto, & in non quanto. & hoc potest esse actu. Quod autem multitudo possit esse, etiam in non quanto; non solum docuit Aristoteles *5. Metaphys. cap. de quanto*, vbi dixit: *Multitudo igitur quantum quid, si numerabilis est*, ergo multitudo non est aliquid quantum, si non est numerabilis, sola igitur illa multitudo est quanta, quæ est numerabilis, ita vt, multitudo sit genus, quod continet finitum, & infinitum, aliàs non daretur infinitum potestate, quod nihil aliud est, quam multitudo interminata eorum, quæ possunt esse, & non sunt; & ita multitudo, est accidens, cui repugnat infinitũ; non ratione sui; sed ratione subiecti, in quo est, quare omnis numerus, est multitudo numerata, quia omnis numerus, est aliquod quantum discretum, aut sensibile, aut intelligibile, omne autem quantum est terminatum; verum etiam, hoc est manifestum, quia intelligentiæ quamuis sint omnino immateriales, & nullo pacto, quantitatem participent, nec sint quantæ, nec virtutes, in quanto, vt Arist. *8. Physic. & 12. Metaphys.* demonstrauit; tamen sunt multę, & quamuis ipsarum multitudinem, nos nisi ex multitudine orbium cognoscamus; tamen hoc est, ex defectu nostri intellectus, non autem, ex ipsarum natura, quod dependeant à materia, vel aliquo pacto, participent quantitatem. & ita argumentum Aristotelis, quo impugnat infinitum actu, non concludit nisi de infinito, in quantitate existente, nam tali pacto arguit. Omne, quod est numerabile, potest pertransiri.

Omnis numerus, est numerabilis
Ergo omnis numerus, potest pertransiri
Sed, quod potest pertransiri, non est infinitum
Ergo nullus numerus, est infinitus.

Dictum

Digitized by Google

Dictum autem est, numerum esse multitudinem quantam; concludit ergo hoc argumentum, non dari infinitum actu, in multitudine quãta, non autem in multitudine non quanta; qualis foret, multitudo animarum separatarum; si species esset æterna. Videtur autem hoc argumentum nobis efficacissimum, & insolubile, ex debilitate nostri intellectus, qui cum non possit aliquid comprehendere, nisi sub certis terminis, non potest intelligere infinitum actu; quemadmodum, neq; perpetuam durationem, totam simul; sed vix cum successione, & motu, non autem valet argumentum; intellectus noster non valet comprehendere infinitum actu. Ergo à parte rei, infinitum actu, nõ potest dari, multa enim alia sunt, quæ intellectus noster non potest capere, & tamen sunt. Quare optime S. Thomas *1. par. summæ, quæst. 7. art. 4.* efficaciam huius argumenti deduxit, ex comprehensione, intellectus diuini; omnium opificis, & creatoris. Dicit enim, quod multitudo, actu infinita, non potest dari, quia omnis multitudo, in rerum natura existens, est creata, & omne creatum, sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur. Sed hoc argumentum est Theologicum, non autem Physicum, aufert enim hoc argumentum, non solum infinitum actu, verum etiam infinitum potestate, quia nihil esse potest, tam magnum diuisibile, quod à diuina notitia non comprehendatur, & secundum totum, & secundum partes, tam actuales, quàm potentiales, & nihil est in potentia, vel futurum, quod in mente diuina, nõ sit actu, & præsens; quare etiam si mundus foret æternus à parte ante, & à parte post, & motus cœli foret pariter æternus, omnes circulationes, tam præteritæ, quam futuræ essent à Deo Opt. Max. vnico intuitu comprehensæ: ex fundamento igitur prædictæ rationis, nullũ datur infinitum, neque actu, neque potestate, quod tamen conceditur à Physicis, qui non transgrediuntur naturæ limites; posset itaque Deus facere aliquam multitudinem, puta animarum, quæ etsi ab ipso esset comprehensibilis, à nobis tamen esset incomprehensibilis; & ita esset infinita, apud nos, quemadmodum dicimus, de continuo, quod est diuisibile, in infinitum potestate, non actu, non quia partes proportionales, actu non sint incontinuo, ita enim continuum non esset ens, totum cum nihil aliud sit, quam suæ partes, simul iunctæ; sed quia in ipsas actu, non diuidetur, quamdiu enim est continuum, necesse est, vt ipsius partes sint simul iunctæ, & implicat contradictionem, esse continuum, & eius partes, esse diuisas. Esse igitur infinitũ, nihil repugnat, vt sit cum multitudine; sed tantum, vt sit, cum aliqua multitudine; scilicet numero, cum numerus sit multitudo quanta, & terminata,

nata, quapropter S. Thomas *quodlibeto 12. art. 3.* dixit infinitum actu, non implicare contradictionem, nisi ex eodem capite, quo dixerat prima parte summæ, nempe ratione modi, quo Deus agit, quia Deus, agit, per suum intellectum, & per verbum, quod est formatiuum, omnium, vnde oportet, quod omnia, quæ agit, sint formata, infinitū autem accipitur, sicut materia, sine forma, & *quodlibeto 9. art. 1.* inquit, quod infinitum, non repugnat facto, in quantum factum, quia etsi aliqua creatura esset actu infinita, tamen non adæquaretur creatori, cum creator, sit simpliciter, & vndequaque infinitus, creatura autem, non; quia secundum aliquod potest esse finita, quamuis, secundum aliud, sit infinita, neque repugnat huic facto, in quantum est, hoc factum, quod est, ens in actu, vt etiam extimauit Algazeles. Quamuis vero in fine, eiusdem articuli, hanc Algazelis sententiam impugnauerit, & auctoritate Auer. & ratione, statuens, infinitum, in actu, nō posse dari, nec per se, nec per accidens, tamen illam non impugnauit, nisi in rebus quantis, non autem in rebus, non quantis, vt patet, ex eius verbis, inquit enim. *Sed contra commentator dicit, quod in actu esse non potest, neque infinitum per se, neque infinitum per accidens, in potentia vero inuenitur infinitum per accidens; sed non infinitum per se, & sic secundum actum, esse infinitum, omnino repugnat ei, quod est, esse in actu, & hoc verius esse videtur, non enim potest esse actu, in rerum natura, aliquid non specificatum, ad diuersas species, indifferenter se habens, quamuis enim intellectus concipiat animal, non specificatum rationali, vel irrationali differentia; non tamen potest esse actu animal, quod non sit rationale, vel irrationale, vnde secundum Philosophum, non est in genere, quod non est in aliqua eius specie, vnaquæque vero quantitas, specificatur per certam terminationem quantitatis, sicut multitudinis species, sunt duo, vel tria, & sic de alijs, & magnitudinis species, sunt bicubitum, & tricubitum, & huiusmodi, vel secundum aliquam determinatam mensuram, vnde impossibile est, sic inueniri, aliquam quantitatem, in actu, quæ non sit proprijs terminis limitata, cum autem infinitum, congruat quantitati, & dicatur infinitum per termini remotionem, impossibile erit infinitum, esse in actu propter quod dicit Philos. in 3. Physic. text. 17. quod infinitum, est sicut materia, non specificata, seu sub priuatione existens, & quod se habet magis in ratione partis, & contenti, quam totius, & continentis, & ideo sicut Deus non potest facere, equum rationalem, ita non potest facere, ens actu esse infinitum.* Firma igitur remanet eiusdem responsio, quam approbauit *2. contra gentes cap. 81.* quod in rebus immaterialibus, infinitum per accidens dari, nihil prohibet, cuius rei exemplum afferre licet, si enim mundus fuisset ab æterno, & Sol ab æterno illuminasset aërem

suis

Digitized by Google

ſuis radijs, vt nunc illuminat, producendo illos in aëre, eſſent infiniti radij actu, probatur ſequela, nam quotidie, Sol, accedens ad emiſpherium, producit nouos radios, qui tamen, non pereunt ipſo recedente, & vmbra terræ interpoſita, quia lux, non habet contrarium poſitiuum, à quo, poſſit deſtrui; ſed vel recipiuntur in alio diaphano, vt in aëre, alterius emiſpherij, vel, dato, quod non eſſet, aliud diaphanum, iterum, reuocarentur, ad primum lucidum, à quo proceſſerunt, tamquam ad ſuum fontem, quod nullum eſſet inconueniens, quia lux, & radius, ſua natura, ad aliud ordinantur, ſcilicet, vt ſint diaphani actus, & perfectio, & ita, poſito, quod infinities, corpus lucidum Solis, factum fuerit præſens diaphano, infiniti fuerunt producti radij, qui poſtmodum, impediti, ne recipiantur in diaphano, in ſuum fontem reuocati fuerunt. Ita poſſet aliquis dicere, de animabus, quod cum animæ ſui natura, ſint actus corporis, à primo intellectu, & prima cauſa, tamquam à ſuo fonte potuerunt, infinitæ manare, & diſtinctæ, inter ſe, prout, fuerunt genita, infinita corpora humana, in quibus recipi apta ſunt, corruptis autem ipſarum corporibus, in ſuum principium reuocatæ, non diſtinguuntur, niſi per illam aptitudinem, quam habuerunt, ex diſtinctione numerica corporum, quibus fuerunt vnitæ, admonitum autem volo, beneuolum Lectorem, quod hæc dicta ſunt ad exemplum, in exemplis autem, non eſt requirenda identitas; ſed ſimilitudo, quæ ſatis eſt, vt non ſit improportionata, & maxime, in re tam obſcura. Si ipſe aliud melius excogitauerit, libenter accipiam, & agam gratias. Certum autem eſt, hoc ex rei veritate non quadrare animabus humanis, quia non poſſunt redire in ſuum principium.

Hoc autem, eſt vere illud infinitum actu, per accidens, in rebus immaterialibus, de quo dixit Algazeles, quia enim infinita corpora, humana generarentur, & corrumperentur, ſi æterna eſſet ſpecies, infinitæ animæ producerentur, & ſepararentur, ſi eſſent immateriales, quæ cum non eſſent corruptibiles, contingeret, ipſarum multitudinem, eſſe infinitam actu, quemadmodum, ſi quis opponeret Soli, infinita ſpecula, vnum poſt aliud, & deinde, illa frangeret, reciperentur in illis ſpeculis infiniti radij à Sole producti, qui tamen prædictis ſpeculis confractis, non perirent, neque remanerent, actu infiniti, in ſuo fonte, niſi ſecundum illam aptitudinem, qua fuerant recepti, & diſtributi, in infinita ſpecula, ita vt, poſſent iterum produci, & recipi, in infinitis ſpeculis alijs, ſi darentur. Quod autem, infinitum, poſſit dari, abſque quantitate, continua, vel diſcreta, quod ab initio

Digitized by Google

ſuppoſuimus, & etiam probauimus, & ex conſequenti, reperiri, in rebus immaterialibus, Ariſtoteles, non negauit *3. namque Phyſicorum* cũ vellet probare, infinitum ſeparatum à ſenſibilibus, hoc eſt, infinitum, immateriale, quale eſt, quod nunc à nobis ſupponitur, & à Pytagoricis, eſſe rerum omniũ elementum dicebatur nõ dari. Ita arguit *tex. 35. & 36.* Si infinitũ ſeparabile eſt à ſenſibilibus, & neque eſt magnitudo, neque multitudo, tunc aut erit ſubſtantia, aut accidens, ſi erit ſubſtantia, tunc erit indiuiſibilis, nam ſubſtantia, vt ſubſtantia non eſt diuiſibilis, eſſe enim diuiſibile, competit illi per accidens, ratione quantitatis, & ita quicquid eſt diuiſibile, aut erit magnitudo, aut multitudo; Quod ſi infinitum eſt indiuiſibile, non eſt infinitum, niſi improprie, vt eſt vox inuiſibilis. Si autem infinitum, eſt accidens, tunc ipſum non erit elementum eorum quæ ſunt, vt dicunt Pytagorici; ſed potius, id cui accidit, vt inuiſibile non dicitur ipſum elementum, locutionis; ſed vox cui accidit inuiſibile; locutionis eſt elementum. Hæc argumen-mentatio, ſi bene conſideretur, negat infinitum, vt infinitum eſt, eſſe ſubſtantiam, vt ſubſtantia eſt; quemadmodum exiſtimabant Pytagorici, qui dicebant infinitum, vt infinitum, eſſe ſubſtantiam, & hoc infinitum, eſſe elementum, & principium omnium. At ſi infinitum ſumatur, vt accidens, non negat Ariſt. poſſe alicui enti competere; ſed negat tantum, illud infinitum, quatenus infinitum, eſſe rerum principium; potius enim principium, eſt res illa, cui accidit infinitum, vt elementum locutionis, non eſt inuiſibile; ſed vox cui accidit, vt ſit inuiſibilis. Concedit ergo Philoſophus, dari aliquod ens, cui competat, infinitum, tamquam accidens, ſiue dari aliquod ens infinitum, ſecundum accidens. Hoc ſuppoſito. Ita arguo, hoc ens infinitum, ſecundũ accidens, nõ eſt quantitas, nã nulla quantitas eſt infinita, neq; eſt ſubſtãtia quanta, ob eandem rationem, neque poteſt eſſe qualitas, aut aliquod aliud prædicamentorum, quia ſola ſubſtantia eſt ſuppoſitum accidentium, neque ſine ſubſtantia, alia poſſunt eſſe prædicamenta. Ergo erit ſubſtantia non quanta, talis autem eſt immaterialis. Ergo ex Ariſt. ſententia, infinitum dari poteſt in rebus immaterialibus; ſed dicet aliquis poteſt dari infinitum potentia, non autem infinitum actu. Contra; Infinitum potentia, eſt, aut appoſitione; aut ſubtractione, vel diuiſione; omne autem tale, eſt cum materia. Ergo in immaterialibus, non poteſt dari tale infinitum. Quod ſi iterum aliquis dicat. Infinitum poſſe accidere alicui enti, fuiſſe conceſſum ab Ariſtotele, ex ſuppoſitione Pytagoricorum, quaſi diceret. Suppoſito, quod infinitum,

Digitized by Google

tum sit accidens, quod alicui enti contingat, tunc non infinitum; sed illud cui contingit, erit rerum elementum.

Respondeo, quod etiam si hoc sit verum, tamen Aristoteles non impugnauit infinitum, in rebus immaterialibus, nam ratio qua probauit, substantiam non posse esse infinitam; si est indiuisibilis, non concludit, de rebus immaterialibus; nam si illud *Indiuisibile* accipiatur, vt dicit negationem illius diuisibilitatis, quæ competit continuo, verum est, quod substantia, quæ non est quanta, non est diuisibilis, & ex consequenti, non potest esse infinita, illa infinitate, quæ includit talem diuisionem partium; Si autem *Indiuisibile* accipitur, vt dicit negationem pluralitatis, seu multitudinis; falsum est, quod accipitur, substantiam non quantam esse indiuisibilem; hoc est, nō multiplicatam, substantiæ etenim, immateriales, non sunt quante, & tamen, sunt multiplicate, vt patet, de intelligentijs, & ita, cum possint esse diuisibiles, seu multiplicatæ, nihil repugnat, vt possint esse infinite. Quia autem Petrus Pomponatius *lib. 1. Apologiæ cap. 12.* ad impugnandam hanc positionem, contra Contarenum, inquit, argumentum Arist. *3. Physic. tex. 37.* destruere, omne infinitum, vniuersaliter, tam in rebus materialibus, quam in immaterialibus, propterea, & illud considerabimus, & primo dicimus, falsum esse, quod eodem medio, vtatur Arist. ad destruendum infinitum, in materialibus, & in abstractis, nam, hoc argumento, vtitur Aristot. si datur infinitum actu, aut est diuisibile, aut est indiuisibile, si est indiuisibile, non est proprie infinitum, si autem, est diuisibile, tunc quælibet pars infiniti erit infinita, & ita erūt plura infinita, hoc autem, est impossibile, quia infinitum, omnia cōtinet; quod autem, quælibet pars infiniti, esset infinita, Arist. probat, quia, in toto similari, partes sunt eiusdem rationis, cum toto, vt quælibet pars aeris, est eiusdem rationis, cum toto aere, & est. aër, ita & quælibet pars, infiniti, est infinita, quod si, ita Aristoteles arguit vt apud ipsum, est legere, quis non videt, ipsum fuisse vsum, medio, quod coucludit, tantum contra infinitum materiale, esse enim, totum similare, est esse totum materiale. Secundo, hæc ratio est probabilis, & Logica, non enim omne totum est similare; sed est etiam totum dissimilare, & infinitum posset esse totum dissimilare, atque ita argumentum corruet. Præterea falsum est, quod pars infiniti, sit infinita, eo enim, quod aliquid est pars; dicitur finitum, nam si omne totum, est maius sua parte, & infinitum, est maius finito, cum totum sit infinitum eius pars necessario erit finita. Ita autem potest formari argumentum.

Digitized by Google

Omne totum est maius sua parte
Sed omne infinitum, est totum, vt Arist. supponit.
Ergo omne infinitum, est maius sua parte
At infinito, non datur aliquid maius
Ergo pars infiniti, non est infinita.

Probatur sequela, quia tunc infinito, esset aliquid maius.

Patet igitur, rationem hanc esse apparentem, quod cognouit, & confessus fuit Aristoteles, & propterea sequenti capite, hanc rationē, & alias vniuersaliter factas, contra infinitum, appellauit Logicas.

Quod si huiuscemodi responsiones, hucusque allatæ quibusdam pertinacibus, & agrestioribus viris, non placeant, quia veluti Hebræi, nisi numerata sibi pecunia, aut dato pignore, nolut credere, ita neque & ipsi nisi assignatis sibi, sensatis rationibus persuaderi volunt. Aliam afferemus responsionem, ex Scoto *2 senten dist. 1. quæst. 3.* quod potuit scilicet esse homo ab æterno, & tamen non generasse, nisi in tempore, & ita non essent infinitæ animæ; sed finitæ, quod si quis instet, absurdum esse, aliquod viuens perfectum, ab æterno fuisse, & non generasse, quod, est opus maxime naturale viuentium, ad hoc dicit, quod non fuisset homo ab æterno productus, maioris perfectionis, quam Deus, & tamen nullum absurdum est, apud Theologos, Deum ab æterno fuisse, & produxisse mundum de nouo, Igitur nullum absurdum esset, secundum veram Philosophiam, fuisse hominem ab æterno, & non genuisse, nisi in tempore. Possumus etiam aliter respondere, ex concessis ab aduersario, quod ex Doctrina Aristotelis, & Platonis, & Auicennæ, & aliorum quam plurium naturalium Philosophorum, quamuis mundus fuisset æternus, non tamen, species humana, fuisset æterna, & ratio est, quia potuit, desinere, esse, & rursus, incepere esse, multoties, & ita, etiam si animæ superstites sint, post mortem, non est necesse, esse infinitas, quod autem sæpius, possint homines omnes interire, ostendit Plato, in Timeo, per Sacerdotem illum, Ægyptium, qui dicebat, Soloni, multa, & varia, hominum exitia fuisse, & futura esse, maxima quidem, aut ignis, conflagratione, aut aquæ inundationibus, minora vero, alijs quibuslibet, calamitatibus, & quamuis, paulo infra, dicat, in regionibus, temperatis, semper homines extare, etsi alias plures, alias pauciores, tamen, nihil prohibet, maximis illis mutationibus, omnes interire. Rursus vero incipere posse, etiam sine semine, ex terra, & calore Solis, idem Plato, non solum, in Menexeno, concessit, verumetiam, in hoc eodem Timeo, dum prædictus sacerdos, inquit; Deam Athenien-

Digitized by Google

nensium, condidisse ciuitatem, accipiendo, semina, ex terra, & Vulcano, quam eandem sententiam, constat, sequutum fuisse, Aristotelem & *10. part. problematum, problemate 15. & 64.* & *2. Politico.* & Auicennam in libro de Diluuio, & quamuis Auerroes, hoc esse falsum, & impossibile, contra Auicennam, multis argumentis, ostendat. Tamen, Petrus Pomponatius *2. apologiæ lib. cap. 7.* hoc totum, non solum concedit fieri posse, ex Aristotelis sententia, verum etiam, multis rationibus, probat, Auerrois argumenta non concludere. Quare si confitetur, ex Aristotelis sententia, posse, totam humanam speciem, perire, & rursus, cœli, & siderum calore, in magnis ipsorum coniunctionibus, ex terra generari, ergo necesse est, concedat, etiam posita mundi æternitate, iuxta Arist. doctrinam, non fore, animas hominum infinitas licet hoc totum merum figmentum sit. Et hæc, pro mei ingenij tenuitate grato animo, beneuolus Lector, accipiat. Quod si, plene, non satisfecerint; meminisse debet, me esse hominem, quinimmo, inter homines, minimum, & ab hominibus, humanas rationes, requirendas esse, & quamuis, dequibusdam, enunciare aliquid, tentare, & de omnibus, & prætermittere nihil videbitur vtique, esse signum, aut multæ amentiæ aut multæ promptitudinis, vt Aristotoles dicebat, *2. de cælo tex. 34.* Non tamen, iustum est, omnes similiter, increpare; sed videre oportet, causam dicendi, quæ nam sit, præterea, quo pacto, se habeat, in credendo, vtrum, humano modo, an validius. Certiores igitur necessitates, quando quis, fuerit assecutus, tunc gratiam habere oportet, inuenientibus. Nunc autem, id quod videtur, dicendum est, vt idem Aristoteles, eo pariter loco dixit. Hoc tamen est certum, nobis Christianis qui credimus, mundum incepisse, & desiturum esse, hoc argumentum, nullum negocium facere, vt bene S. Thomas dicebat *2. contra gentes cap. 81.* & hæc pro difficillimi huius argumenti solutione.

Soluuntur reliqua argumenta, simul cum præcedente allata. Caput XI.

REOTERAT equidem, cæteris argumentis, ea responsio satisfeciisse, quam secundo loco attulimus, quod ea, scilicet, quæ ad alium animi statum pertinent, ad Philosophum, non spectant; sed alterius scientiæ, superioris ordinis, opem requirunt. Tamen, vt Aduersarijs sit integre satisfactum, decreui, &

Digitized by

ipsis præcisè, ac specialiter respondere. Erat aliud Pomponatij argumentum. Si anima, post mortem remanet, aut corpori iterum vnietur, aut non, vtrumque dicere, est absurdum. Ergo non remanet, probatur sequela, nam si nunquam reunietur corpori, tunc aptitudo, quam habet ad corpus, & potentia, sensitiua, ac vegetatiua, erunt semper otiosæ; aut iterum vnietur, & tunc, incidemus in fabulas Pytagoricas. Et quia Cardinalis Contarenus, in responsione, ad hoc argumentum, dixerat, non posse nos lumine naturali, alterutrum, ex propositis, quæsitis, certo scire; sed posse probabiliter, vtramque partem sustinere ex Arist. sententia, quemadmodum, & nos etiam, ante affirmauimus, propterea, contra hanc responsionem, obijciens Pomponatius *1. Apologiæ cap. 5.* Ita argumentatus fuit. Si hac de re, naturali lumine, homo certus esse non potest, tunc incertus erit, de suo fine, & ita erit deterior cæteris animalibus, quæ, in suo fine quiescunt, quod est, valde absurdum, probatur sequela maior, nam si quis dicat, hominem esse certum, de suo fine, quod scilicet, aliquando, si iuste vixerit, fruetur beatitudine, tunc arguitur, aut de hoc erit certus futurum esse, anima vnita existente corpori aut ipsa separata, neutrũ fieri potest, nam hominem perfecta frui felicitate, in hac vita, & anima, vnita existente, corpori; nemo dixerit, cum in hac vita, quilibet innumeris prematur calamitatibus, neque post mortem, illa poterit potiri, cum non sit vnita corpori, & non possit dici, perfecta fecilitas, quæ non est, totius; sed partis, tantum, vel vtrumque sequetur contradictorium, scilicet, quod certus erit, ita fore reuniendam, vt nunquam sit separanda, & ita fore separandã, vt numquam reunietur, aut semper erit dubius, & anceps de sua felicitate, & infelicitate, si enim coniuncta, est felix, non erit certus, de illa felicitate, quia separata, ipsam amittet, ac pariter, si separata, est felix, neque de ipsa, erit certus, quia coniuncta, eadem priuabitur, hoc autem auctoritate S. Augustini confirmauerat, qui *12. de ciuitate Dei*, contra aliquos Philosophos, huiusmodi etiam argumentatione, vsus fuerat, & idem incommodum, ex eorum sententia, deduxerat, his verbis. *Quomodo enim, vera beatitudo est, de cuius numquam æternitate cõfiditur, dum anima, venturam miseriam, aut imperitissime, in veritate, nescit, aut infelicissime, in beatidudine pertimescit.* Et ita, Petrus Pomponatius, primam Contareni responsionem, confutauerat, videlicet illã, qua dixerat, non esse nos certos, vtrum anima separata, iterum vnietur. Ad quæ dicimus, concludere totam ipsius argumentationem, suppositis principijs fidei, & ex vera Philosophia, non autem, lumine

natu-

Digitized by Google

naturali tantum, & ex Ariſtotelis Doctrina, ſi enim ſupponamus, animam eſſe vnam ſubſtantiam, & formam, quæ habeat, diuerſas potentias, tum vegetatiuam, & ſenſitiuam, tum intellectiuam, & hãc, tamquam alteram partem eſſentialem, compoſiti, habere eſſe imperfectum extra corpus, nec poſſe frui, perfecta felicitate, ſeparatam à corpore, vt ſupponit Pomponatius, tunc optime concludit argumentum, at vero talia ſunt nota nobis, lumine ſupernaturali non autem lumine naturali, cum ſupponãt reſurrectionem mortuorum, quæ eſt Articulus fidei, quod ſi quis dicat, nos etiam libro præcedente, & lumine naturali, & ex Ariſt. doctrina, demonſtraſſe animam rationalem, eſſe formam informantem, & ex conſequenti, eſſe alteram partem eſſentialem compoſiti. Ad hoc dicimus, nos ſtatuiſſe quidem, & probaſſe tali pacto, animum noſtrum, eſſe formam informantem, itaut det eſſe ſubſtantiale compoſito; ſed non ſecundum omnes conditiones, quas ſtatuunt Sacri Theologi, quia naturalis Philoſophia, cum ſit inferioris ordinis, non poteſt pertingere, ad omnia ea, quæ docet Theologia, Sacra autem Theologia docet, quod anima rationalis, quãuis ſeparata, à corpore exiſtat, tamen nõ habet perfectũ ſtatũ, quia ſemper cupit, vniri corpori, & eſſe coniuncta, cũ corpore, tamquam ſine ipſo integre, non poſsit eſſe beata, quod non docuerũt, gentiles Philoſophi; ſed Beatus Apoſtolus Paulus, *2. ad Corinthios cap. 5.* inquiens *nam, & qui ſumus, in hoc tabernaculo, ingemiſcimus, grauati, eo quod nolumus expoliari; ſed ſuper veſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt, à vita*, quæ verba exponens S. Ioannes Chryſoſtomus, inquit, hoc velle, Apoſtolum ſignificare, ſcilicet, quod propterea ingemiſcimus, dum ſumus, in hoc tabernaculo, hoc eſt mortali corpore, illud deponere, ab ipſo grauati, non quod abſolute, velimus à corpore liberari, nemo enim ſine mœrore, ipſum deponit, quare, neque ego hæc dico, ait Apoſtolus, quod propter hoc ingemiſcimus, vt illud deponamus; ſed vt ſuperinduamur, hoc idem corpus, in incorruptionẽ, etenim hoc eſt, quo in corpore, grauamur, non quod corpus; ſed quod corruptibile, & paſſibile corpus circumferimus, hoc ſcilicet eſt, quod nobis dolorem affert; verum vita futura corruptionem abſumit, & aufert, corruptionem inquam, non corpus, hæc Diuus Paulus, & Chryſoſtomus, ex quibus patet, nos ex fide cognoſcere, quod anima appetit, vniri corpori, neque poterit ſemper eſſe à corpore ſeparata, vt ſit perfecte felix, non autem lumine naturali tantum, aut ex principijs Ariſtotelis; quamuis enim, ex principijs Ariſtotelis, habeatur intellectum dare eſſe corpori, & eſſe formam informantem, quatenus, eſt pars animæ, quæ

informat corpus, tamen non habetur, quod talis intellectus, separatus existens, necessario reunietur, cum in suo esse, non dependeat à corpore, & habeat, operationem, sine corpore, scilicet, intelligere, quæ est perfectissima, eius operatio, vt sepius ostendimus, quod si, *10. Ethicorum*, dixit Philosophus, perfectam hominis felicitatem, in hac vita, esse intelligere, & *12. Metaphysic.* esse eandem operationem, quæ Deo quidem, peremnis est, nobis vero, in hac vita exiguo tempore perdurat. Quomodo, non putabimus, eum dicturum fuisse, felicitatem perfectam, fore animis, à corpore separatis, cum præsertim, primo de anima, non improbet illorum sententiam, qui dicebant, melius esse, intellectui, esse separatum, à corpore, quam cum corpore. Concludit igitur argumentum Pomponatij, veluti etiã concludit illud, S. Augustini, ex vera Philosophia, & suppositio principio fidei, non autem, ex sententia Aristotelis, de qua disputatur: Neque propterea, quod dicimus ex Arist. sententia animum, posse esse, perfecte felicẽ, etiam si corpori iterum non vniatur, negamus posse probabiliter sustineri, ex eiusdem sententia, eius reunionem nam & si, priuabitur illa felicitate contemplatiua ad tempus, tamen acquiret perfectionem, ex alijs operationibus, quas exercet in corpore, vt intellectus practici, & principij motiui, & deseruiet ordini vniuersi, ac summo rerum omnium auctori, quod felicitas est, & dum corpori vnitur, hominem constituit, qui omnium, quæ infra cœlum sunt, est nobilissimus, & vt Arist. ipse dixit *2. Physic. tex. 24.* est quodammodo, cunctorum finis. Quod vero Pomponatius deducebat, si dicamus animum separatum, numquam amplius corpori vniri, tunc dicere oportebit vegetalem, & sensitiuam, frustratioras, fore, quia semper vacabunt ab opere. Iam ante solutum fuit, aut enim diceret, peripateticus, ipsas nõ remanere, sed solum intellectum, aut si remanent, quod verum est, secundum ipsarum radicem, & fundamentum, non sequitur esse frustra, quia, & si in posterum vacabunt, tamquam functæ, officio suo, tamen ante non vacauerunt; sed fuerunt, ad actum redactæ, neque si iterum vnientur, illa sequentur absurda, quæ ante dicebamus Pomponatium deduxisse, non enim, talis reunio, dicetur resurrectio, vt ante monstrauimus, neque necesse est, animum separatum, statim, vniri corpori, ac non posse, vnum hominem mori, nisi alius statim nascatur, cum animus tamquam forma separabilis, aptus sit, aliquo tempore, esse in corpore, & aliquo alio, extra corpus, neq; esset impossibile, etiam si statim, oporteret vniri, occiso aliquo exercitu, in vna mundi plaga, in alia æquiualentes homines generari vel

etiam

etiam in toto mundo, cum generatio, & corruptio, ſemper fiant, & tamquam in fluuio fluentibus aquæ partibus, nouæ ſemper ſuccedãt, neque aſſignare neceſſe eſt certa corpora, Gallorum vel Hiſpanorum, fœminarum, vel maſculorũ, quibus iterum vnietur, quemadmodum neque in generatione neceſſe eſt, aſſignare vnam partem potius, quam aliam materiæ, quæ actuetur à forma; ſed indifferenter quælibet forma poteſt quamlibet partem primæ materiæ occupare, antequam agens certas diſpoſitiones producat, pro certis formis. Ita etiam dicendum erit de regione, quod non magis in Italia, quam in Germania; ſed vbicumque homo, & Sol generauerint corpus aliquod, aptum animo humano, illud animus quilibet poterit informare, & potiſſimum intellectus, qui non eſt actus corporis, niſi vt pars animæ, & cum qualibet anima, poteſt quodlibet humanum corpus, informare. Quæ omnia, quamuis falſa ſint, ſi vere velimus philoſophari, tamen poterit, peripateticus aliquis ſine incommodo Pomponatio reſpondere. Erat aliud argumentum, ſi anima poſt ſeparationem, manet profecto, cum non ſit dicendum, ipſam feriari, intelliget, non cum phantaſmatibus, quia phantaſia iam perijt, ergo ſine. Alium igitur ſeparata habebit operandi modum, ergo alium modum eſſendi, non ergo eadem erit anima, quæ erat coniuncta. Huic egregie reſpondit Contarenus, libro primo circa medium, & inquit. Diuerſum modum operandi eſſentialiter ſumptum arguere, diuerſum eſſendi modum, in rebus eodem modo ſe habentibus. At vero diuerſũ operandi modum, accidentaliter acceptum, non arguere diuerſum modum eſſendi, & maxime in rebus diuerſo modo ſe habentibus. Vt verbi gratia. Natura diuerſum habet modum operandi, in elementis extra ſuum locum exiſtentibus, & in proprio loco, nam terræ, ſi fuerit extra centrum, erit principium grauitandi, ſi autem in centro, quieſcendi, quies autem, & motus non ſolum ſunt diuerſæ operationes; ſed contrariæ, & tamen eadem eſt natura, neque terra habet diuerſam eſſentiam, mota, & quieſcens. Ita etiam Embrio, dum eſt in vtero, habet diuerſam operationem vegetandi ab ea, quam habet extra, nam in vtero ſumit alimentum per vmbilicum, nec vtitur, proprijs organis, extra autem nutritur per os, & proprijs vtitur organis, & tamen non habet diuerſam eſſentiam. Hoc etiam de noſtro intellectu, dicendum eſt, nam quoad eius operationem eſſentialem, quæ eſt intelligere, per aliquam ſpeciem, ſemper habet eundem modum operandi, quia tam coniunctus, quam ſeparatus intelligit per ſpeciem, & ita ſemper habet eandem eſſentiam, quantum vero, ad id,

quod

quod accidentale eſt eius operationi , ſcilicet accipere ſpeciem à phantaſmatibus, vel aliunde , diuerſo modo ſe habens, diuerſam habet operationem, coniunctus videlicet, & ſeparatus, quomodo autem ſeparatus intelliget, vtrum ſe ipſum intuendo, vel alias ſeparatas mentes, Philoſophus naturalis non percipit, vt dictum eſt. Aliud quoque argumentum, quod affert Pomponatius, valide confirmat ſententiam noſtram. Inquit enim exinde probari, quod lumine naturali, non poſſit cognoſci immortalitas animæ noſtræ . Quia omnes opiniones, quæ ſtatuerunt animam immortalem, vt Homeri, Heſiodi, Pytagoræ, Platonis, Virgilij , & aliorum ſunt fabuloſæ, & falſæ, & impoſſibiles. Ex hoc autem colligitur, verum eſſe, quod dicebamus, lumine naturali poſſe à nobis cognoſci, quod anima ſit immortalis , omnes enim prædicti hoc , lumine naturali cognouerunt, & in hoc eorum opinio, non fuit fabuloſa, aut falſa , quinimmo veriſſima; ſed reliqua, quæ ad hanc veritatem conſequuntur, non poſſunt, niſi lumine fidei, cognoſci. Quod, cum prædicti Philoſophi, & Poetæ non habuerint, in fabulas, & abſurdiſſima figmenta inciderunt . Et hoc eſt , quod Arnobius , contra Philoſophos gentiles affert, quia etſi humana ſapientia, hanc veritatem, cognoſcebat, noſtrum ſcilicet animum, eſſe immortalem, tamen lumine Chriſtianæ fidei carentes, in maxima mala incidebant. Quomodo enim, animus indiſſolubilis, & immortalis exiſtens, à corpore ſeparatus, pœnas & tormenta, poterit pertimeſcere? Aut quomodo iudicem ſuſtinebit, ſi æqua cum iudice eſt immortalitate munitus? ſola autem Chriſtiana pietas docet omnia Diuinæ Maieſtatis Imperio obedire, & corpora, iubente Deo, in incorporea , & indiſſolubilia, agere poſſe, quemadmodum, & vim ſuam , quam alias efficaciſsimam habere , ſua natura conſuerunt ſuſpendere, ac detinere; & ita Petri Pomponatij argumentis , pro mei ingenij tenuitate, ſit ſatisfactum, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei ,& Beatiſsimæ Virginis eius Matris, meæ tutelaris.

Aſſe-

Digitized by Google

Afferuntur argumenta, ex Aristotelis auctoritate desumpta, & ipsis respondetur. Caput XII.

RELIQVVM erit nunc ijs Aristotelis locis respondere, quæ ab aduersarijs afferuntur, quorum aliquibus, etsi ante etiam respondérimus, tamen & iterum conabimur satisfacere. Est autem primus, & vulgatissimus locus apud Aristotelem 1. *de anima cap.* 1. *par.* 12. & 13. vbi cum dubitasset, an passiones animæ omnes essent communes corpori, vel aliquæ esset ipsius animæ propria, tandem *partic.* 12. inquit. *Videtur autem plurimarum nullam sine corpore pati, neque agere, vt irasci confidere, desiderare, omnino sentire, maxime autem assimilatur proprio ipsum intelligere; si autem, & hoc imaginatio quædam, aut non sine imaginatione, non contingit vtique hoc sine corpore esse.* & *partic. sequenti* subdit. *Si igitur est aliqua animæ operationum propria, continget vtique ipsam separari; si vero nulla est, propria ipsius, non vtique erit separabilis.* At vero intellectum humanum non sine imaginatiua esse, nec vllam esse ipsius, propriam operationem *3. de anima part. 39.* idem Arist. expresse docuit, cum dixit, *& ob hoc, qui non sentit aliquid, nihil vtique addiscet, vel intelliget, & cum speculatur, necesse est simul cum phantasmate speculari.* Ergo, humanus intellectus inseparabilis est, nec sine corpore potest esse. Huic argumento vt dictum est, iam ante sæpius satisfecimus, & præcipue in hoc libro, cum aduersariorum argumenta, ex operatione intellectus, deducta soluimus. Possemus etiam, & nunc multa alia afferre; sed vnica tantum contenti erimus solutione, quam ipsemet attulit Pomponatius, & ex ipsismet Arist. verbis eodem loco deprompsit. Vt autem plene intelligatur, supponere oportet; quod multis probat, & declarat Pomponatius 1. *lib. apologiæ cap.* 8. post responsionem ad solutiones argumentorum; multas scilicet propositiones per se, hoc est absolute, & simpliciter sumptas esse necessarias, quæ tamen per accidens, siue secundū quid acceptæ, sunt impossibiles, vt verbi gratia, vt hæ propositiones, continuū est diuisibile ad infinita, omnis motus est continuus; motus est velocitabilis, & tardabilis in infinitum; omnes hæ propositiones per se, & absolute sumptæ, sunt necessariæ, vt Arist. docuit *6. Phys.* quæ tamen secundum quid acceptæ, & per accidens, sunt impossibiles.

biles, probat enim Arist. *8. Physicorum*, nullum continuum quatenus est in materia Physica, posse diuidi in infinitum, cum quælibet res Physica sit determinata, secundum maximum, & minimum, & nullum motum posse in infinitum reddi velociorem, aut tardiorem; ob eamdem rationem; iuxta hanc similitudinem, inquit Pomponatius, potest intellectus humanus per se, & quatenus intellectus, esse seiunctus à corpore, siue potest præcedere, & subsequi corpus, cum nullus intellectus indigeat corpore, vt subiecto; at vero, secundum accidens, & quatenus humanus est, non potest seiungi à corpore; siue non potest, præcedere, aut subsequi corpus. Hæc autem sunt præcisa Pomponatij verba: *Dicimus itaque intellectum, & posse præcedere, & posse subsequi corpus, loquendo de intellectu per se, cum enim nullus intellectus indigeat corpore, vt subiecto, non sibi repugnat, qua intellectus est, & præcedere, & subsequi, veluti omnis motus, qua motus est, potest in infinitum velocitari, & tardari, vt 6. Physic. dicitur; At qua humanus, neque potest præcedere, neque subsequi, cum simul sit, & non sit cum corpore.* Hæc Pomponatius; quibus præsuppositis dicimus, validas esse Aristotelis consequentias, tum primam, *Si intelligere est imaginatio quædam, aut non sine imaginatione, non continget vtique sine corpore esse*; tum secundam, *Si est aliqua animæ operationum, aut passionum propria, continget vtique ipsam separari; si vero nulla est propria ipsius, non vtique erit separabilis.* Sed dicimus esse validas, de intellectu, secundum accidens; non autem per se, & absolute sumpto, & propterea Aristotelem in vtraque fuisse vsum, verbo, contingit: intellectui enim, quatenus intellectus est, non competit esse separabile; sed separatum, vt ipsemet Pomponatius confessus fuit, at illi, hoc competit quatenus est pars animæ, siue quatenus est coniunctus sensui, & ita per accidens. Quapropter bene concludit Philosophus, quod si intelligere est phantasia, aut non sine phantasia, non continget ipsum sine corpore esse; etsi animæ operationum, aut passionum aliqua est propria, continget ipsam separari. Si vero nulla est propria, non erit separabilis; non tamen sequitur ipsam necessario esse separabilem, aut inseparabilem; sed continget separari, & non separari, subdit autem exemplum Arist. Veluti enim recto, multa accidunt, nam recto, inquantum rectum competit tãgere sphæram in puncto; sed tamen actu non tanget, quia rectum semper est in materia, & corpore aliquo sensibili, & ita non possumus absolutè, & necessario dicere, quod recto competit, aut non competit tangere sphæram in puncto; sed quod illi contingit vtrumque, nam recto, inquantum rectum, competit tangere sphæram in puncto; inquantum vero rectum semper cum corpore

quodam

Digitized by Google

quodam eſt, ita non competit. Ita ex eo, quod intelligere, non eſt ſine phantaſia, non ſequitur neceſſario, quod intellectus, non ſit ſeparabilis, à corpore, nam quatenus intellectus, eſt ſeparabilis, cum in eius operatione, non communicet actio corporis vt *2. de generat. animal.* dixit, quatenus vero, eſt pars animæ, & coniunctus corpori, eatenus eſt inſeparabilis, cum ſaltim obiectiue, pendeat à phantaſia, quia autem, hoc illi ſecundum quid, & per accidens contingit, non poteſt eius inſeparabilitatem, neceſſario arguere. Hoc totum vidit Pomponatius, *lib 1. Apologia cap. 6.* poſt reſponſionem, ad ſolutiones argumentorum, & probauit hanc noſtram expoſitionem, tamquam etiam allatam, à Themiſtio; ſed vt ſui moris erat, conatus fuit corrumpere. Deducit enim, ex prædicto exemplo, pro ſua ſententia, mortalitatem & inquit, ex hoc, oſtendiſſe Philoſophum, noſtrum intellectum, ſiue animum, non eſſe ſeparabilem à corpore, re; ſed ratione tantum, veluti enim, rectum, inquantum rectum, eſt ſeparabile, tantum ratione non autem re, ita intellectus noſter, vt intellectus, ſeparabilis eſt, ratione ſcilicet, vt autem humanus, & re ipſa; non eſt ſeparabilis. Talia autem ſunt ipſius verba. *Quod autem vlterius dicit de exemplo, videlicet, quod ita erit de anima veluti de recto perfecto, ſequitur quadratiſsime, ad expoſitionem noſtram, namque ſi humanus intellectus inſeparabilis eſt, à materia ſecundum rem, verum qua intellectus ſeparari poteſt, quoniam intellectus, intelligentiarum, eſt ſeparabilis. Tunc itaque ita erit, de intellectu humano, veluti de recto, quoniam ſicuti, ſecundum rem, rectum non ſeparatur à materia ſenſibili; ſed ſolum intellectu, ſic, & humanus intellectus, quemadmodum dictum eſt. Hanc autem expoſitionem, peſuit Themiſtius, verum ad omnes operationes animæ, hoc accommodauit, quod iudicio meo, eſt aliqualiter dubium, cum cæteræ operationes ab intellectu, & voluntate, includant materiam ſenſibilem, à qua operationes ipſæ abſolui non poſſunt. non ſic autem eſt de intelligere, & velle, veluti, manifeſtum eſt; quare mihi videtur, quod illud dictum reſtringendum ſit, ad animam intellectiuam, & non ampliandum, ad omnes animas. Poſſet, & dici, quod ſi intellectus humanus in intelligendo, non eſt phantaſia, verum indiget phantaſia, tunc partim erit ſeparatus, & partim coniunctus, veluti Mathematica, quoniam ſecundum rationem ſeparantur, non autem ſecundum rem. Prima tamen expoſitio, eſt clarior.* Ita Pomponatius verum Ariſtotelis ſenſum, corrumpere conatus fuit; ſed fruſtra, nam ſi putaſſet Ariſtoteles, intellectum humanum, eſſe inſeparabilem re à materia, non aſſimilaſſet, eum recto, quia tunc, intellectus, cum ſit forma Phyſica, non potuiſſet, dici abſtractus ratione, vt eſt rectum, quod eſt forma Mathematica,

matica, & male ipſe inquit, in ſecunda reſponſione, quod intellectus, poteſt dici, ſeparabilis, ratione, re, autem inſeparabilis, hoc enim non poteſt dici, de formis Phyſicis, quæ ſunt ſicut ſimum, & non ſicut, rectum. Quod ſi intellectus, eſt ſeparabilis, ſecundum rationem, eſt etiam ſeparabilis, ſecundum rem, res enim ita ſe habent, ad eſſe, quemadmodum, ad cognoſci, nec obſtant Mathematica, cum longe diuerſa ſit ratio; Mathematica enim, cum ſint formæ accidentales, quamuis, ratione ſint ſeparabiles, re non poſſunt eſſe ſeparabiles, at intellectus non eſt accidentalis forma; ſed ſubſtantialis. Ad auctoritatem ergo dicitur, quod ex eo loco, non colligitur intellectum, per ſe eſſe inſeparabilem; ſed per accidens tantum, ſcilicet, quatenus eſt in corpore, & eſt coniunctus, cum ſenſu, nec poteſt, ſine ſenſu, intelligere, atque ita intellectus, eſt inſeparabilis, ſiue anima intellectiua, ratione potentiarum ſentiendi, quæ non poſſunt eſſe ſine corpore: Quare ad argumentum, ſi intelligere, eſt phantaſia, aut non ſine phantaſia, non continget, ipſum ſeparari. Tranſeat maior; ſed intelligere, non eſt ſine phantaſia, quia oportet, intelligentem, cum phantaſmate, ſpeculari. Reſpondeo ad hanc minorem, quod hoc, non eſt verum ſimpliciter, de intellectu; ſed de intellectu, quatenus eſt, coniunctus cum ſenſu, hoc eſt cum potentijs organicis. Ergo, non eſt verum ſimpliciter, & per ſe, quod intellectus eſt inſeparabilis: ſed ſecundum accidens, & quatenus ſenſui, qui corruptibilis eſt, coniungitur. Hoc autem ex diametro, eſt contra ſententiam Pomponatij, qui animum humanum, ſtatuit eſſe per ſe corruptibilem, & per accidens incorruptibilem.

Secundus locus eſt apud *Ariſt. 3. de anima tex. 20.* vbi cum ſermonem habuiſſet de intellectu agente, ſubdit. *Separatus autem eſt, ſolum hoc quod quidem eſt, & hoc ſolum immortale eſt, & perpetuum. Non reminiſcimur autem, quia hoc quidem impaſſibile eſt, paſſiuus vero intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit.* Ex hoc loco colligit Pomponatius mortalitatem, non quia dixit intellectum paſſiuum, corruptibilem eſſe in hoc enim, cum omnibus fere expoſitoribus, tum Græcis, tum Latinis, tum Arabibus, & ipſe, conſentit, Ariſtotelem, paſſiuum intellectum, appellaſſe imaginatiuam; ſed ex duplici alio capite; primo, quia dixit ſolum intellectum agentem, eſſe ſeparatum, immortalem, & perpetuum. Ergo intellectum potentiæ, non putauit, eſſe talem, ſecundo quia dixit, ſine immaginatiua, animam, nihil intelligere, ac propterea, non reminiſci, non enim poſſet remanere eius ſubſtantia otioſa. Huic auctoritati, quamuis varias reſponſiones, accomodare

poſ-

Digitized by Google

possem tamen illa vtar, quam ipsemet, Pomponatius, attulit *1.lib.apologiæ cap.6.* Concedit autem Primo, vtrumque intellectum, tum agentem, tum possibilem, esse immortalem, & rationem affert, quare etiã possibilis intellectus, sit immortalis, nempe, quia, nullius corporis, est actus, quatenus intellectus, neque in suo opere, indiget organo, vt subiecto; verum, quia hic intellectus, coiunctus est cum sensu & nihil intelligit, sine phantasia, propterea, secundum quid, est mortalis, nempe, ratione phantasiæ, quæ corrumpitur; corruptocorpore, at vero intellectus agens, vere est immortalis, quia semper actu intelligit, & eius operatio non est in potentia, ac propterea Aristoteles, solum intellectum agentem, separatum, & immortalem dixit. Sunt autem hæc præcisa Pomponatij verba. *Quapropter dicendum est, cum Aristoteles ostendisset, vtrumque intellectum, videlicet tam agentem, quam possibilem esse immortalem, vt ex textibus præcedentibus, est manifestum, ibi vult ponere differentiam, inter vtrumque intellectum, quoad immortalitatem, quoniam solus agens, vere immortalis, & separabilis est. At possibilis, non vere; sed tantum secundum quid; agens namque intellectus, vere immortalis est, quoniam semper actu est, & est sua scientia, quare & actionem, & esse habet perpetua, possibilis autem intellectus, cum nullius corporis, videatur esse actus, qua intellectus est, neque in suo opere indiget organo, vt subiecto; videtur etiam esse immortalis, vnde & post mortem, videtur posse reminisci, extendendo nomen reminiscentiæ ad intellectionem præteritorum; hoc autem non videtur quare respondens Aristot. dicit, quod agens intellectus, vere est immortalis, at hic possibilis non vere, quoniam sic possibilis intellectus, nihil intelligit, sine passiuo, qui est virtus sensitiua, dictum est namque in text. 15. secundi de anima, intellectuum in mortalibus, non posse separari à sensitiuo, quare sine eo, nihil anima intelligit, neque vniuersaliter, neque particulariter; quare corrupto passiuo, nihil possibilis intelliget, & sic nihil operabitur, quare, neque erit. quandoquidem impossibile est, aliquid esse sine opere, vnde & 66. tex. primi, de anima dicitur, intelligere, & considerare marcescunt, quodam interius corrupto. Ipsum autem in se, non corrumpitur, scilicet, per se, quoniam possibilis Intellectus per accidens corrumpitur, quia non qua intellectus; sed qua sensui coniunctus, non itaque est irrationabilis dubitatio; immo maxime necessaria, neque de capti sumus, ex ignorantia terminorum, non distinguentes, inter passiuum, & possibilem, veluti nobis. positio adscribit, nusquam enim, inuenies me talia dixisse, hæc autem expositio, adeo litteræ est consonans, vt in nullo Aristotelis verba extorqueantur, einsque sensus manifestetur.* Laudamus igitur, & nos atque accipimus hanc Pomponatij expositionem, non enim dicitur solus intellectus agens æternus, eo quia intellectus potentia non sit

æter-

æternus, vtrumque enim paulo ante Ariſt. dixerat æternum, cum dixerat, *honoraailius enim ſemper, eſt agens patiente, & principium materia.* Sed quia intellectus agens, cum non ſit coniunctus cum ſenſu, & accipiatur penes eius ſubſtantiam, ac partem nobiliorem, quæ non reſpicit corpus, vere, & abſolute, eſt immortalis. Intellectus vero potentia, mortalis eſt, non quia eius ſubſtantia ſit corruptibilis. Ita enim impaſſibilis eſt, vt dixit etiam *1. de anima text. 65.* Sed quia aliud, quid, interius cui copulatus eſt, nempe, imaginatiua, corrumpitur, atque ita, etiam intellectus potentia, per ſe, & ſecundum ſui ſubſtantiam, eſt incorruptibilis, per accidens vero, & ratione phantaſiæ, eſt corruptibilis, vt vero hoc melius pateat; ad memoriam, reuocanda ſunt, quæ initio huius libri, demonſtrauimus, ſcilicet intellectum agentem, & potentia, eſſe vnam, & eandem ſubſtantiam, ſimplicem, & immortalem, & ſecundum præſtantiorem ſui facultatem, & vt Albertus inquit, ſecundum ſuperiorem, ſui partem, qua ſeparatis mentibus eſt affinis; dici agentem, ſecundum vero inferiorem ſui partem, & potentiam, qua iungitur corpori, & eſt pars animæ, dici potentia, atque ita, vt eſt agens, vere dicitur immortalis, & ſeparatus, quia non reſpicit corpus, vt autem eſt potentia, & coniungitur, corpori, ita dicitur quodammodo caducus, quia eius operatio, marceſcit, corrupto intellectu paſſiuo, hoc eſt phantaſia, ſine qua, nihil intelligit, dū eſt in corpore; ſed non ſequitur, quod quatenus intellectus agens, nihil intelligat, ſiue quatenus intellectus eſt, non enim corrupta phantaſia, intellectus potentia abit in nihilum; ſed tantum deſinit, eſſe potentia, quod ante erat, dum fuerat, coniunctus corpori, quod optime expreſſit Simplicius, in expoſitione, huius loci, talibus verbis. *ſed dubitare poſſet, aliquis quomodo cum, & ille, intellectus ſit, corrumpitur, ſi vel ille, immaterialis eſt, ſtatutum namque fuit omnem intellectum, ſine materia eſſe, & ea quidem ratione quoque, omnem quidem intellectum, intelligibilem eſſe, at non econuerſo, immaterialem formam quæ ſit intelligibilis, intellectum eſſe, an paſſibilis, intellectus materialis erat, & poteſtate, & hoc ipſum, paſsibilis, & imperfectus, intellectus, id totum exiſtens, quatenus paſsibilis ſit, & iccirco etiam, corruptibilis eſt quatenus paſsibilis exiſtit. Immaterialis autem fit, & actu intellectus, & intelligibilis, in contactu, & complicatione, cum efficiente facto, perfecte autem immaterialis, & perfectus ſit intellectus in recurſu in efficientem, ipſum, facto, adeo, vt poſsibilis intellectus corruptio, ſit, non receſſus ille in non ens; ſed contractio in id quod, præſtantiori modo eſt, cum animata illa, ſeparata ſubſtantia, in ſe ipſam, quoque, illam reuocet quæ ad extra prouenit, quæ nō amplius prouenit, ſed in ipſo manente, tamquam in cauſa ſtat. paſsibilis igitur, intellectus, quatenus, paſ-*

ſibilis,

Digitized by Google

ſibilis ; eſt corruptibilis. Ad hoc pariter referendum eſt, quod Ariſtoteles dixit libello de longitudine, & breuitate vitæ *cap. 3. Corruptis animalibus, corrumpuntur ſanitas, & ſcientia*, marceſcit enim ac deficit intelligere alio quodam interius corrupto, ſcilicet imaginatiua. Affert etiam Portius *cap. 7.* libri de mente humana, auctoritatem Ariſt. *part. 30. problematum problemate 5.* quod iuxta propria verba, hoc loco tranſcribere non libuit, tum quia nimis prolixa ſunt, tum etiam quia alias ante eadem attulimus; ex dicta autem auctoritate, Portius quatuor colligit aduerſus immortalitatem. Primum, quod intellectus ſit nobis à natura inditus, ſiue tributus, & ſit veluti inſtrumentum animæ. Secundum vero, quod lædatur, vt & aliæ animæ facultates. Tertium, quod cum nobis inditur, ſiue in nobis incipit, non eſt perfectus; ſed imperfectus, & in potentia, ac veluti tabula agrapha. Quartum, quod vix in ſenio perficitur, & talis perfectio exiguo tempore durat, vt *12. Metaphyſic.* dixit. A quibus omnibus poſſem vtique vnica reſponſione, me expedire dicens, libros illos eſſe exotericos, in quibus Ariſt. cõſueuit potius ex aliorum ſententia, quam ex propria loqui. Tamen ſpeciatim ſingulis reſpondebimus, & Primo ad primum dicimus, quod non ſequitur, intellectus eſt nobis à natura inditus; Ergo eſt mortalis, poteſt enim intellectus, quamuis extrinſecus aduenies, dici à natura datus, cum ex præſcripto, & ordine naturæ nobis aduenias; natura primum ex ſemine corpus generante, ac requiſitis organis, certas animæ facultates vegetatiuæ, ac ſenſitiuæ, quæ ad vltimam aduenientis intellectus perfectionem requiruntur, ſtatutis temporum curriculis tribuente, quemadmodum *2. de generat. animalium cap. 3.* Ariſt. docuit. Ita vt bene alibi dixerit, quod homo, & Sol generãt hominem, atque ita nullum fuit abſurdum dicere, intellectum natura datum, quamuis extrinſecus aduenientem, & immortalem. Ad alterum vero iam toties reſponſum fuit cũ Ariſtotele non lædi ſubſtantiam intellectus, cum impaſſibilis ſit; ſed eius operationem, ratione phantaſiæ, quemadmodum in ebrietatibus, & morbis, vt *1. de anima tex. 65.* dixerat. Ad Tertium vero, & ad Quartum dicitur, intellectum cum nobis tribuitur, eſſe potentia, & imperfectum, non quatenus intellectus eſt; ſed quatenus eſt pars animæ, quia enim in corpore incipit habere nouum eſſe, incipit habere nouum operandi modum, quare incipiens eſſe in corpore, incipit operari, cum corpore, & ita cum ſit illi neceſſe accipere cognitionem à ſenſibus, neceſſe erit tempore progrediente perfici, quod ibidem Ariſt. docet, & in ſenio hoc fieri, & breui tempore perdurare. Hac etiam de cauſa Ariſt. *8. de hiſtor. animal. cap. 1.* dixit. *Conſtat hoc ita eſſe plane argumento puerilis ætatis,*

tie, in qua futurorum habituum, quasi vestigia, & semina videris, & tamen nihil per id tempus animam hominis differre à belluarum anima prope dixerim. vbi animaduertendum est, non dixisse Arist. quod anima hominis, à belluarum anima in pueris non differt; sed potius contrarium; subiungit enim illa verba, *prope dixerim*, quæ inducunt diuersitatem; quapropter valde miratus sum, Portium hæc verba pro sua sententia afferre. Deducit etiam eodem capite Portius, ex eo quod Arist. dixit libello de Iuuentute, & Senectute, & de communi animalium motu, *cap. vltimo*, animam in corde esse tamquam in propria sede, intellectum esse ad corruptionem cordis corruptibilem; verum quia videbat Aristotelem reclamantem, *1. de anima cap. vltimo*, vbi dixerat, neque fingi quidem posse partem aliquam corporis, in qua sit intellectus. Illum per quandam concomitantiam, vt dicunt; siue per quamdam consequutionem in corde esse; probare conatus est, tali pacto. Anima sensitiua in corde est; sed intellectiuum, sine sensitiuo non potest esse in mortalibus, vt *Aristot. 2. de anima text. 15.* dixit: Ergo, intellectiuum in corde est. Totum hoc eius argumentum alias valide confutauimus, in primo libro; sed nunc satis est dicere ad auctoritatem Arist. vbi inquit, intellectiuum non posse esse sine sensitiuo. Ita Arist. hoc dixisse, vt paulo post *tex. 21.* dixerit, intellectum aliud animæ genus esse, & hoc separari tamquam perpetuum à corruptibili atque ita quamuis intellectus, vt est forma corporis, illud sine sensu informare non possit; tamen non impeditur, quin secundum sui substantiam à sensu separabilis sit, cum sit alterius generis, & separari possit, tamquam perpetuum, à corruptibili; falsa igitur est consequentia, sensus est in corde; Ergo intellectus, qui non informat hominem sine sensu, est in corde, quinimmo si esset in corde, necessario ipso vteretur vt organo, quod omnino Arist. negat, & hæc ad auctoritates Arist. quæ ab aduersarijs afferri solent, sint satis dicta.

Argumenta recẽsentur, quibus Galenus, Plinius, & Lucretius animorum immortalitatem oppugnarunt, & confutantur. Caput XIII.

RESPONDIMVS hucusque argumentis illis, quæ peripatetici olim aliqui ex Aristotelis dogmatibus, contra immortalitatẽ afferre consueuerunt, nunc ad maiorem doctrinam etiam illis, quæ ab alijs allata sunt, erit operæ pretium,

Digitized by Google

tium ſatisfacere. Afferuntur autem hæc partim à Galeno, partim à Plinio, & partim à Lucretio Epicuri diſcipulo, ac Sectatore; ſunt autem Galeni argumenta, potiſſimum duo, vnum ab actione læſa, alterum vero à moribus, & paſſionibus animi. Primum affert *lib 2. de locis affectis cap. vltimo.* alterum vero toto libello, quod animi mores ſequuntur corporis temperaturam. Inquit vero 2. de locis affectis, cum læditur propria aliqua operatio partis animæ principis, hoc eſt intellectiuæ, ſiue rationalis, tunc indicium eſt, ipſam affici, ac laborare, propriam autem dicit operationem, in qua nullo organo vtitur, qualis eſt cogitare, reminiſci, exiſtimare, eligere, dū enim anima, alias ſuas operationes exercet, quæ non ſunt propriæ, organis vtitur, vt cum videt oculis, cum loquitur lingua, & ſic de ſingulis, at vero dum cogitat, aut eligit, nulla vtitur parte corporis. Si igitur aliqua talis eius operatio læditur, neceſſario & ipſa eius ſubſtantia læditur, aut enim forma corporis eſt, qua tales compoſitum exercet ope- operationes, & ita, cum ſit inſeparabilis à corpore, neceſſe eſt vt affecto corpore, afficiatur. Aut, in corpore eſt, vt aliquis, in domicilio, & ita, affecto corpore, non læderetur. Sed certum eſt, læſo corpore, ipſam lædi; vt experientia mōſtrat, compreſſo enim cerebro, ſenſus, ſiue cognitio aboletur, & eodem inflammato, fit delirium, & alienatio mentis, & percuſſo cerebro, & alijs quibuſdam affectibus vexato, mentis ſtupor, inducitur. Ergo, non eſt dicendum, ipſam, eſſe in corpore, vt nos, in domicilio; ſed vt formam, & actum, inſeparabilem. Hoc idem, atteſtari, inquit, remedia, quibus corpori applicitis, mens reſtituitur, & communem hominum ſententiam, qui in huiuſmodi affectibus capiti remedia applicanda, cenſent. Alterum vero argumentum eſt, eo quod animi mores ſequuntur corporis temperaturam, etiam, educatione, & multis alijs repugnantibus, vt experientia docet. Ergo, dicendum eſt, animum, aut eſſe temperaturam, aut formam à corpore inſeparabilem, quæ ſequitur temperaturam. Hæc argumenta, memini me, præcedente libro, fuſius propoſuiſſe, & impugnaſſe, cum Galeni ſententiam recitarem, propterea ſatis mihi nunc fuerit, breuiter, eadem repetere, & confutare. Dictum etiam iam ante fuit & nunc iterum eſt repetendum, Galenum vt Medicum, & Artificem ſenſatum, confundere, cum principe animæ parte, etiam ſentientis, aliquas facultates, diuidit enim principem vim, in imaginatiuam, diſcurſiuam, & memoratiuam, cum tamen, imaginatiua, & memoratiua, ad ſenſitiuam pertineant, non ad principem, & hinc factum eſt, vt ipſe paralogizet, à læſione imagina-

Digitized by Google

tiuæ, ad læsionem, substantiæ intellectiuæ, cum tamen scire debuisset, etiam si lædatur actio intelligendi, hoc non arguere læsionem intellectus; sed imaginatiuæ, quæ cum intellectu copulata est, &, qua, intellectus vtitur, dum est in corpore, vt sæpius cum Arist. *1. de anima tex 65.* diximus, Alterum quoque argumentum, non minimam fallaciam continet, arguit enim, ab actionibus coniuncti ad substantiam ipsius animæ, ex eo enim, quia biliosa temperatura præditi, sunt iracundi, malencholici vero sunt inuidi, & auari, atrabilarij autem vafri, & insidiatores, arguit animam sequi temperaturam. cũ hoc non ex talibus, quæ sunt communes passiones animo, & corpori, & propterea communes, etiam brutis; sed ex proprijs debebat arguere, tales autem sunt, intelligere, & velle, quæ non sequũtur corporis temperaturam, vt patet, in continentibus, & temperatis, qui non solum non sequuntur temperaturæ propensiones, verum etiam illas compescunt, & edomant, vt fusè præcedente libro monstrauimus contra Galenum. Ac propterea, quamuis rei veritate, Galenus existimaret, animum esse mortalem, tamen non est ausus certo pronunciare, ipsum mortalem; sed in hoc se dubium profitetur *3. cap.* libri, quod animi mores sequantur corporis temperaturam. Miror autem vehementer, qua nam ratione, Galenus, vir doctissimus, qui totam, & Platonis, & Aristotelis Doctrinam, apprime callebat, non legerit, aut non aduerterit, apud vtrumque, solutionem eius difficultatis, qua se maxime torqueri, ipsamq; postulaturum à Platone, si viueret, nec vnquam, ab aliquo, ex Platonicis potuisse accipere, ibidem dicit. Est autem, difficultas. Si anima, non est forma corporis, sed in ipso est, vt nos in domicilio, ita vt non afficiatur, affecto corpore, vnde fit quod refrigerato corpore, ab epota, cicuta, aut ipso eodem, æstu febris, accensio, aut cerebro inflammato, migrat à corpore, nec amplius in eo permanet.

Respõderat, iã huic, Plato, in Phædone, siue Socrates, apud Platonẽ, dicens, animum esse corpori inclusum, tamquam carceri, & eius sensibus, atque cupiditatibus, tamquam quibusdam vinculis, detineri, soluto autem corpore, tamquam liberum, & è custodia eductum, migrare, atque ita mortem sequi ad corruptionem corporis, non autem, ad dissolutionem, aut affectionem animæ, vt dicebat Galenus. Sed melius Aristoteles, huius quæsiti causam assignat, dicens: intellectum, dum est in corpore mortali, non posse esse, sine vegetatiuo, & sensitiuo, cum autem talia, corruptibilia sint ad corruptionem corporis, nec esse est, & ipsis corruptis, cum corpore, animam separa-

ri,

ri, non igitur oportet, animam ſimul pati, cum corpore, in febre, aut alijs corrumpentibus morbis; ſed ipſa impaſſibilis exiſtens, corrupto corpore ſeparabitur. Non ſolum autem Galenus (vir certe magnus) videns, ſuorum argumentorum imbecillitatem, loco prædicto, de animi humani mortalitate, certi aliquid pronunciare noluit, quod etiam fecit Libello de formatione fœtus *cap. vltimo in fine*; verum etiam *lib. 7.* de Hyppocratis, & Platonis placitis *cap penultimo*, pro immortalitate ſtetit, dicens, cum Ariſtotele, aut animam, ſi eſt corpus eſſe Spiritum Æthereum, aut ſi non eſt corpus, eſſe ſubſtantiam incorpoream, tali ſpiritu vtentem. Hæc ad argumenta Galeni. Ponderemus nunc argumenta Plinij *lib. 7.* naturalis Hiſtoriæ *cap. 55.* cuius integram ſententiam hoc loco, iterum non recitamus, præcedente enim libro etiam illam attulimus, ea autem ſolum verba, nunc refeſremus, quæ argumenta, pro mortalitate continent. Sunt vero hæc *Quod autem corpus, animæ proſequitur materiam, vbi cogitatio illi? Quomodo visus? auditus? aut qui tangit? qui vſus eius, aut quod ſine his bonum? quæ deinde ſedes quantavè multitudo tot ſeculis, animarum velut vmbrarum? Puerilium iſta deliramentorum anidaq; numquam deſinere mortalitatis commenta, ſunt.* Quibus profecto paucis, atque conciſis verbis, admirabili pondere, omnia argumenta, quæ reliqui contra immortalitatem attulerunt, aut afferre vmquam potuiſſent, complexus eſt, & primum prioribus, his verbis: *Quod autem corpus, animæ proſequitur materiam*, per animæ materiam, animæ naturam accipiens; argumentum illud attulit, quod aduerſarij deducunt ex natura, & eſſentia animæ, ſi enim anima ſua natura actus, & Entelechia eſt corporis, non poteſt ſine corpore manere, quod ſi verum eſt, quomodo poſt mortem, erit ſuperſtes? quod enim corpus, animæ proſequitur materiam, corrupto iam eo, in quo ante fuerat. Huic autem argumento iam ante fuſius reſpondimus, & nunc iterum, breuiter dicimus, falſam eſſe priorem conſequentiam, aſſumptam, poteſt enim dari aliqua animæ pars, vel aliquod animæ genus quod quamuis ſit in corpore, tamquam eius perfectio, & principium operationis vitalis, tamen cum nõ ſit mixtum corpori, poteſt eſſe ſine corpore, qualis eſt intellectus, de quo Ariſt. dixit, quod cum ſit aliud animæ genus ſeparari poteſt, tamquam perpetuum à corruptibili, atque ita non eſt neceſſe aliud illi poſt mortem ſubminiſtrari corpus cum ipſo non indigeat; proxime autem ſequentibus, cum ſubdit *vbi cogitatio illi.* Alterum, & validiſſimum, torquet aduerſariorum argumentum, ab operatione deſumptum, ſi enim peculiaris animæ rationalis, ſiue intelligentis, operatio, eſt cogitare, & hoc ſine phantaſia, non

poteſt fieri, quomodo illi, poſt mortem inerit cogitatio? corrupta phantaſia, vna cum corpore. Huic etiam ſæpe reſponſum eſt, & nuper, non enim intelligere cum phantaſia, ſemper competit intellectui; ſed tantum dum eſt coniunctus corpori, & propterea etiam, corcorrupta phantaſia intelliget, alio tamen modo, quam dum erat in corpore, veluti etiam alio exiſtit modo; ſed hæc plenius ex ante dictis, petenda ſunt. Subdit tertio, *Quomodo, viſus, auditus, aut, qui tangit? aut, qui, vſus eius? aut, quod, ſine his, bonum?* His verbis tertium affert argumentum huiuſmodi. Poſt mortem, aut ſenſus remanent, aut non remanent; ſed corrumpuntur, ſi remanent, quomodo ſuas functiones eſercebunt corruptis organis, quomodo viſus? auditus? aut qui tangit? ſine oculis, ſine auribus, & ſine tactus inſtrumento. Si autem, non remanent, quod ſine his bonum? cum in his voluptates conſiſtant. Huic pariter antea ſatisfecimus. Remanent enim hæ facultates, in ſuo principio, vt viſiua in anima, auulſo oculo, non autem, eſt neceſſe, vt ſimul remaneant cum organo, quia ipſis anima via fuit, dum erat in corpore, ad cuſtodiam, & conſeruationem indiuidui, & ad eam operationem, quam in corpore exercebat, corrupto autem corpore, ipſis amplius non habet opus, cum alium habeat modum operandi, veluti alium etiam habet eſſendi, ad id vero quod dicit, *aut quod ſine his, bonum?* Dicimus, valde multum, & optimum, ſcilicet intelligere, & contemplari. Quarto, inquit *Quæ, deinde, ſedes*. Hoc eſt, vbi poſt mortem, & à corpore ſeparatæ manebunt. Ad hoc, dicimus, vbi vniuerſi ordo requirit pro iuſtitia, & ſapientia, ipſum regentis, quæ pie vixerunt, nec in corpore ſe inquinarunt, in extima cœli regione, extra locũ, & tempus, extra omnem tranſmutationem, vbi mentes, optimam degentes vitam, & ſufficientiſſimam, perſeuerant toto æuo vt Ariſt. dixit 1. *de cælo part. 100.* Quæ vero, ſecus, in contrario loco, pro ſui meriti ratione, horum autem quamuis non liceat, afferre adeo manifeſte Phyſicam rationem, vt etiam, ante diximus, tamen hanc ſatis eſt attuliſſe, quæ non leuis eſt. ex ordine, & bono vniuerſi deducta, quam etiam attulit Socrates apud Platonem in phœdone. his verbis. *Hoc aiunt, ò viri iuſtum eſt cogitare, ſi anima ſit immortalis, eam non ſolum temporis huius, in quo viuere dicimur, verum etiam vniuerſi grutia curatione plurimum indigere. Nam graue periculum, fore putandum eſt, ſi quis neglexerit animam, ſi enim mors, totius diſſolutio eſſet, nimium improbi lucrarentur, cum & à corpore, & ab eorum prauitate, cum anima liberarentur.* Quinto dicit: *Quantaue multitudo, tot ſeculis, animarum velut vmbrarum*. His verbis, infinitam fore, multudinem animarum, ſi eſſent ſuperſtites, tot ſeculis,

iam

iam prætergreſſis, cum mundus originem, non habuerit, & tot hominibus, iam emortuis, vt nullus eorum poſſit extare numerus. Huic argumento, cum multas ante, ſolo naturali lumine, & ex Ariſtotelis principijs attulerimus reſponſiones, nunc illa contenti erimus, quæ veriſſima, & nobis Chriſtianis, in promptu eſt, mundum, & aliquando incepiſſe, & aliquando deſiturum, ac propterea, nec eſſe, nec fore, infinitas animas ſuperſtites. Subdit poſtmodum.

Quæ (malum? iſta dementia eſt, iterari vitam, morte? quaue, genitis, quies, vnquam, ſi in ſublimi ſenſus, animæ, manet. Inter inferos vmbræ. Perdit profecto, iſta dulcedo, credulitasque præcipuum naturæ bonum, mortem, ac duplicat obitus, ſi dolere etiam poſt; futuri extimatione euenit, etenim ſi dulce vinere, cui poteſt eſſe, vixiſſe? at, quanto facilius, certiusq́, ſibi quemque credere, ac ſpecimen ſecuritatis, antegenitali ſumere experimento. Hæc autem verba à Lucretio mutuatus fuit, qui pariter hanc opinionem, & credulitatem immortalitatis, poſt mortem perdere, ac peſſum dare omnem naturæ voluptatem; exclamat *lib. 3.* his carminibus.

Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
Qualia ſint, & quam varijs diſtantia formis
Sponte ſua volitent, alterno percita motu
Quoque modo, poſſint, ex his, res quæque creari
Haſce, ſecundum res, animi natura, videtur
Atque animæ, claranda, meis, iam verſibus, eſſe
Et metus ille, foras, præceps, acheruntis, agendus
Funditus, humanam, qui vitam vertit ab imo
Omnia, ſuffundens, mortis nigrore, neque vllam
Eſſe voluptatem, liquidam, puramq́, relinquit.

Non mirum autem, quod Plinius Athæus, Lucretium Epicureũ, ſequutus ſit. Vterque religione caruit, at Plinius, etiam Deum, ſuſtulit, aut de ipſo dubitauit: dum initio ſui operis, *cap. 7.* dixit:

Quapropter effigiem Dei, formamque, quærere imbecillitatis humanæ reor, quisquis eſt, Deus, ſi modo eſt alius: Et paulo infra, *Deus eſt, mortali, iuuare mortalem, & hæc ad æternam gloriam, via.* & *cap.* 1. Mundum hunc viſibilem, quem alio nomine cœlum appellamus, numen eſſe, ac Deum, exiſtimauit. Lucretius autem Epicureus, & demens, traditur enim, dato ab Amaſia Philtro, in furorem actus; ſeipſum necaſſe, funditus euerſa religione, etiam animas, poſt mortem, deſtruit. his Carminibus, paulo infra ea, quæ ſupra citauimus.

Hinc, licet aduertas animum, magis omnia, laudis
Aut etiam venti, ſi fert ita forte, voluntas

Iactari causa, quam quod, res ipsa, probetur
Extorres ijdem, patria, longeq;, fugari
Conspectu, ex hominum fedati, crimine turpi
Omnibus, erumnis, affecti, denique viuunt
Et quocumque tandem, miseri, Venere, parentant
Et nigras, mactant, pecudes, & manibus, Diuis
Inferias mittunt, multoq;, in rebus, acerbis
Acrius, aduertunt animos, ad Religionem.

Sed videamus nunc, quæ argumenta, Lucretius, ex Epicuri præceptoris officina deprompserit, ad immortalitatem animi, euertendam. Multa quidem, ipsa sunt, & ea omnia, quæ aduersarij attulerunt, quæ, & recensebimus, & confutata iam fuisse breuiter ostendemus; ne aliquid relinquatur intactum, & ne existiment homines, magnum aliquod à Pomponatio factum fuisse, aut noua spicula, à Vulcani fornacibus, recenter educta, contra immortalitatem contorta; vetera enim sunt omnia, & nedum hebetata; sed etiam rubigine, consumpta. Primum autem, Lucretij argumentum, est inde deductum, quod animus, siue intellectus, sit organicus, veluti, & quælibet alia facultas, quæ in corpore est, vt vis videndi, in oculis, & ambulandi, in pedibus; quare veluti, & hæ facultates, corruptibiles sunt, ita, & intellectus. hæc autē sunt, eius Carmina, non longe à principio libri tertij.

Primum animum dico, mentem, quem sæpe, vocamus
In quo, consilium vitæ, regimenq;, locatum est
Esse hominis partem, nihilominus, ac manus, & pes
Atque oculi, partes animantis, totius extant
Quamuis multa quidem sapientum, turba putarit
Sensum animi, certa non esse, in parte locatum.

At quia viderat Platonem, & Aristotelem, aliosq; multos, qui animum statuerunt immortalem negasse, hanc suppositionem, quam ipse accepit. Propterea ipsam probare, & intellectum, in corde situm esse, infra conatus fuit, his ostendere Carminibus.

Quicquid, ideſt habeant, tu cætera percipe dicta
Nunc animum, atque animam dico coniuncta teneri
Inter se, atque vnam naturam, conficere, ex se
Sed, caput esse, quasi, & dominari, in corpore toto
Consilium, quod nos animum, mentemq;, vocamus
Idq; situm, media regione, in pectoris hæret
Hic exultat enim pauor, ac metus, hæc loca circum
Lætitia mulcent, hic ergo, mens, animusq;, est.

Probat

Probat igitur, animum esse in corde, quia ibi fit, metus, lætitia, ac tristitia; sed ipse nequaquam in bona Philosophia exercitatus, vt in Carminibus pangendis, non vidit; tales passiones, lætari, mærere, timere, ac reliqua huiusmodi, non esse affectiones animi, siue intellectus proprias; sed coniuncti, cum hæc pertineant ad sensum, & eius appetitum, ac propterea nullum posse, ex ipsis, deduci argumentum, quod ad propriam animi, siue intellectus naturam, & sedem pertineant, hoc enim tantum deducitur, ab ipso intelligere, in quo nullo intellectus vtitur organo.

Alterum vero argumentum est, ex morientibus acceptum, quos simul cum vita, tenuis quædam aura deserit vapore mixta, quod Medici experiuntur, morientes enim, tenui madore perfundi, vident, quem diaphoreticum appellant; hoc est resolutiuum, eo quod, simul cum ipso, resoluatur anima, siue vita; quare, & animam resolubilem esse deducit, tamquam conflatam, ex pauxillis, corpusculis, aëre scilicet vapore; igne, & quarta quadam natura innominata; cœlesti fortasse, quæ vim cognoscendi, præstat. Ita autem inquit.

Scire licet, per quam pauxillus, esse creatam
Seminibus, quoniam fugiens, nil ponderis, aufert
Nec tamen, hæc simplex, nobis natura, putanda est,
Tenuis enim quædam moriboundos, deserit aura
Mixta vapore, vapor porro, trahit aëra secum
Nec calor est quicquam, cui non sit mixtus, & aër
Rara quod eius enim, constat natura, necesse est
Aëris, inter eum primordia multa cieri
Jam triplex animi, est igitur natura reperta
Nec tamen, hæc sat sunt, ad sensu cuncta creandum
Nil horum, quoniam recipit mens, posse creare
Sensiferos motus, quædam, qui mente, volutent
Quarta quoque, his igitur, quædam natura, necesse est
Attribuatur, ea est omnino nominis expers
Qua, neque mobilius quicquam, neque tenuius, extat.
Nec magis è paruis, aut leuibus, ex elementis
Sensiferos motus, quæ didit, prima per artus.

Ad hoc argumentū dicimus, quod nullius momenti est, & iam ante solutū, nō enim cū morientes, vitalis illa deserit aura, animi substantia resoluitur, & euanescit; sed innatū calidū dissipatur, quod instrumentum est animæ, vt dicunt Medici, & temperamentum corporis, corrumpitur, siue dispositiones, sine quibus, in corpore, non est animus, ipsius

Quandoquidem gigni pariter, pariterq; videtur
Creſcere, & vt docui, ſimul æuo feſſa fatiſcit.

Hoc argumentum. Pariter ante cum Ariſt ſoluimus *1. de anima par. 65.* vbi dixit, quod ipſum intelligere, & ſpeculari marceſcit, alio quodam interius corrupto, ipſum autem impaſſibile eſt, & paulo ante, cum dixit, quod ſenium non eſt, quia, ſuſtinuit aliquid anima; ſed id in quo, ſicut in ebrietatibus, & morbis. Hac quoque ſolutione, ſoluuntur alia quatuor argumenta, quæ idem Lucretius, proſequitur, his carminibus:

Huc accedit, vti videamus corpus, vt ipſum
Suſcipere, immanes morbos, durumq; laborem
Sic, animum curas acreis, luctumq;, metumq;
Quare, participem, leti quoque conuenit, eſſe
Quin etiam morbis in corporis auius errat
Sæpe animus, dementit enim, deliraq; fatur
Interdumq;, graui letargo fertur, in altum
Æternumq; ſoporem oculis nutuq; cadenti
Vnde, neque exaudit voces, neque noſcere vultus
Illorum potis eſt, ad vitam, qui reuocantes
Circumſtant lacrimis, rorantes ora, genasq;
Quare animum quoque diſſolui fateare neceſſe eſt
Quandoquidem penetrant, in eum contagia morbi
Nam dolor, ac morbus leti fabricator, vterq; eſt
Multorum exitio perdocti, quod ſumus, ante.

His autem, duobus argumentis, quemadmodum, & multis alijs ſequentibus, paralogizaſſe Lucretium, euidens eſt. arguit enim, vt ante diximus à leſione, operationum, coniuncti, ad leſionem animi, diſiuncti ſubſtantia, ac genere, ac proinde, ſeparabilis; non legerat autem, Lucretius, Ariſtotelem, *1. de anima part. 66.* dicentem. *Cogitare autem, & amare, aut odiſſe, non ſunt illius paſsiones; ſed huius habentis illud, ſecundum quod illud habet. quare, & hoc corrupto, neque meminit, neque amat, non enim illius erant; ſed communis, quod quidem, deſtructum eſt. Intellectus autem fortaſsis, diuinius quid, & impaſsibile eſt.* Paralogizat etiam arguens, à leſione imaginatiuæ, & ſenſitiuæ, quæ adminiſtræ ſunt, intellectus, ad læſionem intellectiuæ, quod contingit in ebrietatibus, & morbis, vt Ariſtot. dixit, & in hoc etiam Galenum, ac Medicos erraſſe, fuſe antea diximus. Sed opere precium erit, Carmina ſubnectere, quibus Lucretius, reliqua argumenta huius generis expoſuit.

Denique

Denique cur hominem, cum vini, vis penetrauit
Acris, & in venas discessit, diditus ardor
Consequitur grauitas membrorum, prapediuntur
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens
Nam oculi clamor, singultus, iurgia, gliscunt
Et iam cætera de genere hoc, quæcumque sequuntur
Cur ea sunt? nisi quod vehemens violentia vini
Conturbare animam consueuit, corpore in ipso
At, quæcunque quaunt conturbari, inq; pediri
Significant, paullo si durior, insinuarit
Causa fore vt pereant, quo priuata futuro
Quin etiam subita vi morbi, sæpe coactus
Ante oculos, aliquis nostros, vt fulminis ictu
Concidit expumat agit, ingemit, & tremit artus
Desipit, extentat neruos, torquetur, anhelat
Inconstanter, & in iactando membra fatigat
Nimirum, quia vis morbi distracta, per actus
Turbat, agens animam spumans, vt in æquore salso
Ventorum validis, feruescit viribus vnda
Exprimitur porrò gemitus, quia membra dolore
Afficiuntur, & omnino, quod semina, vocis
Eyciuntur, & ore, foras glomerata feruntur
Desipientia fit, quia vis, animi atque animai
Conturbatur, & vt docui, diuisa seorsum
Discitatur eodem illo, distracta veneno
Inde vbi iam morbi, se flexit causa, reditq;
In latebras ater, corrupti corporis, humor
Tum quasi talipedans, primum consurgit, & omnes
Paulatim redit in sensus, animamq; receptat
Hæc igitur tantis, vbi morbis corpore in ipso
Iactatur miserisq; modis districta laboret
Cur eandem credis, sine corpore in aëre aperto
Cum validis ventis, ætatem degere posse?
Et quoniam mentem sanari corpus, vt ægrum
Cernimus, & flecti Medicina, posse videmus
Id quoque præsagit, mortalem viuere mentem
Addere enim partes, aut ordine trayicere, æquum est,
Aut aliquid prorsum, de summa detrahere illum
Commutare animum, quicumque adoritur, & insit

Aut aliam quamuis naturam flectere quarit
At neque transferri sibi partes, nec tribui vult
Immortale quod est quicquam, neque defluere hilum
Nam quodcunque suis, mutatum finibus exit
Continuo, hoc mors est illius, quod fuit ante
Ergo animus, siue egrescit, mortalia signa
Mittit, uti docui, seu flectitur à Medicina
Vsque adeo, falsa rationi, uera uidetur
Res occurrere, & effugium præcludere cunti
Ancipitiq́, refutatu conuincere falsum

Non minus etiam decipitur Lucretius, infra alijs argumentis, ex eo enim, quia paulatim corrupto partium temperamento, paulatim etiam emori partes videmus, animam quoque paulatim corrumpi existimauit. Ita dicens:

Denique sæpe hominem, paulatim cernimus ire
Et membratim, vitalem disperdere sensum
In pedibus primum, digitos liuescere, & ungues
Inde pedes, & crura mori, post inde per artus
Ire alios tractim, gelidi vestigia leti
Scinditur, atque anima, quoniam natura, nec vno
Tempore, sincera existit, mortalis habenda est.

Causa autem deceptionis est, quia corrupto temperamento alicuius partis anima desinit, partem illam informare, & quodam pacto in se ipsam recipitur, neque obstat instantia, quam affert. Subdens.

Quod si forte putas, ipsam se posse, per artus
Introrsum trahere, & partes conducere in vnum,
Atque ideo cunctis sensum, deducere membris
At locus ille tamen, quo copia tanta animai
Cogitur in sensu, debet maiore videri
Qui quoniam nusquam est, nimirum, vt diximus ante
Dilaniata foras, dispergitur, interit ergo.

Sequeretur enim talis instantia, si anima esset corporea, vt ipse putauit, tunc enim opus illi foret, in maiorem aliquam corporis cauitatem se recipere, at nobis, qui incorpoream illam existimamus, hoc nullum negotium facessit.

Aliud etiam affert infra argumentum huiusmodi. Quicquid est diuisibile, est mortale, sed humana anima est diuisibilis. Ergo est mortalis. Maior est euidens, minorem autem, probat ex ijs, quibus repente, & inopinato aliqua pars præciditur, vt bellando, aliquibus

euenit

euenit, partes enim à reliquo corpore, præcisæ vt manus, aut brachium, aliquandiu mouentur, & reptant vt serpentum, & aliorum insectorum caudas conspicimus. Sic autem, inquit

Et quoniam toto sentimus corpore inesse
Vitalem sensum, & totum esse animale videmus
Si subito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, vt seorsum partem secernat vtramque
Dispertita procul dubio quoque, vis animai
Et discissa simul cum corpore, disijcietur
At quod scinditur, & partes discedit in vllas
Scilicet æternam, sibi naturam abnuit esse
Falciferos memorant currus, abscindere membra
Sæpe ita de subito permixta cæde calentes
Vt tremere in terra videatur, ab artubus, id quod
Decidit abscissum cum mens tamen, atque hominis, vis
Mobilitate mali non quit sentire dolorem
Et simul in pugnæ studio, quod dedita mens est
Corpore cum reliquo pugnam, cædesq; petessit
Nec tenet amissam læuam, cum tegmine sæpe
Inter æquos abstraxe rotas falcesq; rapaces
Nec cecidisse alius, dextram cum scandit, & instat
Inde alius conatur adempto surgere crure
Cum digitos, agitat propter moribundus humi, pes
Et caput, abscissum, calido viuentéq; trunco
Seruat humi, voltum vitalem oculosq; patentes
Donec, reliquias animai reddidit omnes
Quin etiam, tibi si lingua vibrante minantis
Serpentis caudam, procero corpore vtrinque
Sit libitum, in multas partes discindere ferro
Omnia iam seorsum cernes anceps recenti
Volnere, tortari, & terram conspergere, tabo
Ipsam seque retro partem petere, ore priorem
Volneris ardenti, vt morsu, premat, icta dolore
Omnibus esse igitur totas dicemus, in illis
Particulis animas, at ea ratione sequetur
Vnam animantem animas habuisse, in corpore multas
Ergo diuisa est ea, quæ fuit vna simul cum
Corpore, qua propter mortale vtrumque putandum est
In multas, quoniam partes discinditur æque

Ad

Ad hoc autem argumentum dicimus, falſam eſſe minorem, & ad eius probationem, pariter dicimus, falſum eſſe, quod aſſumitur; præciſas hominis, aut etiã cuiuslibet perfecti animalis partes, diutius viuere, aut moueri, vt Lucretius, inquit, cum ſanguineorum animalium partes diſciſſæ tempore aliquo viuere non valeant, neq; mutationis localis, quæ mouebantur, cum adhuc integræ extarent, participes eſſe poſſint; vt melius Ariſtoteles docuit, quam Lucretius, libello de animal. inceſſu *cap. 5.* Fieri autem hoc poteſt in animalibus imperfectis, quibus inſtar plantarum anima, per totum corpus extenſa eſt, at in animalibus perfectis nequaquam, quia ſunt maxime vnum, vt idem Ariſt. docuit, libello de iuuentu, ſenectute, vita, & morte *cap. 1.* quapropter *3 de partibus cap. 10.* fabuloſum exiſtimauit, & impoſſibile, quod Homerus dixit, caput præciſum loquutum fuiſſe,

Ipſeq; dum loquitur, miſcetur puluere vertex.

& neque apud Barbaros, qui ſumma celeritate capita amputare ſolent, id vnquam accidiſſe, inquit. Si autem contingat aliquando, celerrime truncatum membrum moueri, id potius palpitatio dicendum eſt, quam motus talis, qualis ante parti inerat. Subnectit vero huic, & aliud argumentum; idem prorſus cum eo, quod aduerſarij deſumunt, ex Ariſt. *3. de anima tex. 20.* Nempe, ſi intellectus eſſet immortalis, tunc impoſſibile eſſet, non reminiſci eorum, quæ ante ingreſſum in corpus, intellectus nouit, & quia viderat Lucretius, Platonem, huius obliuionis cauſam attuliſſe, validam, ac vehementem mutationem, quam intellectus patitur, ex ingreſſu huiuſmodi; propterea etiam aduerſus hoc, affert inſtantiam, dicens, quod taliter paſſibile eſt, ac tranſmutabile, non poſſe abſque corruptione reperiri, quandoquidem talis paſſio, eſt corruptiua. Hæc ſunt, eius Carmina.

Præterea ſi immortalis, natura animai
Conſtat, & in corpus naſcentibus inſinuatur
Cur ſuper anteactam, ætatem meminiſſe nequimus?
Nec veſtigia, geſtarum rerum, vlla tenemus.
Nam, ſi tantopere eſt animi, mutata poteſtas
Omnis, vt actarum exciderit, retinentia rerum
Non vt opinor, id ab læto, tam longiter errat
Quapropter fateare, neceſſe eſt, quæ fuit ante
Interiiſſe, & quæ nunc eſt, nunc eſſe creatam.

Sed huic Ariſtoteles iam reſponderat, loco prædicto, inquiens quod quamuis intellectus immortalis ſit, tamen non reminiſcimur, quia intellectus paſſiuus, hoc eſt imaginatiua, ſine qua intellectus, dum

eſt

est in corpore, nihil intelligit, corruptibilis est.

Arguit præterea, si anima esset immortalis, tunc efformato corpori aduenirет, quare non esset forma, totum corpus informans; sed illi assistens tantum, tamen contrarium experimur, ita enim anima est in toto corpore, vt in omnibus eius partibus, quæ vitalibus prædictæ sunt instrumentis esse, & veluti forma operari, conspiciatur. Ergo anima in corpore fit, & gignitur, non autem immortalis est, & extrinsecus aduenit.

Præterea si iam, perfecto corpore nobis
Inferri, solita est animi viuata potestas
Tum cum gignimur, & vitæ cum limen inimus
Haud ita conuenibat, vti, cum corpore, & vna
Cum membris videatur, in ipso sanguine crescre
Sed velut, in cauea per se sibi viuere solam
Quare, etiam atque etiam nec originis esse putandum est
Expertes animas, nec leti lege solutas
Nam neque tantopere adnecti potuisse, putandum est
Corporibus nostris extrinsecus insinuatas
Quod fieri totum contra, manifesta docet res
Namque, ita connexa est, per venas, viscera neruos
Ossaq́, vti dentes quoque, sensu participentur
Morbus vt indicat, & gelidai stridor, aquai
Et lapis oppressus, subdente, è frugibus asper
Nec tam contexta, cum sint, exire videntur
Incolumes posse, & saluas, exoluere se se
Omnibus, è neruis, atque ossibus, articulisq́.

Huic argumento est pariter antea satisfactum, diximus enim animam non omnibus suis facultatibus; sed quibusdam tantum, de quibus est Lucretij argumentum, nempe vegetatiua, & sensitiua, ita esse corporis formam, vt ipsarum ratione, simul cum corpore generetur, atque intereat, cum sint organicæ, nec sine corpore possint esse, aut operari, substantia autem, & facultate intelligendi, esse ingenerabilem, & incorruptibilem, ac extrinsecus, aduenire, cum intellectus sit inorganicus, neque in eius operatione communicet, actio corporalis, vt Philosophus dixit *2. de generat. animal. cap. 3.*

Vlterius, arguit. Animæ passiones, ac mores sequuntur corporis temperaturam. Ergo, & anima pariter sequitur corporis temperaturam, & ita, est mortalis. Sic autem versibus, hoc expressit.

Denique

Denique cur acris violentia, triste Leonum
Seminium sequitur Volpeis dolus, & fuga ceruis?
A patribus datur? & patrius pauor incitat artus?
Et iam cætera de genere hoc, cur omnia membris
Ex ineunte ætate ingeneraſcunt, inque genuntur
Si non certa ſuo, quia ſemine, ſeminioq;
Vis animi pariter creſcit cum corpore toto?
Quod ſi immortalis foret, & mutare ſoleret
Corpora, permiſtis animantes moribus eſſent
Effugeret canis, Hyrcano de ſemine ſæpe
Cornigeri incurſum cerui, tremeretq; per auras
Aëris accipiter fugiens veniente columba
Deſiperent homines, ſaperent fera ſæcla ferarum.

Hoc argumento fuiſſe vſum Galenum, antea diximus. Soluimus autem dicentes, hoc verum eſſe tantum de ijs animæ paſſionibus, ac operationibus, quæ ſunt coniuncti, non autem de operationibus intellectus, & voluntatis. Quapropter concedimus ferarum mores ſequi corporis temperaturam, vt Lucretij argumentum concludit, non autem humanos; Vltima autem carmina inſtantiã afferũt, contra eos, qui animorũ tranſitũ, in varia corpora ſtatuebãt, quod nos negamus. Nõnulla etiã affert argumenta, quæ cõſulto prætermittũtur, ne ijs, quæ parui sũt momenti, cõteratur tempus: Vnũ tãtũ apponã, tãquã omniũ vltimũ, quod eſt huiuſmodi. Anima etiãſi immortalis ſit, & poſt obitũ ſuperſtes, tñ ad nos, nihil pertinet eius immortalitas, cũ nos, in anima, & corpore ſimul iunctis ſubſiſtamus, quare ipſis ſeparatis, etſi anima, & eius materia maneant, nos nihil ſumus, & ita iuxta eius ſentẽtiã, paria nobis sũt, animã eſſe mortalẽ, aut immortalem; ita autem, inquit

Et ſi iam noſtro ſentit de corpore, poſtquam
Diſtracta eſt animi natura, animæq; poteſtas
Nil tamen hoc ad nos, qui cætu coniugioq;
Corporis atque animæ conſiſtimus vniter apti
Nec, ſi materiam noſtram, conlegerit ætas
Poſt obitum, rurſumq; redegerit, vt ſita nunc eſt,
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitæ
Pertineat quicquam tamen ad nos, id quoque factum
Interrupta ſemel cum ſit repetentia noſtra
Et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
Qui fuimus nec iam de illis nos afficit angor,
Quos de materia noſtra, noua proferat ætas

Nam cum respicias immensi temporis omne
Præteritum spatium, tum motus materiai
Multimodi, quam sint, facile hoc adcredere possis
Semina sæpe in eodem, vt nunc sunt, ordine posta
Nec memori tamen id quimus deprendere mente
Inter enim iecta est vitai pausa, vageq;
Deerrarunt passim motus ab sensibus omnes
Debet enim, misere cum forte, agreq; futurum est
Ipse quoque esse in eo, tum tempore, cui male possit
Accidere, at quoniam mors eximit improhibetq;
Illum, cui possint incommoda conciliari
Hæc eadem, quibus ægri nunc sumus, ante fuisse:
Scire licet nobis, nihil esse in morte timendum
Nec miserum fieri, qui non est posse neque hilum
Differre, an nullo fuerit iam tempore natus
Mortalem vitam mors cui immortalis ademit.

His autem carminibus ostendit; nihil ad nos pertinere, etiam si anima sit immortalis, cum nos minime superstites simus, & quia Pytagorici, & Platonici, qui animam posuerunt immortalem, eandem post aliquot secula iterum in corpora reuersuram; dicebant, eodem argumento, quo postea vsus fuit Petrus Pomponatius, vt ante diximus, ostendit pariter, nihil ad nos pertinere huiusmodi animæ, regressum, cum ex eo nos futuri non simus; sed aliquis alius fiendus erit. Huic argumento, cum Platone, & Aristotele respondemus. Superstite animo; nos etiam superstites dici; maior enim, ac potior nostri pars, est animus, quare si à digniori denominatio fienda est nostro animo immortali remanente; etiam nos immortales manere dicendum erit, id autem luculenter docet Socrates, apud Platonem in phœdone, & ab hac sententia non aborruisse Arist. docet Themistius *3. de anima*, & idem Arist. *10. de moribus cap. 7. in fine*, inquit, vitam quæ ex intellectu traducitur, homini iucundissimam esse; siquidem maxime id homo est. Quamuis igitur corpus intereat; superstite intellectu, nos nequaquam mori; sed maiorem nostri partem libitinam vitare, non solum cum Platone, & Aristotele, verum etiam cum Oratio dicere possumus, vt Lucretio, Poetæ, & Epicureo; Horatiũ pariter Poetam & Epicureũ obijciamus, qui etsi, de fama, & celebritate sui nominis, quæ mansura erat, sermonem haberet, tamen ita loquutus est, vt etiam seipsum secundum meliorem sui partem, futurum immortalem dixerit *Ode 30. lib. 3.* his Carminibus.

Exegi

Digitized by Google

Exegi monimentum ære perennius
Regaliq; ſitu, pyramidum altius
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſsit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum
Non omnis moriar, multaq; pars mei
Vitabit libitinam, vſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex
Dicar, qua violens obſtrepit auſidus
Et qua pauper aquæ Daunus agreſtium
Regnator populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium Carmen, ad Italos
Deduxiſſe modos, ſume ſuperbiam
Quæſitam meritis, & mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Ita, ex Etnicorum ſapientum ſententia, Lucretio reſponderi poſſet; ſed nos Chriſtiani, alitet, & verius reſpondebimus. Multum quidem, & valde multum, conferre nobis immortalitatem animæ, quandoquidem, non ſolum eorum, qui iuſte vixerunt, animæ à corpore ſeparatæ, beatam vitam degent; ſed etiam aliquando, ſummi Dei potentia, corpus priſtinum reaſſument, idem omnino numero, cum quo perpetuo vitam traducent, feliciſsimam ſi bene in vita egerint; ſi autem male, erumnoſiſsimam. Quia vero Lucretius, omnes homines contrarium ſentire videbat, omnes enim timent, & perhorreſcunt mala, aut dedecora, quæ ipſis defunctis, aut etiam ipſorum cadaueribus, cõtingere poſſunt. Necnon lamentantur carentiam eorum, quibus in vita antea fruebantur, quaſi vllus maneat poſt mortem ſenſus, defunctis, quo poſsint hæc omnia percipere; propterea & ipſis occurrit reliquo *eiuſdem 3. libri* Carmine, oſtendens inane vtrumque eſſe, & metũ malorum, quæ viuens homo, tanquam etiam poſt mortem ad futura ſibi fingit, & lamentationem, ob carentiam bonorum, quorum particeps eſſe non poteſt, pari enim ratione, quis timere poſſet frigus marmorei ſepulchri, quo includitur, & æſtum ignis quo crematur, ac laceratione corporis, à canibus, vel obſcenis volucribus, & lamentari deberet, malorum carentiam, ac bonorum. Carituru, ſe ſcilicet fame, ac ſiti, infamia, & contumelia, veluti nunc aliqui lamentãtur, poſt mortem ſe carituros dulci vxoris complexu, & natorũ, ac ſuaui amicorum conſuetudine, & plauſu populi, vel etiam nidore culinæ, &

Digitized by Google

fragrantia poculorum. Libet autem, & hæc Carmina adscribere, quamuis aliquanto prolixiora, ob singulare artificium, & grauissimi Poetæ, aut versificatoris eloquentiam.

Proinde vbi se videas hominem miserarier ipsum
Post mortem fore, vt aut putrescat corpore posito
Aut flammis intereat malisuè ferarum
Scire licet non sincerum sonere, atque subesse
Cæcum aliquem cordi stimulum quamuis neget ipse
Credere se quemquam sibi sensum in morte futurum
Non (vt opinor) enim dat, quod promittit, abunde
Nec radicitus, è vita se tollit, & eicit
Sed facit esse sui quiddam super inscius ipse
Viuus enim sibi cum proponit quisque, futurum
Corpus vti volucres lacerent in morte feræq;
Ipse sui miseret: neque enim se vendicat hilum
Nec remouet satis à proiecto corpore & illum
Se fingit, sensuq; suo contaminat adstans
Hinc indignatur se mortalem esse creatum
Nec videt in vera nullum fore morte alium se
Qui possit viuus sibi se lugere peremptum
Stansq; iacentem nec lacerari vriue dolore
Nam si in morte malum est malis morsuq; ferarum
Tractari, non inuenio qui non sit acerbum
Ignibus impositum calidis torrescere flammis
Aut in melle situm suffocari atque rigere
Frigore, cum in summo gelidi cubat æquore saxi
Vrgeriuè superne obtritum pondere terræ
At iam non domus accipiet te læta, neque vxor
Optima, nec dulces occurrent oscula nati
Præripere, & tacita pectus dulcedine tangent
Non poteris factis tibi fortibus esse, taisq;
Præsidio miser ò miser, aiunt, omnia ademit
Vna dies infesta tibi tot præmia vitæ
Illud in his rebus non addunt, nec tibi earum
Iam desiderium insidet rerum insuper vna;
Quod bene si videant animo, dictisq; sequantur
Dissoluant animi magno se angore metuq;
Tu quidem, vt es læto sopitus, sic eris aui
Quod super est, cunctis priuatus doloribus ægris

At nos orrifico cine factum te prope buſto
Inſatiabiliter deflebimus aternumq;
Nulla dies nobis mœrorem, è pectore demet
Illud ab hoc igitur, quærendum eſt, quid ſit amari
Tantopere ad ſomnum, ſi res redit, atque quietem
Cur quiſquam æterno poſſit tabeſcere luctu
Hoc etiam faciunt vbi diſcubuere, tenentq;
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis
Ex animo, vt dicant breuis hic eſt fructus homillis
Jam fuerit neque poſt vnquam reuocare, licebit
Tanquam in morte mali cum primis, hoc ſit eorum
Quod ſitis exurat miſeros, atque arida terra
Aut alia cuius deſiderium inſideat res
Nec ſibi enim quiſquam tum ſe vitamq; requirit
Cum pariter mens, & corpus ſopita quieſcunt
Nam licet æternum per nos ſic eſſe ſoporem
Nec deſiderium noſtri nos adficit vllum
Et tamen haud quaquam noſtros tunc illa per artus
Longe abſenſiferis primordia motibus errant
Quin contentus homo, ex ſomno, ſe colligit ipſe
Multo igitur mortem minus ad nos eſſe putandum
Si minus eſſe poteſt, quam quod nihil eſſe videmus
Maior enim turbæ diſiectus, materiai
Conſequitur lato, nec quiſquam expergitus exiat
Frigida quem ſemel eſt, vitai pauſa ſequuta
Denique ſi vocem rerum natura repente
Mittat, & hoc alicui noſtrum ſic increpet ipſa
Quid tibi tantopere eſt mortalis, quod nimis ægris
Luctibus indulges? quid mortem congemis, ac fles?
Nam ſi grata fuit tibi vita ante acta priorq;
Et non omnia pertuſum, congeſta quaſi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere
Cur non vt plenus vitæ conuiua recedis?
Æquo animoq; capis ſecuram ſtulte quietem?
Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profuſa
Vitaq; in offenſu eſt, cur amplius addere quæris
Rurſum, quod pereat male, & ingratum occidat omne
Nec potius vitæ finem facis, atque laboris
Nam tibi præterea quod machiner, inueniamq;

Quod placeat nihil eſt, eadem ſunt omnia ſemper
Si tibi non annis corpus, iam marcet, & Artus
Confecti languent, eadem tamen omnia reſtant
Omnia ſi perges viuendo, vincere ſecla
Atque etiam potius, ſi nunquam ſis moriturus
Quid reſpondeamus, niſi iuſtam intendere litem
Naturam, & veram verbis exponere cauſam?
Atqui obitum lamentetur, miſer amplius æquo
Non merito inclamet magis, & voce increpet acri?
Grandior, hic vero ſi iam ſeniorq́, queratur
Aufer ab hinc lacrimas baratro, & compeſce querelas
Omnia perfructus vitai premia, marces
Sed quia ſemper aues, quod abeſt, præſentia temnis
Imperfecta tibi elapſa eſt, ingrataq́ vita
Et nec opinanti mors ad caput adſtitit ante
Quam ſatur, ac plenus poſſis diſcedere rerum
Nunc aliena tua tamen ætate omnia mitte
Æquo animoq́ agedum, iam alijs concede neceſſe eſt
Iure vt opinor agat, iure increpet, inciletq́
Cedit enim rerum nouitate, extruſa vetuſtas
Semper, & ex alijs, aliud reparare neceſſe eſt,
Nec quicquam in baratrum, nec tartara, decidit atra
Materies opus eſt, vt creſcant poſtera ſecla
Quæ tamen omnia te vita perfuncta ſequentur
Nec minus ergo, ante hæc quam tu, cecidere cadentq́
Sic aliud ex alio nunquam deſiſtit oriri
Vitaq́ mancupio, nulli datur omnibus vſu
Reſpice item quam nil ad nos, anteacta vetuſtas
Temporis æterni fuerit, quam naſcimur ante
Hoc igitur ſpeculum nobis natura futuri
Temporis exponit, poſt mortem denique noſtram
Numquid ibi horribile apparet? num triſte videtur
Quicquam? nonne omni ſomno ſecurius extat
Atque ea nimirum quæcumque Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis
Nec miſer impendens magnum timet ære ſaxum
Tantalus vt fama eſt, caſſa formidine torpens;
Sed magis in vita diuum, metus vrget inanis
Mortales caſumq́ timet, quem cuique ferat ſors

Nec Titium, volucres ineunt Acherunte iacentem
Nec quod ſub magno ſcrutentur pectore quicquam
Perpetuam ætatem poſſint reperire profectò
Quamlibet, immani proiectu corporis extet
Qui non ſola nouem diſpenſis iugera membris
Obtineat; ſed qui terrai totius Orbem
Non tamen æternum poterit perferre dolorem
Nec præbere cibum proprio de corpore ſemper;
Sed Titius nobis hic eſt, in amore iacentem
Quem volucres lacerant, atque exeſt anxius angor
Aut alia quauis ſcindunt cupedine curæ
Siſyphus in vita quoque nobis ante oculos eſt,
Qui petere à populo, faſces, ſæuasq; ſecures
Imbibit, & ſemper victus triſtisq; recedit
Nam petere imperium, quod inane eſt, nec datur vnquam,
Atque in eo ſemper durum ſufferre laborem
Hoc eſt aduerſo nixantem, trudere monte
Saxum, quod tamen à ſummo iam vertice rurſum
Voluitur, & plani raptim petit æquora campi
Deinde animi ingrati, naturam paſcere ſemper
Atque explere bonis rebus, ſatiareq; nunquam,
Quod faciunt nobis, annorum tempora circum
Cum redeunt, fœtusq; ferunt, variosq; lepores
Nec tamen explemur, vitai fructibus vnquam
Hoc, vt opinor, ideſt ævo florente puellas,
Quod memorant laticem pertuſum congerere in vas,
Quod tamen explere, nulla ratione poteſſunt
Cerberus, & furiæ, iam vero, & lucis egenus
Tartarus horriferos erructans faucibus æſtus,
Hæc neque ſunt vſquam, neque poſſunt eſſe profectò;
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſceleriſq;, luela
Carcer, & horribilis de ſaxo iactu deorſum
Verbera carnifices, robus, pix, lamina tædæ
Quæ tamen, etſi abſunt at mens ſibi conſcia facti
Præmetuens adhibet ſtimulos, torretq; flagellis,
Nec videt interea, qui terminus eſſe malorum
Poſsit, nec qui ſit pœnarum denique finis
Atque eadem metuit, magis hæc, ne in morte grauescant

Hinc acherusia fit stultorum denique vita
Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis
Lumina sis oculus etiam bonus Ancus reliquit
Qui melior multis, quam tu fuit improbe rebus
Inde alij multi Reges, rerumq; potentes
Occiderunt magnis, qui gentibus imperitarunt
Ille quoque ipse viam, qui quondam per mare magnum
Strauit, iteriq; dedit legionibus ire per altum
Ac pedibus salsas docuit, superare lacunas
Et contempsit aquis insultans, murmura ponti
Lumine adempto animam, moribundo corpore fudit
Ipiades belli fulmen, Cartaginis horror
Ossa dedit terræ proinde ac, famul infimus esset
Adde repertores doctrinarum, atque leporum
Adde Heliconiadum Comites, quorum vnus Homerus
Sceptra potitus eadem alys sopitus quiete est
Denique Democritum, postquam matura vetustas
Admonuit memorem motus, languescere mentis
Sponte sua leto caput obuius obtulit ipse
Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ
Qui genus humanum ingenio superauit, & omnes
Præstrinxit stellas exortus vti, atherius Sol
Tu vero dubitabis, & indignabere obire
Mortua cui vita est, prope iam viuo, atque videnti?
Qui somno partem maiorem, conteris aui?
Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas?
Sollicitamq; geris, cassa formidine mentem?
Nec reperire potes, quid sit tibi sæpe mali cum
Ebrius vrgeris, multis miser vndique curis,
Atque anima incerto fluitans, errore vagaris
Si possent homines proinde, ac sentire videntur
Pondus inesse animo, quod se grauitate fatiget
E quibus id fiat causis, quoque noscere, & vnde
Tanta mali tanquam moles, in pectore constet
Haud ita vitam agerent, vt nunc plerumque videmus,
Quod sibi quisque velit nescire, & quærere semper
Commutare locum, quasi onus deponere possit
Exit sæpe foras magnis, è sedibus ille
Esse domi quem pertesum est, subitoq; reuertit

Quippe

Quippe foris nihilo melius, qui ſentiat eſſe
Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter
Auxilium tectis quaſi ferre, ardentibus inſtans
Oſcitat ex templo tetigit, cum limina villæ
Aut abit in ſomnum grauis, atque oblivia quærit,
Aut etiam properans Vrbem petit, atque reuiſit
Hoc ſe quiſque modo fugit, at quod ſcilicet, vt ſit
Effugere haud potis eſt, ingratis hæret, & angit
Propterea morbi, quia cauſam non tenet ager
Quam bene ſi videat, iam rebus quiſque relictis
Naturam primum ſtudeat, cognoſcere rerum
Temporis æterni, quoniam non vnius horæ
Ambigitur ſtatus; in quo ſit mortalibus omnis
Ætas poſt mortem, quæ reſtat cumq; manenda
Denique tantopere in dubijs, trepidare periclis
Quæ mala nos ſubigit, vitæ tanta cupido?
Certa quidem finis vitæ, mortalibus adſtat
Nec deuitari lætum pote, quin obeamus
Præterea verſamur ibidem, atque inſumus vſque
Nec noua viuendo procuditur vlla voluptas;
Sed dum abeſt, quod auemus id exuperare videtur
Cætera poſt aliud cum contingit illud auemus,
Et ſitis æqua tenet, vitæ ſemper hianteis
Poſteraq; in dubio eſt fortunam quam vehat ætas
Quidue ferat nobis caſus, quiue exitus inſtet
Nec prorſum vitam ducendo, demimus hilum
Tempore de mortis, nec deliberare valemus
Quæ minus eſſe diu, poſſimus morte perempti
Proinde licet quot vis, viuendo condere ſæcla
Mors æterna tamen, nihilominus illa manebit
Nec minus ille diu, iam non erit ex hodierno
Lumine, qui finem vitæ fecit, & ille
Menſibus, atque annis, quæ multis occidit ante.

Hæc Lucretius tamquam colofonem appoſuit ſuæ impietati. Quibus profecto timorem illum mortis, & Acheruntis, præcipitem dare, ac funditus extirpare conatus fuit, quem initio libri dixerat.

Vitam humanam, ab imo turbare; nec immerito, quandoquidem mætus ille, qui prohibet illicitarum voluptatum vſum, Epicureis porcis, valde moleſtus eſt. Deprõpſit, & Lucianus, ex Epicuri officina, idem

Digitized by Google

prorsus argumentum, contra immortalitatem; Homo Lucretio similis, sicut ouum ouo, hic in dialogo, quo docet modum lugendi mortuos, irridens immortalitatem, finxit mortuum filium patri apparuisse, & apud eum conquestum, quod suis lamentationibus, nimis molestus esset, rogasse, ne amplius eum lamentaretur, aut si lamentaturus esset, id faceret, vt par erat, modum autem ostendit, nempe esse inconueniens, vt diceret. Fili miser, qui in obscuro sepulcro iaces, nunc meis cares, & amatæ parentis blanditijs, & te exedunt vermes, quandoquidem ipse careret oculis, & propterea tenebras, non perciperet, neque ipsorum blanditias, aut vermium morsus, defunctus iam, sentire posset, quod si lugere vellet, ita lugere deberet, fili cui non amplius molestus erit Pedagogus, neque socij criminationem aut insidias intentabunt, neque impudica meretrix, aut perditus leno, fraudem molietur, aut obscenus scurra, mendaciũ affinget, aut fraudulentus numularius, fœnus aceruabit, fili qui non amplius esuries, neque sities, neque algebis amplius, meam iracundiã non experieris, & satellitum audaciam, & tirannorum truculentam rabiem, vitasti. Atque ita, eodem prorsus argumento, quo Lucretius, Lucianus Atheus, ostendit, nullum post mortem homini super esse malum, nec bonum, æque ac ante ortum, nihil horum ipsi contingere potuit; sed de Luciano non mirum, quandoquidem ipse, vbique sui simillimus, deitatem, ac religionem omnem exibilat. Valde mirandum est, Senecam moralem cognominatum, & Stoicum, huic eidem, impietati subscripsisse. Hic enim *Epist. 54.* ad Lucilium, ita inquit.

Mors est, non esse, id quale sit, iam scio, hoc erit post me, quod ante me fuit; si quid in hac re tormenti est, necesse est, & fuisse antequam prodiremus in lucem, atqui nullam sensimus, tunc vexationem; Rogo, non stultissimum dicas, si quis existimet lucernæ peius esse, cum extincta est, quam antequam accenderetur? Nos quoque, & accendimur, & extinguimur, medio illo tempore, aliquid patimur, vtrinque vero, alta securitas est, in hoc enim mi Lucili, nisi fallor erramus, quod mortem iudicamus sequi, cum illa, & præcesserit, & sequutura sit, quicquid ante nos fuit, mors est, quid enim refert, vtrum non incipias, an desinas? vtriusque rei, hic est effectus; non esse.

Hæc tamen, & alia aduersariorum Sophismata, nihil solidam Philosophiam tangunt, neque, de animi immortalitate, hilum auferunt, omnia enim quæ dicta sunt, ostendunt perire post mortem ea, quæ ad compositum pertinent, vt sunt, operationes vegetandi, ac sentiendi, & aliæ quæ eiusdem sunt rationis, non autem, eas operationes animæ, quæ sunt ipsius propriæ, vt sunt intelligere, & velle, quare con-

Digitized by Google

concludunt, perire, poſt mortem, compoſitum, quod etiam intellexit Seneca, non autem, potiſſimam eius partem, quæ eſt animus, vt ſæpe diximus. Valida igitur ſunt talia, apud Epicureos, & beſtiales homines, qui nullam aliam, in homine operationem conſpicantur, quam corporalem, at apud veros Philoſophos, qui aliam, in homine, operationem agnoſcunt, in qua non communicat, actio corporalis, vt Ariſt. noſter dixit nullius momenti ſunt. & hæc pro ſolutione, eorum, quæ ab aduerſarijs omnibus, tum peripateticis, tum etiam alterius cuiuſcunq; ſectæ, contra animi immortalitatem, afferuntur. Diuino fauente, atque aſpirante numine, dicta ſint. In quibus, ſi quid boni, aut laudabilis Lector inueniat, id totum, ad patrem luminum, referat, ſi quid vero malũ, aut reprehenſione dignũ; ingenij mei tenuitatem, & humanæ ſcientiæ tenebras, excuſet.

Alia pro immortalitate animi argumenta, & Pomponatij ad eadem reſponſiones, proponuntur.
Caput XIIII.

AD finem iam, diſputatio mea, peruenerat, niſi me Pomponatij audacia, iterum prouocaret. Hic, in calce ſui libri, de immortalitate animæ. Octo adhuc propoſuit argumenta, quibus, certiſſime, animi immortalitas demonſtratur, nõ amplius, ex Ariſtotelis doctrina; ſed ex rei natura, & veritate, quæ pari, non dicam contentione; ſed pertinacia, oppugnare conatus fuit, & pari ſophiſmatum verſutia, atque calliditate eludere. Iterum igitur, pro veritate certabimus, & Pomponatij reſponſiones, non ſolum veræ Philoſophiæ diſſentaneas; ſed etiam, ab Ariſtotelis doctrina, quam ipſe, tanti facit, alienas eſſe apertiſſime demonſtrabimus. Primum eſt ex fine, ſi namque animus humanus eſſet mortalis, carituru eſſet homo, felicitate, ac ſuo fine; conſequens eſt abſurdum, & impoſſibile, ergo, & antecedens; priorem autem ſequelam probat, quia felicitas ad id pertinet, quod eſt potius, quare ad animam magis, quam ad corpus, ad corpus enim nõ pertinebit, niſi ratione animæ: ex animæ autem facultatibus, quæ ſunt vegetalis, ſenties, & intelligens, vegetalis excluditur, quæ cognitione vacat, ac pariter, ſentiens, quæ communis eſt brutis. Ergo ſola remanet

finem, qui vniuerſaliter conuenit homini; qui tamen competit parti perfectiſſimæ, non poteſt, neque conuenit; ſicut non quodlibet membrum, poteſt habere perfectionem cordis, & oculi; Immo non conſtaret animal. ſic ſi quilibet homo eſſet ſpeculatiuus, non conſtaret communitas humana, quare & plura climata, & diuerſæ regiones ſunt neceſſariæ. Felicitas igitur, non ſtat in habitu ſpeculatiuo per demonſtrationem, tamquam conueniens vniuerſaliter generi humano; ſed tamquam primæ parti principali eius. Et quantumcumque cæteræ partes, ad talem felicitatem peruenire non poſsint, non tamen ex toto priuantur felicitate, cum aliquid ſpeculatiui, & aliquid factiui, habere poſsint perfectę practici, qui habitus quaſi vnumquemque beatificare poteſt.

Hæc Pomponatius. Verum, quia ex prædicto argumento validiſſima inſtantia illata fuerat, contra mortalitatem, nempe, quod homo miſerrimus eſſet omnium animalium, ſi ea cariturus eſſet felicitate, quæ poſt erumnoſam hanc vitam futura ponitur; propterea, & huic occurrere conatus fuit, Falſam vero eſſe dixit deductam conſequentiam, nam quilibet homo, quantumcumq; miſerrimus, inquit ipſe, præferri debet cuicunq; bruto quantumcumq; quieto, & voluptatibus abundante, nemo etenim reperitur, tam ſtultus, & amens, qui potius ſibi eligeret, eſſe ceruum, aut lapidem longiſſimæ durationis, quam hominem, quantumcumque viliſsimum, & miſerrimum. Quapropter, homo probus, & virtutibus præditus, quamuis miſerrimus, & abiectiſsimo loco poſitus, poteſt adhuc, animi tranquillitate perfrui, cum virtus ſola, ſibi ad felicitatem ſufficiat. Libet autem apponere Senecæ verba, quæ ad huius confirmationem habet, libello de beata vita, *cap. 25. In ſublicium pontem, me transfer, & inter egentes abige, non ideo tamen me deſpiciam, quod in illorum numero conſideo, qui manum ad ſtipem porrigunt.* Quinimmo vir ſapiens, eligeret potius in maximis ærumnis viuere cum virtute, & ſapientia, quam cum ignorantia, & vitijs, in maxima opulentia, aut etiam Tyrannide, longe enim infelicior eſt Tyrannorum ſtatus, cuiuslibet moderati, & boni viri conditione, quamuis pauperrimi, & omnibus ærumnis afflicti. Quapropter Perſius, nullum aliud tormentum Tyrannis imprecatur, quam vt virtutem auerſentur, & quemadmodum ægrotantes, ſupino ſtomaco reſpuentes cibum, qui ſibi non modo proficuus, ſed neceſſarius eſt ad vitam, ſpontanea miſeria contabeſcunt. Ita ipſi, virtutis pulchritudinem, & vtilitatem videntes, tamen, ex deprauata natura, & conſumata malitia, ipſam potius fugiant, quam amplectantur.

Magna pater Diuum ſanos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis cum Dira libido

Me-

Monerit ingenium ferventi tincta veneno
Virtutem, vt videant intabescantq; relicta
Aut nè magis Siculi gemuerunt aera iuvenci
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, imus
Omnis præcipites quam si sibi dicat, & intus
Palleat infelix quod proxima nascitur uxor?

Atque ita concludit Pomponatius, nihil valere prædictũ argumentum, ad immortalitatem statuendam, quandoquidem neque homini alius propositus debet esse finis, quam sibi proportionatus, non enim debet Dei, aut separatarũ mentium appetere, vel sperare felicitatem; sed hominis, qua non carebit, etiã si anima sit mortalis, perfectio enim in factiuis habitibus, & felicitas in actiuis, illi non deerit, quemadmodum, neque speculatiua, talis tamen, qualis homini competit, quæ etsi sit exigua, tamen ob sui præstantiam, omnia superat, atque excedit bona: & finem, siue felicitatem vniuersalem, tota consequetur humana species, quamuis non omnes, sigillatim ipsam ex æquo consequi possint.

Secundum argumentum est, quia si anima esset mortalis, non daretur virtus fortitudinis; sed hoc est contra Aristotelem, & contra omnium hominum consensum; contra Aristotelem, quia Aristoteles 3. Moralium, statuit inter cæteras morales virtutes esse fortitudinem, qua mors cum honestate, potius eligitur. quam vita cum turpitudine. Est etiam contra communem omnium hominum consensum, quia odio habent, & contumelijs prosequuntur eos, qui turpia perpetrant etiam pro tuenda vita, honore vero, & laudibus afficiunt illos, qui pro honesta causa viram prodigere non dubitarunt. Prior autem sequela est euidens, nam si anima etiam, cũ corpore moreretur. Mors esset extremum omnium malorum, homo enim omnino desineret in non ens, quod nullo pacto est eligibile, quinimmo est omnium maxime fugiendum. Itaut, homo deberet quæcumque mala perpetrare, ad euitandam mortem, vt S. Thomas dixit in expositione Symboli Apostolorum, super particula, *Carnis resurrectionem*. Quod etiam confirmatur ex Platone, qui in Phædone, inquit. Mortem non esse æquo animo ferendam, nisi spes esset, de meliori vita, & 5. de legibus pariter dixerat, eum, qui vitam existimat summum bonum; ipsam vituperare.

Argumento huic respondet Pomponatius. Negando maiorem sequelam, & ad probationem inquit, quod etiam si anima esset mortalis

talis Vir fortis pro honeſta cauſa deberet mortem oppetere, non tamquam eligens mortem, mors enim cum ſit malum, non habet rationem eligibilis; ſed tamquam eligens virtutem, quæ eſt maximum bonum, & maius quam vita, & tamquam deuitans vitium, quod eſt maximum malum, & maius quam mors; quapropter, primo & per ſe, ipſe eligeret actum fortitudinis, qui eſt quid bonum, ſecundario autem, & per accidens, eligeret mortem, quia talis actus fortitudinis non poteſt eſſe ſine morte, ac pariter, primario, & per ſe, fugeret vitium, quod eſt malum; ſecundario autem, & per accidens, vitam, quam ſine vitio retinere non poſſet. Hoc autem eo magis à viro forti eligendum eſt, quo certus eſt, etiam ſi cum vitio retineat vitam, ſe non poſſe omnino euitare mortem; ſed tandem aliquando, eſſe moriturum, quamuis aliquanto ſerius; cum virtute autem apud memoriam hominum, & famam poſterorum, fore diutiſſime ſuperſtitem, nemo autem eligeret diutius viuere cum infamia, & dedecore, quam citius mori cum gloria, & bona fama, & Ariſtoteles ipſe, *1. Ethicorum* dixit, vitam longam præferendam eſſe breui, vbi cætera ſint paria. Ad auctoritates vero, inquit, tum Platonem tum S. Thomam, non fuiſſe ex propria ſententia loquutos; ſed ad opinionem vulgi, qui non cognoſcit præſtantiam, & excellentiam virtutis neque turpitudinem, & fæditatem vitij, quapropter Socrates in Apologia dixit, quod ſiue anima ſit mortalis, ſiue immortalis, mors non eſt timenda, confirmat autem hãc ſuã reſponſionem Pomponatius, ex eo, quia multa animalia bruta, quorum animas certum eſt, eſſe mortales ſeipſa morti exponunt, vt de apibus Ariſt. refert, *9. de hiſt. animal. cap. 40.* quæ pro defenſione ſui Regis mortem oppetunt, & de ſæpia mare, quæ vt tueatur fœminam mortem occumbit, & de Camelo *eod. lib. cap. 47.* qui deceptus à Camelario cum matrem inijſſet, fœditate actus indignatus, mox Camelarium morſu occidit, ac de æquo, qui pariter deceptus cum matrem impleſſet, ſe ſe præcipitem dedit, quæ omnia cum à natura, & non à ratione fiant, natura autem dirigatur ab intelligentia non errante, non eſt dicendum, inquit Pomponatius, præter rationem eſſe, ſi homo ſuppoſita animi mortalitate, pro honeſta cauſa oppetete fortiter magis eligat, quam turpiter viuere.

Tertium argumentum eſt, ſi animus eſſet mortalis Deus aut non haberet curam, & gubernationem vniuerſorum, aut eſſet iniuſtus, quorum vtrumq; impium, & blaſphemum, eſt dicere, conſequentia probatur, quia multi reperiuntur homines praui, & ſcelerati, quorum crimina ſunt occulta hominibus, ipſi autem, ſimulantes bonitatem,

per

Digitized by Google

per Hyppocrisim; multa consequuntur bona, & honores, in hac vita, multi etiam reperiuntur, qui Tyrannice viuentes, aperte, per omnia scelera grassantur, qui tamen vsque in finem, feliciter viuunt, & impuniti moriuntur, vt fuit Sylla, qui voluit cognominari felix, & Marius, qui septies fuit Consul. E contra vero multi reperiuntur homines, probi, & iusti, quorum probitas occulta est hominibus, & ideo habentur viles, & abiecti, & semper egent. Multi etiam sunt, qui ob insignem probitatem, & illustrem, ipsorum iustitiam, ac pietatem, variis ærumnarum modis afficiuntur, & sæpissime à Tyrannis, morte crudelissima plectuntur. Quorum in Ecclesia Dei, ingens est numerus. Horum autem merita, inremunerata perirent, si animus esset mortalis, & sic, de merita malorum, impunita etiã remanerent, vtrumque vero, iniquum, & iniustum est, aut casu omnia fieri, & fortuito, nec vllum esse rerum moderatorem, & rectorem arguit, vt Claudianus Poeta, in Ruffinum inuectus, cecinit tali Carmine.

Sæpe mihi, dubiam traxit sententia mentem
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu
Nam cum dispositi quæsissem fœdera mundi
Præscriptosq; Maris fines, annique meatus
Et lucis noctisq; vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerso tempore nasci
Qui variam Fœben alieno iusserit igne
Compleri solemq; suo, porrexerit vndis
Lictora, tellurem medio libraverit axe
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Adspicerem lætosq; diu florere nocentes
Vexariq; pios rursus labefacta cadebat
Religio, causæq; viam non sponte sequebar
Alterius vacuo quæ currere semina motu
Affirmat magnumq; nouas per inane figuras
Fortuna non arte regi quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat vel nescia nostri.

Cum igitur hanc difficultatem, sola animorum immortalitas, auferre possit, quamuis enim multi nocentes, in hac vita felices sint, tamen in altera perpetuas pœnas luent, & multi innocentes miseri in hac vita, in futura perenni beatitudine fruentur. Necessario dicendum erit, animum, fore post mortem superstitem, & immortalem.

Hoc

Digitized by Google

Hoc argumentum quamuis irrefragabile, tentauit etiam ſoluere, Pōponatius, data præmij, ac pœnæ diſtinctione; duplex enim eſt præmium, & duplex pœna, vnum ſcilicet præmium eſſentiale, & alterum accidentale, eſſentiale inſeparabile eſt, & ſemper ſequitur, accidentale vero, ſeparabile eſt, nec ſemper ſequitur; ita pariter & pœna, duplex eſt, eſſentialis, & accidentalis; eſſentialis ſemper affligit, accidentalis vero nō ſemper. Hac poſita diſtinctione, inquit, etiā ſi anima ſit mortalis, tamen vitia non remanent impunita, pœna eſſentiali. Vitij enim eſſentialis pœna eſt vitium ipſum, ſiue operatio vitioſa, quæ ſemper eſt cum vitio; quare vitioſi ſemper ſunt miſeri, quamuis ipſis aliquando deſit pœna accidentalis, & extrinſeca, quæ eſt pœna ſenſus. Et pariter virtutes non remanent irremuneratæ, præmio eſſentiali, quod eſt ipſamet virtus, cuius actus eſt felicitas, & perfectio hominis, quare, qui ſecundum virtutem agit, ſemper eſt felix; quāuis aliquando, vel ſæpius priuetur felicitate extrinſeca, & accidentali, cuiuſmodi ſunt diuitiæ, honores, & bonorum affluentia.

Quarto. Arguitur ex communi omnium hominum conſenſu, omnes enim homines, non ſolum qui nunc ſunt; ſed etiam qui ante fuerūt, Religioni alicui addicti, & obligati fuerunt, aut ſunt; omnes autem religiones, & leges, quæ nunc extant, vel extiterunt, in hoc conueniunt, quod anima eſt immortalis; quare hoc, eſt maxime famoſum, & nihil famoſum, vt Ariſtoteles, inquit lib. de diuinatione per ſomnū eſt, ex toto falſum, aut dicendū eſt, omnes hucuſque homines deceptos fuiſſe, & decipi, quod pariter eſt impoſſibile.

Huic Argumento, ab eodem dupliciter reſpondetur. Primo concedendo totum argumentum, ſiue deductam conſequentiam, nullum enim putat abſurdum, omnes homines, aut maiorem ipſorum partem decipi, quinimmo hoc neceſſarium eſſe dicit; ſi enim totū nihil aliud eſt, quam ſuæ partes, & nullus homo eſt, qui non decipiatur, vt Plato, inquit in Politico, ſequitur, quod tota ſpecies humana, obnoxia ſit deceptioni, aut ſaltem maior ipſius pars; hoc autem cōfirmat ex eo, quia noſtra tempeſtate in vniuerſo mundo, ſunt tres leges, ſcilicet Chriſti, Moyſis, & Maumetti, & ex his tribus, ſola Chriſti lex eſt vera. Ergo duæ aliæ hominum partes decipiuntur. Secundo reſpondet. Legiſlatores ſanxiſſe animos eſſe immortales, non quod rei veritate ita ſit; ſed propter bonum politicum, tamquam neceſſarium id ſit ad bonum regimen populorum, vt populi in officio contineantur, & boni, nō ſolum virtutis amore; ſed etiam ſpe præmiorum, & in præſenti, & in futura vita, ad bene, & ſtudioſe viuendum, inuitarentur, mali autem non ſo-

referre conatus fuit, vt ex ipsius responsione, quam nunc recitabimus clarius apparebit.

Respondet his argumentis Pomponatius, & primum primo, quoad priorem eius partem, quæ est de vmbris apparentibus circa sepulchra multipliciter. Prima autem responsione, negat veritatem talium visorum, multa enim, inquit ipse, leguntur in historijs, quæ sunt meræ fabulæ. Secundo inquit, quod etiam concesso, quod sint vera, tamen non est dicendum talia visa, esse animas defunctorum, cum hoc possit fieri ob aërem crassum, & densum, qui est in illis locis, ex euaporatione cadauerum, quæ condensata ob frigiditatem lapidum, & ex alijs causis reddit aërem aptum ad suscipienda idola, siue imagines aliorum corporum, siue illorummet, qui talibus locis appropinquant, quique videre se putant vmbras, & ad ipsa eadem idola repræsentanda. aër enim incrassatus, hanc vim obtinere potest, vt ab ipso tamquam à speculo refrangatur imago, quod fieri etiam posse absque aëris condensatione ob solam visus debilitatem Arist. testatum reliquit *3. Metheororum capite* de Iride, exemplo illius, qui semper videbat proprium simulachrum à conspectu, siue contra se ambulantem, quod facilius contingere potest, accedente imaginatione cum timore, & credulitate; Tales enim passiones efficiunt, vt phantasmata, quæ intus versantur. in sensorijs foris appareant, vt fit in ægritudinibus. Tertio aliam affert causam impostura, & dolum malorum hominum, qui simplicibus volunt illudere, aut illos decipere. Verum quia talium vmbrarum apparitiones à multis viris grauissimis celebratas, & inter ostenta recensitas videbat. Virgilius enim *1. Georgicorum in fine*, ita ipsatum meminit

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens, & simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis pecudesq; locuta.

Et Lucanus multa talia etiam refert. *Et 2. Machabæorum* legitur multa, & portentosa simulacra pugnantium, & discurrentium equitum armatorum Hierosolymitanis per aëra visa fuisse diebus quinquaginta, tempore quo Antiochus secundam parauit profectionem in Ægyptum, propterea ratus impudentiam esse, dicere, quod talia sint impostura, aut omnino præstigia; aliam commentus responsionem, inquit hæc opera esse, corporum cœlestium, vel potius intelligentiarum orbes mouentium. Hoc autem facile se probare posse existimat si accipiatur, quod ab omnibus conceditur, talia portenta fieri ab intelligentijs, aut bonis, quas Angelos appellamus, aut malis, quas dæmones, cũ vero hoc dicere, non sit ex sententia Aristotelis loqui, nec naturaliter.

Aristoteles enim non putauit, alias dari intelligentias, præter eas, quæ mouent orbes, vt docuit *12 Metaphys.* neque naturæ lumine nos aliter possumus cognoscere ipsas, quam ex motu, necessario dicendum erit, tales operationes fieri ab intelligentijs, simul cum orbibus, & ita à corpore cœlesti, vt dicit aggregatum, ex intelligentijs, & orbibus. Probat autem hanc suam sententiam, primum auctoritate Alexandri Aphrodisei, qui vt refert S. Thomas in quæstione de miraculis *artic. 30. & vlt.* omnia, quæ nos credimus fieri ab Angelis aut à Dæmonibus, fieri ab impressione corporum cœlestium existimauit; Deinceps vero probat multis alijs rationibus, tum quia mundus hic inferior à superioribus lationibus pendet, & gubernatur, vt Arist. *2o. Meteororum* dixit. Cum vero existimauerit Alexander, Deum, & intelligentias habere prouidentiam horum inferiorum, vt ipse dixit in libro de fato, non mirum si cœlestibus virtutibus, talia moliuntur prodigia, ad salutem totius speciei humanæ aut partis, quæ sunt particulares homines, & propterea in ortu, vel obitu præstantium virorum, prodigia fere semper apparere consueuerunt, vt Liuius, Suetonius, Plutarchus, Virgilius, Lucanus, & alij auctores testantur, & veluti anni temporum, & aëris tempestatis à cœlo præbentur signa, ita nõ est absurdum reliquorum, quæ ad hæc inferiora pertinent, ostenta monstrari, quæ si aliquando, cœli, brutis animalibus significant, vt patet ex Aruspicina, cuius clarissima sunt apud Historicos exempla; possunt etiam, & hominibus manifestare. Tum etiam hoc probat argumento, quia aliqui sola astrorum peritia, mirabilia aliqua portenta præuiderunt, quod non potuisset fieri, nisi cœlum fuisset ipsorum causa. Exemplum vero huius rei affert ex Alì Abenragel, qui in libro de natiuitatibus sic habet; referente Conciliatore, in expositione *27. problematis vndecimæ particulæ.*

Rex noster vocauit nos, eo quod vna ex mulieribus suis peperit filium, & fuit ascendens octo graduum libræ, terminus Mercurij, & in ipso fuerunt Iupiter, Venus Mars, & Mercurius. Et conuenit illic, vna societas Astrologorum, quorum quilibet dixit suam opinionem; & Ego tacui, tunc Rex, dixit mihi, quid habes? cur non loqueris? cui respondi, date mihi terminum trium dierum, quod si filius vester transierit tertium diem, erit de ipso miraculum magnum. Et cum natus complenit 24. horas, incepit loqui, & facere signa cum manu, & Rex multum expauit; vnde, & ego dixi: possibile est quod dicat aliquam Prophetiam, & aliquod miraculum, & tunc cum Rege fuimus ad puerum, & dixit puer. Ego sum natus infortunatus, & natus sum ad indicandum, amissionem Regni Agedeir, & destructionem gentis Almanni. Hic statim cecidit, & mortuus est, & compertum est, vt dixit.

Præ-

Digitized by Google

Præterea, hoc idem probat; ſi enim conceditur Angelos aut Dæmones, nulli corpori coniunctos, hæc poſſe facere, quanto magis concedendum eſt, intelligentias corpore vtentes, vt organo, hæc poſſe præſtare præcipue cum corpus cœleſte ſit omnium nobiliſſimum, & formas omnes inferiores virtute, atquè eminenter contineat. Quinimmo, ſi cœlum videmus, plantas, & animalia producere, & etiam animalium aquatilium, qualia ſunt conchæ, & pinnæ, vt vngues, & alia aquatica Zoophita, imaginem, & figuram inter lapides mediarum alpium efformare, vt non ſolum Albertus, & multi alij teſtantur; ſed etiam egomet, qui hæc ſcribo, vidi, ſimul cum Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Cardinali Aldobrandinò, in quadam rupæ, quæ Pado Fluuio imminet, non longe à Ciuitate Taurinenſi, iuxta oppidum Verruæ. Quanto magis dicendum eſt, poſſe cœlum prædictas imagines, & Idola, in aëre efformare. Confirmat hoc etiam, nam ſi Dæmones poſſunt multa admiranda facere, & producere non ad nutum voluntatis, ſiquidem neque ipſis, neque bonis Angelis materia ad nutum obedit, niſi in motu locali, vt S. Auguſtinus docuit *3. de Trinitate cap. 6.* & S. Thomas quæſt. de miraculis *cap. vltimo*. Sed tantum applicando actiua paſſiuis, vt ſcribitur de Magis Pharaonis, qui conuerterunt ſuas virgas in Serpentes, Dæmonum opificio. quanto magis aſſerendum eſt, multa admiranda poſſe fieri ab intelligentijs, applicãdo actiuitatem cœleſtium corporum, quæ continent virtutem omnium actiuorum. Hæc Pomponatius, non minus impie, quam ſtulte, contra omnem Philoſophiam reſpondit, quantum pertinet ad priorem partem dicti argumenti, quæ pariter confirmauit in Apologia, & in libris quos de incantationibus aduerſus incantationes conſcripſit. Quod vero pertinet ad ſecundam partem argumenti, quæ deſumebatur ex reuelatione in ſomnis facta, inquit hoc non arguere, alium animæ ſeparatæ ſtatum; ſed tantum Dei prouidentiam, qua homines ſæpius admonet, vt eis conſulat quapropter Auerroes, qui poſuit vnam tantum animam intellectiuam in omnibus hominibus, in libello de Diuinatione per ſomnum illam non negauit; ſed abunde conceſſit, & Galenus, qui ſtatuit animam mortalem multa vtilia ad Medicinam fuiſſe in ſomnis reuelata, & etiam ſibi ipſi concedit. Somnium vero alterius Arcadis non fuiſſe ab anima defuncti; ſed à Deo admonente quandoquidem, vt inquit Plato 5. de Republica, delinquentium in Peregrinos, Deus eſt vltor; Narratio autem Eripamphilij, eſt Apologus, non autem hiſtoria.

Ad Sextum vero argumentum de Energumenis dicit, eos eſſe vexatos ab atrabile, & ita aut furioſos, & mente captos, aut phanaticos, aut

æstasim patientes,ac proinde;tamquam alieni, & non proprij iuris,facile agi, & moueri ab influentijs cœlestibus,ad futura præsagienda,ex quo dici solet,stultos,& infantes sæpe Prophetare, quod patet etiam, ex auibus,quæ solo naturæ instinctu,aut cœlorum impulsu, futura aliquando præsagiunt,vt Arist. refert *9.de hist.animal. cap.31.* de coruis, qui eo tempore,quo hospites mediæ in Pharsalia periere, ab Attica, & Peleponnesi regione,defuerunt;quasi sensum haberent aliquem,quo inter se,rerum euenta significarent,& mouerentur.

Septimum adhuc argumentum, desumptum est, ex auctoritate Arist.*1. Ethicorum cap.11.* vbi inquit, fortunam posterorum, si ad defunctos pertingat,talem esse,vt neque infelices, felices, neque felices,infelices, reddere possit, supponuntur ergo mortui, superstites. Nec non *1.Oechonomicorum cap.vltimo,* vbi inquit Alcestem, & Penelopem,eo quod viros suos in aduersa fortuna dilexerunt, immortalem gloriam fuisse consequutas, & à Dijs remuneratas, ergo ipsarum animæ,immortales permansérunt.

Huic argumento facile respondet, & Primum, ad primam auctoritatem dicit, illam potius pro mortalitate concludere;supponit enim mortuos non esse, & proinde fortunas posterorum nihil,aut parum ipsos attingere, hoc est, quoad existimationem tantum. Ad alteram vero inquit, quod mulieres illæ fuerunt à Dijs remuneratæ in vita, & immortalem gloriam consequutæ sunt, quoad famam, quæ semper permanet apud posteros.

Octauum argumentum est, ex conditione hominum, qui vtramq; sententiam sectantur. Qui enim, Animam putarunt, aut putant immortalem, omnes fuerunt, aut sunt, ignaui, flagitiosi, & impuri, insani, athei,bestiales,sceleſtissimi: ex his enim; ignauus fuit Epicurus, flagitiosus, & impurus, Aristippus, insani,Democritus, & Lucretius, athei, Diagoras, & Lucianus, bestialis,Sardanapalus, ac demum sceleſtissimi omnes, qui maximorum criminum sibi conscij,animum simul cum corpore interire cupiunt, ne suorum scelerum in posterum pœnas luant. Contra vero, omnes viri cordati, industrij, sobrij,boni, sancti, eruditi; existimarunt animum immortalem,quales sunt omnes qui rite,Sanctissima Christi præcepta colunt, & coluerunt. Ex Etnicis vero, quamuis etiam illi,qui immortalem dixerunt animum,vitijs non caruerunt, tamen nemo, ex ipsis fuit, qui insigni aliquas virtute præditus non fuerit; Sobrius Pytagora,sapiens, & castus, magnorũ virorum testimonio, Plato, Doctus, & veritatis amator, Aristoteles, Eloquens, & patriæ custos, Cicero. Moderati, ac fortes,Stoici. Huic quoque

Digitized by Google

quoque argumento, non deſtitit Pomponatius reſpondere, & inquit, non defuiſſe, viros probos, & ſapientes, qui animum mortalem putarunt, quales fuerunt, Simonides Poeta, quem diuinum Plato, in primo de republica appellauit, Hippocrates Cous, qui quanta fuerit probitate præditus, in ſuo iure iurando, teſtatum reliquit; Galenus, Alexandẽr Aphrodiſeus, Alfarabius, Abubacher, Auempace, Plinius ſecundus, qui omnes fuerunt viri Doctiſſimi, ac tandem Seneca, moralis cognominatus, & ipſe mortalem animum ſtatuit tum *lib. 7. epiſtolarũ ad Lucilium epiſt. 54.* Tum etiam libro de conſolatione ad Marciam *cap. vltimo.* Quis autem eſt, qui Senecæ ſapientiã, & probitatem ignoret?

Ita quidem Petrus Pomponatius, ſuum tractatum, contra animi immortalitatem clauſit, & nos eius reſponſionibus, & falſitatibus confutatis, Deo iuuante, noſtris pro immortalitate libris, finem imponemus.

Reſponſiones Pomponatij confutantur.
Caput XV.

HVNC etiam, laborem confutandi falſiſſimas, atque perniciosiſſimas, Pomponatij reſponſiones (diuino aſpirante numine) exantlabimus. Erat primum argumentum, ad ſtatuendam animi immortalitatem; ex felicitate, tãquam fine hominis deſumptum, qua proculdubio careret, ſi eſſet animus mortalis. Mirandum certe eſt, quam falſa, quam paradoxa, quam pugnantia, & Ariſtoteli, & ſibi ipſi, vir hic attulerit, vt ab hoc, validiſſimo argumento, ſe extricaret. Poſt longas igitur, verborum, atque exemplorum ambages; duplici tandem innititur reſponſioni, vna eſt, homini, veluti, & cuilibet rei alteri, non quemcumq; aut optimum finem; ſed ſibi proportionatum deberi; ac pariter de felicitate dicendũ, quæ eſt hominis finis. Felicitate autem humana, quæ illi conuenit, vt homo eſt, nullus homo priuatur, etiam ſi, anima ſit mortalis, talis enim, pertinet ad virtutes morales, quæ in noſtra ſunt poteſtate, quilibet enim, poteſt eſſe bonus vir, qui velit, virtutes autem morales exercentur in hac vita, non autem eſt neceſſe hominem conſequi finem optimum, qui eſt in vita intellectiua, talis enim finis non eſt

Digitized by

illi proportionatus, cum vere competat intelligentijs, non autem homini. Quare non est necesse, vt consequatur illam felicitatem, quam dicunt animo competere post mortem. Hic admonitum velim Lectorem, ne grauetur, ob repetitas hic responsiones, quas paulo ante, etiã recitaui, non enim hoc factum est frustra, sed consulto, vt confutatio magis sit euidens, recenti responsionis memoria, quod, & si necessarium non sit viris doctis, & exercitatis, tamen, non est inutile. fortasse enim, hic Liber, in aliquorum manus, incidet, qui facile persuasi illis responsionibus, non ita facile postmodum, illas abijcient, nisi euidens sit valde, ipsarum confutatio, hoc autem, breuitati nihil officiet, nam arctissimo tantum compendio, illas, vbi opportuerit, ad memoriam reuocabimus. In hac responsione Pomponatius primum ab Arist. præceptore discedit, secundo à veritate, tertio à se ipso. Ab Aristotele quidem, nam cum Aristoteles *10. Ethicorum*, duas hominis felicitates proposuisset, vnam actiuam, quæ, ad virtutes morales pertinet, de qua Pomponatius sermonem habet, alteram vero contemplatiuam, quam, idem, ab hominibus, aut omnibus, aut saltem quãplurimis excludit, actiuam, nequaquam veram felicitatem, esse statuit, cum multis indigeat; sed magis intellectiuam, & quamuis dicat, felicitatem hanc proprie conuenire Dijs, tamen ipsius, etiam homines participes facit. Hæc sunt eius verba *10. Ethic. cap. 8. Quare, Dei operatio cum beatitudine excellat, contemplatiua erit, & ex humanis, ea erit felicissima, quæ huic maxime est cognata.* Ita igitur ex Aristotele, contra Pomponatium, arguo Actiua felicitas, non est vera felicitas hominis. Ergo neque & finis, felicitas autem contemplatiua, quæ potius hominis est felicitas, vere homini non competit in hac vita, quia adhuc, qui contemplatur, aliquibus indiget, externis saltem, bona corporis valetudine, & alijs, quæ ad vitam sunt necessaria, vt Aristoteles idem docuit *10. Ethicor. cap. 9.* in principio. Ergo, si anima est mortalis, deest homini felicitas, & ita deest illi proprius finis, proprius enim hominis finis, est felicitas cõtemplatiua; sed dicet Pomponatius, nõ deest homini felicitas contemplatiua humana, quæ est cum corpore, & est homini proportionata, quamuis illi desit felicitas intellectuum separatorum, quæ cum non sit proportionata homini, neque illi debetur. *Ad hoc* dicimus, primo peti ab aduersario principiũ, cũ supponat id, quod est in quæstione, in quæstione autem est, vtrũ debeatur homini aliqua felicitas post mortem, quod nequequam intelligitur de homine tamquam de toto composito, ita enim dubium non est, non competere ipsi aliquam felicitatem, cum compositum non remaneat; sed de homine

mine, quantum ad ipſius animam, quæ felicitas, nulla alia profecto eſſet, quam ſubſtantiæ ſeparatæ; itaque dum ipſe aſſumit, hanc felicitatem, non eſſe proportionatam homini; ſed illam tantum, quæ eſt in corpore, aſſumit quod eſt in quæſtione. Præterea, probo, felicitatem, quæ eſt in corpore, non eſſe proportionatam homini, nec veram eius felicitatem, ex Ariſtotele, ſed felicitatem animæ ſeparatæ tali pacto. Felicitas contemplatiua, quæ competit homini, illi cõpetit ratione intellectus, qui in ipſo eſt; vt Ariſt. docuit *10. Ethicorum cap. 7.* ſed intellectus, qui in ipſo eſt non indiget corpore in ſua operatione, vt idem docuit & eodem loco & *2. de generatione animal. cap. 3.* Quinimmo, corpus eſt ipſi impedimento, vt eodem lib. *cap. 8.* teſtatum reliquit, his verbis; *contemplanti vero, nulla huiuſmodi rerum, ad operationẽ quidem indigentia eſt; quin fere contemplationi eſſe impedimento conſueuerunt, & 1. de anima part. 49.* Vbi dixit, melius eſſe intellectui, non cum corpore eſſe, quam cum corpore. Ergo felicitas contemplatiua vera, & quæ homini competit, eſt felicitas animæ ſeparatæ, & quamuis Ariſtoteles loco citato, dicat, hanc felicitatem, non competere homini, vt homo eſt; ſed quatenus diuinum aliquid participat, tamen infra, ſcilicet *cap. 8.* In principio capitis, explicans quid intelligeret, per felicitatem, quæ competit homini, vt homo eſt; dicit, talem felicitatem, eſſe felicitatem compoſiti, felicitatem autem, quæ homini competit, ratione intellectus, felicitatem appellat, ſeparatam. Ergo, felicitas contemplatiua, quæ eſt vera hominis felicitas, & illi competit ratione partis intellectiuæ, qua, & dicitur eſſe homo; eſt felicitas ſeparata, non autem coniuncta cum corpore, vt Pomponatius dixit. Quare, ſi homo hac priuabitur, priuabitur propria felicitate, & fine, qui ſibi debetur, vt argumentum pro immortalitate concludebat. Clariſſima autem ſunt Ariſt. verba, citato loco *10. Ethic. cap. 8* quæ non pigebit adſcribere. *At hæ connexæ cum affectibus ſunt, & circa compoſitum, verſantur, virtutes vero compoſiti, humanæ ſunt, & vita igitur, quæ ſecundum ipſas traducitur, & felicitas, huiuſmodi erit, mentis autem ſeparata eſt. De ipſa enim hoc tantummodo, eſt dictum, nam exquiſite tractare, maius eſt, quam præſenti propoſito conueniat.* Animaduerſione autem digna ſunt poſtrema verba, quibus Ariſtoteles, fatetur quidem, & tamquam compertum ſtatuit, dari hanc humanam felicitatem ſeparatam, reliqua autem, quæ ad ipſam pertinent, reticuiſſe, tamquam quid maius, quod tranſcendit moralem conſiderationem, aut etiam naturales humani ratiocinij vires. Diſcedit etiam Pomponatius à veritate, veritas enim eſt, in hac vita non poſſe reperiri veram felicitatem, cum ſit

multis

Digitized by Google

multis obnoxia calamitatibus,& multis malis implicita,tum corporis, tum animi, vt quilibet cuiuscunq; sortis, & conditionis experitur,ita-ut,bene à Plinio, dictũ fuerit *lib.25.cap.3.mori plerumq; etiam optimis, portus.* Quod si aliquibus id contingit, vt sine vlla molestia, & angore,vitam traducant, qui rarissimi sunt, vnus aut alter in multis sæculis, & vt Iuuenalis inquit.

Rara auis in terris nigroq; simillima Cycno

Tamen, neque vere felices sunt,dum in hac vita versantur. Et ratio est, quia felicitas, debet esse stabilis, & secura, perfectio enim in-quiete est, non in motu, dum autem quisq; in vita est, est in motu,& in via,non autem in termino, quapropter, etiam si sit felix, poterit à suo statu decidere, & fieri miser, vt Priamo contigit, & Cresо, qui potius dicti fuerunt miseri, quam felices, quia ipsorum felicitas non-fuit stabilis; quod bene de se ipso cecinit Boëtius noster lib.1. de consolatione Philosophiæ,metro primo his Carminibus.

Quid me felicem, toties iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Et Solon, neminem dicendum esse felicem, ante extremam diem existimauit; sed post mortem solummodo, hominem beatum appellari tuto posse, quia tunc, extra omnia mala, & infortunia collocatus sit, vt Arist. refert 1. *Moralium cap. 11.* Non ergo potest esse hominis finis felicitas hæc compositi, quæ pertinet ad præsentem vitam, cum-sit plena multis miserijs, & adulterina felicitas, Remanet igitur inconcussum argumentum. Si anima non erit immortalis, homo priuabitur felicitate, quæ est eius finis. Nec minus, in hoc eodem à se ipso discedit, & sibi ipsi, Pomponatius contradicit, multis enim in locis, huius vitæ miseriam, & calamitatem deplorat, nec solum corpus nobis adesse inter cætera reliquorum animalium maxime debile, & morbosum, verum etiam, ingenium imbecille ad intelligendum, itaut nostrum scire, sit magis ignorare, & intelligere sit potius vmbra quam intelligere,prauum adoperandum,& ad vitia pronum, ac promptum, ad virtutes autem segne, & refractarium, nullum enim aliud animal, ambitione, & auaritia tentatur; nullum crudelitati, & libidini magis seruit. Multis inquam in locis, hominis ac præsentis vitæ infelicitatem testatur; sed potissimum *lib.de immortalitate animæ cap.12.* His verbis. *Quod si dicatur nos multum vilificare intellectum humanum, cum ipsum vix vmbram intellectus affirmamus; huic quidem dicitur quod vere comparando ipsum intelligentijs vmbra est, quod etiam docet Arist. in tractatibus de anima, & in 2. Metaphysicæ, non enim vere appellatur intellectualis; sed rationalis*

intel-

Digitized by Google

intellectus enim ſimplici intuitu, omnia intuetur, at ratiocinatio, compoſitione diſcurſu, & cum tempore, quæ omnia atteſtantur ſuper imperfectione, & materialitate eius, ſunt enim hæc, conditiones materiæ. Si vero ipſum intellectum humanum comparaueris, ad cætera generabilia, & corruptibilia; primum gradum nobilitatis obtinebit, quamquam corpus ſit imbecillimum, & fere infinitis infirmitatibus obnoxium deterioriſq; conditionis, quam ſint fere omnes beſtiæ, vt optime, Plinius ſecundus 7. libro naturalis hiſtoriæ manifeſtat. Adde inſuper quod homo, vel eſt ſubiectus, vel alijs dominatur, ſiquidem ſubiectus eſt, conſideret ſuam peſsimam ſortem, &c.

Mirum autem eſt, quanam ratione ſi ipſe hoc in loco confeſſus fuit, hominem eſſe deterioris conditionis, quã ſint fere omnes beſtiæ, paulo poſt tamen, ſui oblitus in hac eadem reſponſione conatus fuit ſoluere validiſſimum illud argumentum. Si anima eſt mortalis, nec alia poſt præſentem eſt vita, magis miſeri ſumus, quam cætera omnia animalia, quo eodem argumento, tamquam veriſſimo, vſus fuit Beatiſſimus Apoſtolus Paulus, prima ad Corinthios dicens. *Si in hac vita tantum, in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus, omnibus hominibus.* Patet itaque Pomponatium, in hac reſponſione, & ab Ariſtotele, & à veritate, & tandem etiã à ſeipſo diſceſsiſſe. Cum vero ipſe quoque huius ſolutionis inſufficientiam, & falſitatem aduertiſſet, ſecundam attulit dicens. Hominem nequaquam priuari ea felicitate, quæ conuenit vniuerſæ ſpeciei, quamuis non quilibet participet ea, quæ competit partibus aliquibus præſtantioribus, quemadmodum, omnia membra conſpirant ad integram operationem vitalem totius corporis, & ſi non omnia, exerceant munia, & operationes principum; ſed ſingula ſuum proprium, & peculiare munus, cui ſunt deſtinata.

At hæc reſponſio, non minus eſt falſa, & contra Ariſt. doctrinam, tunc enim homo non poſſet conſequi aliam felicitatem, quam felicitatem politicam, ex hoc autem, duo ſequuntur abſurda, vnum, quod felicitas contemplatiua, quam vere, & proprie felicitatem Ariſt. appellauit, non competeret homini. Alterum vero, quod ſinguli homines felicitate carerent propria, & ita, proprio fine: prima ſequela, eſt euidens, nam felicitas contemplatiua competit certis ac ſingularibus hominibus, quinimmo pauciſſimis, non autem omnibus, altera quoque probatur, nam felicitas totius, eſt perfectio totius non autem partium, abſurdum autem eſt cum ſinguli homines ſint capaces felicitatis, ipſam, ſingulis non præberi. Videns hæc aduerſarius; conatus fuit occurrere; ſed magis abſurda protulit, dixit enim quemlibet hominem eſſe participem operationis, cuiuſlibet intellectus, non ſolum factiui, & actiui,

Digitized by

& actiui, verum etiam, ſpeculatiui, quare, & quemlibet hominem eſſe participem cuiuſlibet ſcientiæ ſpeculatiuæ, & Phyſicæ, & Mathematicæ, & Metaphyſicæ. Hæc ſunt eius verba *cap. vltimo* libri de immortalitate animæ.

His igitur ſic digeſtis dicamus, quod omnes homines ad huiuſmodi finem conſequendum, debent in tribus intellectibus, communicare: ſpeculatiuo videlicet, practico, ſeu operatiuo, & factiuo. Nullus etenim homo eſt, non orbatus, & in ætate debita conſtitutus, qui aliquid horum intellectuum non habeat, veluti nullum eſt membrum, quod ſanguine, & calore naturali non participet, vnuſquiſq; etenim homo habet aliquid de ſpeculatione, & forte in vnaquaque ſcientia ſpeculatiua, quia ſaltem principia, quæ, vt ſecundo Metaphyſicorum dicitur, ſunt ſicuti ianuæ domus, quas nullus ignorat: quis enim eſt, qui prima principia, veluti; de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe; non contingit ſimul, idem eſſe, & non eſſe, ignoret? Quis omnino Dei ignarus eſt, entis, vnius, veri, boni, & ſic de reliquis, quod nimis oneroſum eſſet percurrere. De naturali quoque manifeſtum eſt, cum iſta ſubiaceant ſenſibus, quæ primo, intellectui occurrunt. In Mathematica quoque illud clarum eſt videre; cum ſine numeris, & figuris, vita humana duci non poſsit; Omnesq; homines horas, dies, menſes, & annos cognoſcunt, multaq; alia quæ ſunt Aſtronomici negotijs. Non minusq;, niſi cæcus ſit, aliquid de viſionibus cognoſcit, quod eſt opus perſpectiuæ. Niſiq; ſurdus ſit de concentibus, quod ad Muſicam ſpectat. Quid dicam autem de Rectorica, & Dialectica, quandoquidem Ariſtoteles, in proœmio Rectoricæ dicit, propter quod, & modo quodam omnes participant ambabus.

Hæc Pomponatius, quid autem ſtultius eſt, quam dicere, omnes homines, participare operationem, intellectus ſpeculatiui, & ſcire, etiã ruſticos, & baiulos, omnem ſcientiam, cum Ariſtoteles dixerit, de intellectu ſecundum prudentiam, qui longe inferior eſt ſpeculatiuo ipſum non omnibus hominibus ineſſe, vt apud ipſum eſt legere, *3. de anima tex. 24.* Et hæc pro confutatione huius reſponſionis dicta ſint ſatis.

Erat ſecunda reſponſio Pomponatij, ad ſecundum argumentum, deſumptum ex fortitudine, dicebatur enim, deſtrui fortitudinis virtutem, ſi anima ſit mortalis, nullus enim deberet mortem eligere; ſed potius, quodlibet flagitium admittere, cum mors in tali caſu ſit extremum omnium malorum, nam homo omnino deſineret, in nihilum à quo natura abhorret; ſecunda inquam, Pomponatij reſponſio ad hoc, erat negando conſequentiam; ad probationem vero dicebat à forti non eligi mortem; ſed virtutem ſiue actum virtuoſum, in quo eſt maius bonum, quam in paulo longiori vita, nec reſpui vitam; ſed vi-

tium

Digitized by Google

tium reſpui, magis quam mortem; cum vitium ſit maius malum, quã mors. Hoc autem confirmauerat tum dicto Socratis, in Apologia, qui dixit mortem non eſſe timendam, ſiue anima ſit mortalis, ſiue immortalis, tum etiam multorum brutorum exemplo quæ natura duce, vſque ad mortem pugnant, & pro alijs vitam oppetunt, aut ob turpitudinem deponunt, vt de Camelo, qui cum matre comcubuit, Ariſtotele referente, contra hanc reſponſionem dicimus, falſum eſſe, quod ab aduerſario aſſumitur, ſcilicet maius malum eſſe vitium, quã mortem, & maius bonum eſſe actum virtuoſum, quam vitam etiam breuem. Hoc autem ita probo. Ens, & bonum conuertuntur. Ergo quod habet aliquam entitatem, quamuis in aliquo deficiat ab ente eſt minus malum, quam ſimpliciter non ens, quod omninam dicit carentiam entis; ſed ſuppoſita animi mortalitate mors eſt omnina carentia entis, quia homo abit in nihilum; ergo mors, eſt ſimpliciter, non ens. Vitium autem ſiue actus vitioſus, cum ratione actus Phyſici, ſit ens, quamuis ratione peccati, & deformitatis, deficiat ab ente, non eſt ſimpliciter, non ens. Ergo vitium ſiue actus vitioſus, eſt minus malum quam mors. Ergo non eſſet magis fugiendum vitium, quam mors, vt inquit Pomponatius, neque magis eligenda eſſet virtus cum morte, quam quælibet breuis vita, cum vitio. Quinimmo cum actus quilibet vitioſus, ſit actus Phyſicus quantum ad entitatem ſuã, non erit malus; ſed eatenus erit malus, quatenus deficit à regula, & lege, aut naturæ aut Dei, qui eſt auctor naturæ, aut hominum qui reguntur à Deo. Tales autem omnes leges; ſupponunt, & ſtatuunt animi immortalitatem, lex enim naturæ, etiam eſt à Deo à quo cœlum, & tota natura dependet, vt Ariſtoteles confitetur 12. *Metaphyſ. part. 38.* lex autem Dei, vera religio eſt, omnis autem religio, vt etiam Pomponatius confitetur animam ſupponit immortalem, ſine hoc enim principio, omnis religio corruit, lex autem hominum quælibet; religionem aliquam habet aut veram, aut apparentem; veram ſi à Deo directi, & illuminati ſunt, apparentem autem, ſi Dei lumine careant. Ex hoc vero fit, vt Philoſophi omnes, tum morales, qui naturæ leges ſequuntur, tum Politici, qui humanas; animas immortales ſtatuant, & bonum in virtute, malum autem in vitio collocent; quales fuerunt Stoici, & Platonici non ergo Pomponatius, neque alius quiuis, qui animum ſtatuit corruptibilem; tantum virtutem poteſt extollere, & vitium damnare, vt pro virtute conſequenda, aut vitio deuitando etiam mortem oppetere debeamus. Quid enim Epicureis, & virtutibus, vel vitijs? cum bonum in voluptate conſtituant, malum autem in eius contrario. Teſtimo-

stimonium vero Socratis, quod ipse affert; non est ad rem; non enim loquitur Socrates, ex propria sententia; sed arguens ad hominem, vt legenti patet; exempla autem brutorum, quæ vsque ad mortem pugnant, neque etiam ipsa, sunt in proposito; talia enim non propter virtutem, cuius non sunt capacia; sed propter victum, aut vitam pugnant, vt Aristot. dixit *9. de hist. animal. cap. 1. in fine*. Ad id vero, de Camelo, & de Equo Regis Scytarum, quorum vnus post concubitum cum matre, Camelarium; ob scelus indignatus, defixo morsu occidit, alter uero ob eãdem causam se præcipitem dedit, quorum meminit Arist. *9. de hist. animal. cap. 47*. Dicimus, & primo ad primum hoc factum fuisse, ex naturali instinctu absque cognitione; natura enim Cameli, nunquam cum matre coeunt, vt ibidem Arist. inquit, quod vero occiderit Camelarium factum fuisse puto, ob indignationem, eo quod vim illi intulit, aut etiam verberauit, quod verisimile est, retulit enim mihi amicus, fide dignus, equum verberatũ vehementius, paulo post, molendinariũ suum dominum, qui ipsum verberauerat, morsibus occidisse, in Littore Ariminensis Maris, adeo obstinata vindicta, vt miserum in mare, multis passibus fuga progressum, prosequutus fuerit, & extractum ad littus, lacerauerit. ob hoc igitur, factum existimauerim, non autem conscientia sceleris; Ita enim dicendum esset. Camelum illum, fuisse, præditum intellectu, & magis quam multi homines, qui hoc committunt. Inter quos fuit Nero, qui tamen, conscientia sceleris se non occidit; quinimmo, vt aliqui referunt apud Persas, & alios Barbaros olim erat hoc consuetum. Et quamuis Aristoteles illud affirmet, tamen dicendum est, loquutum fuisse ad vulgi sententiam, vt in exotericis illi mos est, ad alterum vero de equo; dicendum est, illud factum fuisse fortuito, cum aliter semper succedat, semper enim sine discrimine, equi matres ineunt, vt cæteras equas, nec facti penitet.

Tertia vero responsio Pomponatij ad tertium argumentum, desumptum ex diuina prouidentia, & iustitia, quo dicebatur, si animus esset mortalis, aut dicendum fore, Deum nõ cognoscere hæc inferiora, cum mali in hac vita felices quam plurimi sint, boni autem miseri, aut ipsum esse iniustum, qui hæc videns permittat, aut hæc non prouidere; sed omnia casui, & fortunæ committere.

Tertia inquam responsio erat; negando pariter, vt ante sequelam, & rationem reddebat, quia duplex est, virtutis præmium, duplex etiam vitij pœna, essentiale præmium, quod inseparabile est, virtus ipsa, siue secundum virtutem operatio, & hoc non deest homini etiam si animus mortalis sit, virtus enim sibi ipsi sufficit ad felicitatem. Essentialis vero

pœna

Digitized by Google

pœna, vitium ipsum, siue actio vitiosa, quod patibulum est, & carnifex improbi hominis, & hoc non deest pariter, etiam si anima sit mortalis, & accidentale præmium, vt honores, opulentia, & alia bona, siue animi, siue corporis; nec non accidentalis pœna, vt infamia, cruciatus, supplicia, quibus si probi, aut improbi careant, nullum est absurdum, cum accidentalia sint, & extrinseca, & possint pariter adesse, & abesse.

Ad hæc dicimus, verba esse hæc, Pomponatij, nenias atque inanes nugas, quas ipse noluisset experiri. quotus quisq; hominum est, qui sola virtutis conscientia contentus, absq; præmio, vel spe præmij, se felicem reputet inter ærumnas, & miserias, inter dolores, & cruciatus? vana est, & ampullosa stoicorum illa indolentia; carnei enim sumus, & non lapidei, neque Pomponatius ipse, quamuis valde Doctus Philosophus, & bonis, vt credo, moribus instructus, se felicem reputabat, cum morbis affligeretur, & vrinarijs doloribus cruciaretur; sed conditionem suam, vt ipse scribit, lamentabatur. Quinimmo multis, Sancti viri, & Dei summi, laudabiles serui, more humano locuti, de inæquali hac, in præsenti vita, præmiorum, atque pœnarum retributione; cum Deo ausi sunt expostulare; inter quos. Ieremias Propheta ita loquitur *cap. 12.*

Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum, verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prauaricantur, & inique agunt; plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum, propes es tu ori eorum, & longe à renibus eorum; & tu Dômine, nosti me, vidisti me, & probasti cor meum tecum.

Et Dauid *Psalmo 72.*

Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde
Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei
Quia Zelaui super iniquos: pacem peccatorum videns.

Et reliqua, quibus causam quærit huius inæqualitatis, hoc autem quæsitum, nequaquam se posse soluere dicit, nisi supposita alia futura vita post præsentem, quare inquit,

Existimabam, vt cognoscerem hoc, labor est, ante me,
Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum.

Sed aduersus Philosophum, Philosophicis armis pugnemus Sophisma est, & falsitas in hac Pomponatij responsione; statuit enim præmiũ intrinsecum, esse sufficiens virtuti, & pœnam intrinsecam, esse sufficientem vitio. Quod quidem secundum Aristotelem, & cæteros Philosophos, est falsum. In actiuis enim, veluti in factiuis, in quibus du-

plex

plex hic finis reperitur, finis intrinsecus non habet rationem termini, quia non habet rationem optimi, & propterea, semper dirigitur ad finem extrinsecum, tanquam ad finem vltimum, qui habet rationem optimi, vt verbi gratia, Medici finis intrinsecus, qui est, bene mederi non est, terminus operationis Medici, quia dirigitur ad sanitatem, quæ est finis vltimus, & extrinsecus, sine quo actio Medici non est consequuta suam perfectionem simpliciter, ita dicendum est, de virtute non est consequuta virtus, aut homo virtute præditus sufficientem finem, & sufficiens præmium ex actu virtutis, nisi ex hoc consequatur felicitatem, & beatitudinem; quæ cū sit status bonorū omniū aggregatione perfectus, in hac vita comparari non potest, quare & Aristoteles felicitatem moralem, nequaquam veram felicitatem, aut sufficientem appellauit, vt nuper monstrauimus, vt autem dictum est, de præmio virtutis, ita dicitur de pœna vitij, quod non est sufficiens ipsi pœna intrinseca, nisi adsit etiam extrinseca, quod patet ex prauis, ac sceleſtis hominibus, qui conscientia scelerum non afficiuntur, iuxta illud.

Impius cum in profundum venerit, contemnit

Quinimmo

Lætantur cum male fecerint.

Quare, & Iuuenalis de Mario, homine sceleratissimo, inquit, *1. Satira.*

Exul ab octaua, Marius bibit, & fruitur Dijs
Iratis, at tu, victrix prouincia ploras.

Ad quartum argumentum, deductum, excommuni omnium hominum, & legum consensu, qui concorditer statuunt, animas immortales, nihil autem famosum, est ex toto falsum, & impossibile est, omnes homines decipi. Dupliciter aduersarius respondet, primo negans esse impossibile omnes homines decipi, quinimmo, hoc dicit esse necessarium ex auctoritate Platonis, quod confirmat experientia, saltem enim maior hominum pars, certissime decipitur, cum omnes homines vnam ex tribus legibus sequantur, aut Christi, aut Moysis, aut Maumethi, certissimum autem est, solam Christi legem esse veram, reliquas autem, esse falsas; ergo, maior pars hominum decipitur. Ad hanc responsionem, dicimus quod quamuis omnes homines, in aliquibus decipiantur, tamen non in omnibus decipiuntur, nullus enim homo decipitur, in principijs communibus neque periti decipiuntur in suis artibus, & scientijs, quinimmo, nullus dicitur sciens, nisi certo sciat, ita esse vt nouit, nec posse aliter rem se habere, vt Aristoteles *1. posteriorum tex. 7.* dixit, & inter scientias sunt quædam, quæ ob præstantiam certitudinis, simpliciter disciplinæ appellantur, hoc est, Mathematicæ,

Digitized by Google

maticæ, vt Geometria, & Aritmetica, in quibus non potest esse deceptio. Adde, quod aliqua est notitia, in qua melius sumus dispositi quam si essemus scientes, vt dicebat Philosophus, primo posteriorũ de habitu, & notitia principiorum cuiuslibet scientiæ; inter quæ connumeranda sunt, quæ in sacris Scripturis sunt tradita, de quibus sumus magis certi; quam de qualibet scientia, cum notum sit, à Deo fuisse reuelata, hoc autem comprobatum est, euidentia Miraculorum. Falsè igitur, & impudenter, dictum est à Pomponatio, necessarium esse, vt omnes homines decipiantur, quamuis enim decipiantur in multis, tamen non decipiuntur in omnibus. Quod autem in hoc articulo præcisè de immortalitate Animæ, non decipiantur, inde patet, quod Lex Christi Saluatoris Nostri, de qua sumus certi, quod est verissima, illam affirmat, Verum autem, Vero non est contrarium, quinimmo, ex hoc arguitur, immortalitate manimorum habere notissimã veritatem, quod reliquæ Leges, quamuis in reliquis à nostra, quæ vera est, dissentiant, in hoc tamen cum ipsa concordant. Quare non decipiuntur in hoc, quamuis decipiantur, in cæteris. Secundo respondet fuisse hoc, statutum à Legislatoribus, ob bonum publicum, vt Populos, bonos facerent, & in officio continerent. Ergo omnes Legislatores fuerunt mendaces, fraudulenti, & peruersi deceptores, & omnes homines fuerunt stulti, & bardi, tot Sæculis; qui hanc deceptionem, non aduerterunt, & pro legibus; vitam hilariter prodiderunt. Hoc certe, non modo falsum; sed pernicioſissimum, & diabolicum est commentum, igne potius quam calamo expungendum.

Fuerat quintum Argumentum, ex ijs, quæ auctoritate grauissimorũ hominum, de animabus mortuorum, tum circa sepulchra, tum alijs in locis visis, circumferuntur, nec non, de ijs, qui post mortem in vitam redierunt, quos & Plato, & Plinius Historicus, commemorant. Huic argumento, Pomponatius respondebat, negans tales Apparitiones, aut si cõcedendæ, sint ob auctoritatem eorum, qui eas referunt, dicit tales, circumuagantes non fuisse animas, sed spectra, & Idola, efformata cælesti siderum virtute, omnia enim quæ nobis videntur Miracula, auctoritate Alexandri, fieri possunt à cœlo; si enim nos dicimus hæc fieri ab Intelligentijs bonis, aut malis, quas Angelos aut Dæmones appellamus, sine orbibus, quanto magis dicendum est, hæc posse fieri ab ijsdem Intelligentijs, cum suis orbibus, quibus tamquam organis vtuntur. Hoc autem eo magis affirmandum dicit, quia Cœlũ maiora his portenta efficere aptum est, vt, est, locutio pueri statim in lucem editi, vt refert Alyabenragel, qui, ex astrorum aspectibus

hoc prædixit, quod non potuisset, nisi eorumdem astrorum effectus talis fuisset.

Hac responsione Pomponatius, non solum prædicto argumento occurrit, verum etiam omnes incantationes,& omnia Dæmonũ opera, sustulit,in tractatu,quem de incantationibus scripsit, sed videamus iam, quantum ipsa valeat. Hæc sententia Pomponatij nemini dubiũ est, quod sit contra fidem,& veritatem; Fidei enim sententia est,quod Intelligentiæ, non solum mouent localiter cælestia corpora suæ voluntatis imperio; sed etiam alia corpora Deo ordinante,& permittente, vt S. Thomas inquit quæstione disputata de miraculis art. 3. quare & alias statuit Intelligentias quamplurimas, præter mouentes orbes,tum bonas, tum malas, quas, Angelos,aut Dæmones appellamus quæ mouent localiter aliquando,corpora in quibus est vis, actiua naturalis, ad aliquem effectum producendum|, quæ corpora. *S. Aug. 3. de Trinitate*, naturæ semina appellauit. At etiam est contra Aristotelis doctrinam, totamq; peripateticam euertit philosophiam; Certissima enim dogmata sunt Aristotelis, & vniuersæ ipsius scholæ;Cœlum non agere in hæc inferiora, nisi vt causam primam, siue vniuersalem,quæ non producit effectus particulares, nisi cum causis particularibus & secundis, & propterea dixerat idem *2. Phisic. tex. 26.* quod homo & sol generant hominem, quinimmo non solum Philosophi, sed Astrologi etiam, in hoc consentiunt, non modo cœlum; sed etiam Semina, & Regionem,& Educationem,siue Culturam, concurrere ad res generandas, itaut horum quodlibet possit effectus varios reddere, aut etiam impedire, vt *Ptolomæus* docuit, *primo lib. in prohemio cap. 2.* vbi etiam hæc habet verba. *Etsi igitur, vis maxima est, circumfusi Cæli,à quo, & cætera quæ diximus, suam vim sumpserunt, cum ipsa Cælo, nihil conferant: Tamen nisi quis ea, cum cælestibus causis coniunxerit, sæpe errabit, si volet omnes significationes à cæli motu, sumere, etiam eas, quæ non prorsus à cælo pendent.* Certissimum etiam est,cœlum non agere, nisi motu & lumine. quapropter bene *S. Thomas* contra hanc sententiam arguit *in quæst. de miraculis cap. 3.* dicens, non esse cœlum, causam sufficientem, ad eos effectus producendos, quos à Dæmonibus,vel ab Angelis fieri dicimus; effectus enim huiusmodi, non fiunt certo aliquo & ordinato cursu, quemadmodũ, effectus, qui producuntur à Cœlo. A Cœlo etenim, certis temporibus, producuntur fruges, & fructus, & animalia, & frigus, & æstus, penes accessum, & recessum solis, in obliquo circulo, vt *Aristot. 2. de ortu & interitu* dicebat: effectus autem, quos Angelis, vel Dæmonibus tribuimus, raro, & ad ipsorum placitum, contingunt, quemadmodũ,

& actus

& actus humani, præterea etiam, effectus aliqui reperiuntur, quos, nullo pacto, Cœlum producere poteſt, vt ſunt, ſubita productio ſerpentum ex virga, aut etiam locutiones à brutis, vel ab infantibus, vel ab aliqua re inanimata, vel Græco, aut Latino idiomate, à mulierculis aut Ruſticis, qui horum penitus ſunt ignari pronunciatæ. De veritate horum effectuum, Pomponatius non dubitat, quandoquidem à viris omni exceptione maioribus referuntur, ſed negat, hæc certo & ordinato curſu, non fieri, quoniam certo, & ordinato curſu ſiderum, hæc futura, ab Aſtrologis præuidentur, quod nequaquam ſuccederet, niſi ipſorum, certe adeſſent cæleſtes cauſæ. Hoc autem confirmauit, exemplo, illius infantis, de quo, refert Aly, qui ſtatim editus loquutus fuit, vt ante fuerat prædictum ab eodem. Ad hoc dicimus, falſum eſſe, quod ſupponitur, cum impoſſibile ſit, propter cœleſtem aliquam influentiam, rem inanimatam loqui, aut beſtiam, aut infantem, humanos ſermones proferre, aut illiteratum, Latinis, aut Græcis vocabulis vti; ob eam rationem, quam attulit *S. Thomas, loco ſæpius citato cap. vltimo*; nempe, quia fit per terminos qui ſignificant ad placitum, vt *Ariſtot.* dixit *1. perihermenias cap. 1.* ergo sẽper fit ab aliquo intellectu. Et quamuis Pomponatius, vltro id concedat, dicens, non minus poſſe hanc locutionem fieri opera Intelligentiæ alicuius, mouentis Cœlum, quam fieri dicatur ab Angelo, aut Dæmone, cum vtraque ſit aſſiſtens, tam Intelligentia orbi, quàm Angelus aut Dæmon, corpori quod aſſum pſit pro locutione effotmanda. Tamen, argumentum non ſoluitur, ſi in Ariſtotelis doctrina perſiſtere velimus. Dixit enim Ariſtoteles, loquutionem, quæ per nomina & verba fit, eſſe ad placitum, cum nomina & verba ſint voces ſignificantes ad placitum; ergo neceſſe eſt loquutionem fieri ab aliquo intellectu, vt dicebat S. Thomas hoc eſt ab aliquo Agente libero, & ad placitum verba, & nomina efformante Intelligentiæ autem, ex Ariſtotelis ſententia, mouent orbes, vt Agentia neceſſaria, non autem, vt voluntaria; ergo Intelligentiæ mouentes orbem, non poſſunt eſſe cauſæ loquutionis, quod eo magis concluditur, quia Pomponatius exiſtimauit; Cœlum, motum ab intelligentia eſſe cauſam harum loquutionum; Cœlum autem, ita motum, eſt Agẽs neceſſarium, non voluntarium, ex quo fit, vt Agens liberum, non ſubijciatur Cœlo, vt patet etiam ex Aſtrologis, qui propterea dixerunt ſapientem dominari Aſtris, alias non eſſet Agens liberum, quia ſubiaceret Agenti neceſſario. Ridendus igitur eſt Pomponatius, qui, huiuſmodi loquutiones ad Cœlum retulit, quemadmodum magis ridendus eſt Ioannes Huartes, qui ipſas ad temperamentum reuocauit,

Digitized by Google

& melancholicum humorem, sed de his, plenius, in nostro tractatu, de Diuinatione per somnum, egimus. Præterea si à cœlo, fierent loquutiones, semper, vnicomodo fierent, & secundũ aptitudinem eius, qui loquitur, vt verbi gratia, ex vno siderum conuentu, fieret sermo Latinus, ex alio Græcus, & ex alio Barbarus, necnon, Græcus cum aliquid reuelaturus esset, ab influentia cælesti, semper loqueretur græce, vt Pytiam, quæ Delphis oracula edebat, græce loquutam perhibent, latinus autem, latine; actus enim actiuorum, vt *Arist.* inquit *2. de Anima*, recipiuntur in passo bene disposito, videmus autem Græcos, barbare loqui, & Latinos græce. Testis ego sum, & non mentior, me ipsum audisse Rusticanum iuuenem, qui nec græce, nec latine, quinimmo, vix vulgariter sciebat loqui, à me interrogatum, aptissimo vocabulo græco, & ex rei natura deprompto, significasse animi nostri essentiam. Historia hæc est. Quatuor ab hinc annis, in domo, in qua dego, quæ est, Clarissimæ Familiæ Venetæ, de Grimanis, sita, in summitate Quirinalis Collis, cum domus, pro mea conditione; Vxore enim & liberis carens, & omni solutus cura, duobus tantum famulis, sum contentus; Amplior esset: Inferior eius pars, vsui meo superflua, vacabat; quare, ipsam conducendam proposui. Accessit autem conductor quidam, nequaquam Vrbanus, sed ex oppido sub Vrbano, vir plane, rusticus, & illiteratus, qui secum habebat adolescentem, eiusdem sortis, & conditionis; Domicilium vero se delegisse dicebat, ad curationem, adolescentis, ob aeris bonitatem. Cum vero interrogassem hominem, quo laboraret morbo iuuenis, respondit à Dæmone vexari, ob maleficium, atque illi præcepisse Exorcistam, vt purgandum curaret ab atra bile, antequam ad exorcismum duceret, quo audito, risi hominem, ipsumq; admonui, ne deciperetur, putans melancholicum, esse Dæmoniacum, ac proinde, laudaui consilium exorcistæ, vt ipsum, ab hoc humore, purgandum curaret. Cum vero, ipse pertinacius affirmaret, esse à Dæmone vexatum iuuenem; volui experiri, legeram enim, tales huiusmodi, Chelidoniam herbam, perhorrescere, quare ipsam, ab horto, cum flore decerptam mandendam obtuli. Inter mandendum vero, vidi eum, corripi conuulsionibus oculorum, & musculorum bucce, ac mente moueri. timens autem, ne mihi, talibus vellet illudere, interrogaui ipsum; qui nam, græce diceretur anima? Ad quod, mihi respondit. Ἄγλαή: cum vero, ego ipsi dixissem, vocari ψυχή, ipse balbutiens, videbatur, non posse pronunciare hoc nomen, paulo post vero, subridens, sæpius pronunciauit; concinne adeo, vt Athenis, natus videretur; quod ego postmodum, conside-

rans,

rans, cognoui, ipsum, nomen Animæ ex propria natura, voluisse enunciare, cum enim Ἀγλαὴ splendidam significet, aptissimam Animæ nuncupationem dixit, non solum, quia res spirituales, vt nostra Anima, conuenientiori exemplo, quam luminis, declarari, non possunt, verum etiam, quia nostra Anima à Deo Opt. Max. creata est splendida & illustris, natura sua antequam consortio corporis, peccati labem contraxerit.

Ridere autem fortasse voluit Dæmon, insciti am m eam, qui adscititio, & improprio vocabulo, Animam appellarim ψυχήν; hoc est frigidam, quod illi nomen, propter refrigerationem, ex respiratione, inditum fuisse *Aristot.* docet *1. de Anima tex. 35.*

Reddat mihi nunc Pomponatius, causam huius vocabuli tam apti, & proprij, à Rustico adolescente, & litterarum penitus ignaro pronunciati, quonam pacto, cœlum, motu & lumine, potuit in huius rustici phantasia, aut intellectu, huius nominis tam proprij, speciem, tam cito producere: Nec obstat exemplum infantis, de quo retulit. Aly, nam etiam si concedamus hoc fuisse verum, posset enim legitime negari, cum Astrologi, soleant vt plurimum, de mendacio esse suspecti; neque ipsis, hoc datur crimini, iure enim id faciunt, quod est ipsis proprium, fallere & verba dare, vt scite, nostri temporis Poeta in Astrologum quemdam qui Nostardamus vocabatur, ludens dixit.

Nostradamus, cum verba damus, nam fallere nostrum est,
Et cum verba damus, nil nisi nostra damus.

Tamen non propterea, concedendum est; hoc fuisse factum à Cœlo, sed à Dæmone, vt de loquutionibus brutorum, de quibus meminit Liuius, si veræ fuerint, necessario dicendum erit. Aly autem, hominem infidelem, & Saracenum, ptobabile est ex reuelatione sibi facta ab eodem Dæmone, hoc futurum cognouisse, non autem ex aspectu siderum; Maxime enim Saraceni, impietate magica delectantur mentitum autem fuisse, & Astrorum peritiæ, hoc tribuisse, vt apud Regem, arti suæ, fidem, & commendationem compararet. Aut etiam dicendum est: Dæmonem ipsi illusisse, homini superstitioso, & illegitimis artibus operam danti, idq; certa siderum obseruatione voluisse facere, vt solent magos decipere, quos iubent statutos, astrorum motus, & aspectus obseruare, vt ipsis præsto sint, & vocati adueniant. Sed iterum, quis, instabit dicens ab Aristotele, qui alienus fuit, ab omni superstitione, has loquutiones infantium, quæ tamquam portenta habentur, commemorari, ipsasq; ad causam naturalem reduci, quinimmo & aliquos, statim in lucem editos, locutos fuisse. Hæc au-

tem ſunt eius verba *11. partic. problematum problemate 27.*

